
3 1761 04129 3242

Gr Lit



DAVID BINNING MONRO.

Toronto University Library
Presented by
J. Wells Esq
through the Committee formed in
The Old Country
to aid in replacing the loss caused by
The disastrous Fire of February the 14th 1890

2/57 1/20
5 Vols
15
12

To the

University of Toron

from

D B Monro

Oriel Coll. Oxford

10 March 1890

FRAGMENTA
COMICORUM GRAECORUM.

COLLEGIT ET DISPOSUIT

AUGUSTUS MEINEKE.

PA
3465
A2
1839
V.1

VOLUMEN I

HISTORIAM CRITICAM COMICORUM GRAECORUM CONTINENS.

BEROLINI.
TYPIS ET IMPENSIS G. REIMERI.
MDCCCXXXIX.

HISTORIA CRITICA
COMICORUM GRAECORUM.

SCRIPSIT

AUGUSTUS MEINEKE.

BEROLINI.
TYPIS ET IMPENSIS G. REIMERI.
MDCCCXXXIX.

7326
14/II/90

PRAEFATIO.

Decimus quintus hic annus est, quum editis Philemonis et Menandri reliquiis graecorum comicorum fragmenta uno corpore comprehensa me editurum esse publice professus sum *). Erat tum ea temporum meorum opportunitas, ut quamvis magnum opus et in varias antiquitatis partes diffusum intra quinquennium rite absolvi posse confiderem. At vero quum iam in digerenda, quam undique collegissem, materia occupatus essem, eae subito rerum mearum vicissitudines inciderunt, quae me in proposito opere mirifice retardarent. Nam quum Gedani, quae mihi

*) Idem consilium superiore aetate agitasse T. Hemsterhusium colligere licet ex iis quae scripsit ad Polluc. vol. II p. 1136. Theodori Canteri syllogen comicorum et tragicorum poetarum manuscriptam commemorat H. Grotius Praef. Excerpt. p. 8 et D'Orvillius Vanno crit. p. 251. De Bentleii omnium graecorum poetarum fragmenta colligendi consilio vide Valckenarium Diatr. p. 4 A.

quasi adoptiva patria fuit, inter iucundissimas publici muneris occupationes satis otii ad haec studia colenda et doctrinam augendam mihi concessum fuisset, mox Berolinum vocatus et publicarum et privatarum curarum quasi aestu quodam adeo me iactatum sensi, ut satis mihi beatus viderer, si subinde velut furtivas horas gravioribus negotiis ereptas coepto operi impendere liceret. Accedebat, ne inexpugnabilem illam ingenii mei ad scribendum tarditatem commemorem a prompta multorum alacritate vehementer discrepantem, iusta quaedam, ut mihi videbatur, et litterarum dignitati debita verecundia, qua accuratam et diligentem quam levem et praecipitem curam in suscepto negotio collocare malebam. Etsi enim in tali labore plenam omnium rerum pertractationem iure exspectari non posse intelligebam, vehementer tamen animus ab eorum festinatione et levitate abhorrebat, quos necessariam aedificio struendo materiam raptim ex indicibus colligere et properatos ingenii foetus in publicam lucem protrudere videbam. Itaque lente quidem nec sine magnis quibusdam commentandi intermissionibus, at progrediendo tamen eo perducta res est, ut vetus illud meum consilium iam tandem ad effectum adducere liceat. Erit autem totius operis dispositio haec, ut quum in prima, quam nunc ipsum publici iuris facio, parte poetarum historiam enarraverim, in altero, quod intra proximum annum sequetur, volumine antiquorum, in tertio mediorum, in quarto denique et quinto volumine novorum et anonymorum comicorum reliquiae cum indice grae-

citatis locupletissimo proponantur. Novae comoediae auctores quod duo volumina impleturos esse dixi, non mirabuntur, opinor, qui Philemonis et Menandri fragmenta, quae ex quo primum a me edita sunt ingenti numero locupletari multisque partibus emendari possunt, ad integritatem operis omitti non posse sibi persuaserint. Eandem ob causam etiam Aristophanis fragmenta adiicerem, nisi falcem in alienas messes immittere iniquum ducerem.

Iam ut de argumento praesentis huius voluminis quae dicenda sunt paucis complectar, versatur id totum in explicanda poetarum quorum deinceps fragmenta sequentur historia, quam quod criticam dicere ausus sum, vehementer vereor ne aliquanto plus quam efficere potui promisisse videar. Obversabatur autem animo meo forma et descriptio operis fere ea, quam in explananda oratorum historia praeivit Ruhnkenius, ad cuius exempli praestantiam si peritis iudicibus non infeliciter adspirasse visus fuero, satis magnum impensae operae fructum me tulisse arbitrabor. Ceterum meminerint si qui haec lecturi sunt haud exiguam partem eorum, quae hoc volumine continentur, primum in programmatis scholasticis propositam esse, iam inde ab octodecim annis per varias scholasticorum solennium opportunitates evulgatis.*) Quibus quidem scriptionibus illud certe mihi conse-

*) Commentationum miscellanearum Fasciculus I prodiit anno MDCCCXXII, Quaestionum scenicarum Specimen primum MDCCCXXVI, secundum MDCCCXXVII, tertium MDCCCXXX.

quutus esse videor, ut nostratium studia ad hanc fructuosissimam sed fere neglectam et senescentem graecae antiquitatis partem converterim, meoque exemplo excitati complures in eodem argumento sibi elaborandum esse decreverint, vario illi quidem successu, neque omnes ita ut operae pretium fecisse existimandi sint. At magna cum laude commemorandus mihi est Theodorus Bergkius, cuius doctissimae commentationes de reliquiis comoediae atticae antiquae, quamquam haud pauca habent in quibus mihi dissentiendum esse video a viro carissimo, plurimas tamen observationes continent ad explicandam antiquae comoediae rationem utilissimas. Quo libro si uti mihi licuisset in iis praesertim, quae de antiquae comoediae poetis commentatus sum, pluribus de rebus et copiosius et vero etiam aliquanto rectius disserere licuisset. Nunc ille eo demum tempore ad me perlatus est, quo primam scriptorum partem librario typis imprimendam iam tradideram. Versantur autem Bergkii commentationes maxime in explicandis Cratini comoediis, quae res quum ante hos duos ferme annos, quo tempore ego quaestiones meas retractare coeperam, ab ipso mihi per litteras significata esset, in mea de illo poeta disputatione, qualem in Quaestionum scen. spec. I exhibui, praeter minutiora quaedam nihil mutare satius duxi.

Ceterum quod plerisque scribentium accidere solet, ut, quum ad extremam manum perventum fuerit, eorum quae scripserunt fere eos poeniteat, id mihi adeo usque accidisse fateor, ut, si fieri posset,

magnam imo vero maiorem libri partem iteratis curis refingerem. Sed facta infecta reddi non possunt: cui incommodo ut quantum in me positum esset subvenirem, appendicem additurus eram, in qua falsa corrigerem, omissa supplerem, alia de quibus in utramque partem disputari posset retractarem. Sed quum in ceteris voluminibus non benigniorem mihi sortem fore praevideam, optimum arbitror, ne „addenda" atque „etiam addenda" per singulas deinceps partes sese excipiant, quidquid vel corrigendum vel supplendum videbitur in calcem totius operis reiicere. Quam ob causam angustis nunc quidem me continebo terminis, ea tantum hoc loco commemoraturus, quibus quod superest chartae haud inutiliter impleri posse videbitur.

Primum igitur manifesto errore lapsus sum p. 410, ubi incertae Aristophontis fabulae fragmentum servatum esse dicebam a Theophilo. Sequutus tum eram H. Grotii coniecturam, qui Excerptis p. 1004 Aristonis nomini Aristophontem substituit. Theophili locus in libro ad Autolycum III p. 296 hic est: *περὶ μὲν θεοῦ καὶ προνοίας Ἀρίστων ἔφη·*

A. Θάρσει· βοηθεῖν πᾶσι γὰρ τοῖς ἀξίοις
εἴωθεν ὁ θεός, τοῖς δὲ τοιούτοις σφόδρα.
εἰ μὴ παρέσται προεδρία τις κειμένη
τοῖς ζῶσιν ὡς δεῖ, τί πλέον ἐστὶν εὐσεβεῖν;
B. εἴη γὰρ οὕτως· ἀλλὰ καὶ λίαν ὁρῶ
τοὺς εὐσεβῶς μὲν ἑλομένους διεξάγειν
πράττοντας ἀτόπως, τοὺς δὲ μηδὲν ἕτερον ἢ
τὸ λυσιτελὲς καὶ τὸ κατ' αὐτοὺς μόνον,
ἐντιμοτέραν ἔχοντας ἡμῶν διάθεσιν.

A. ἐπὶ τοῦ παρόντος· ἀλλὰ δεῖ πόρρω βλέπειν
καὶ τὴν ἁπάντων ἀναμένειν καταστροφήν.
οὐχ ὃν τρόπον γὰρ παρ' ἐνίοι ἴσχυκέ τις
δόξα κακοήθης τῷ βίῳ τ' ἀνωφελής,
φορά τίς ἐστ' αὐτόματος, ἢ βραβεύεται
ὡς ἔτυχε πάντα· ταῦτα γὰρ κρίνουσ' ἔχειν
ἐφόδια πρὸς τὸν ἴδιον οἱ φαῦλοι τρόπον·
ἔστιν δὲ καὶ τοῖς ζῶσιν ὁσίως προεδρία,
καὶ τοῖς πονηροῖς ὡς προσῆκ' ἐπιτιμία.
χωρὶς προνοίας γίνεται γὰρ οὐδὲ ἕν.

Vs. 1 *γὰρ* abest a codice Bodl. et antiquis editionibus. Itaque scribendum potius *πᾶσι μὲν τοῖς*, quod etiam sequentia commendant. Vs. 3 scribendum est *εἰ μὴ γὰρ ἔσται.* Vs. 8 recte particula *καὶ* a codice Bodl. omittitur. Probabile est enim scriptum fuisse olim, *τὸ λυσιτελὲς δρῶντας τὸ καθ' ἑαυτοὺς μόνον.* Vs.14 insolens est *βραβεύεσθαι* potestate activa. Fortasse scripserat *ἡ βραβεύεται.* Vs. 15 cod. Bodl. *ταῦτα γὰρ πάντα κρίνουσιν ἔχειν.* Vulgo *ταῦτα κρίνουσι γὰρ ἅπαντ' ἔχειν.* Retinui Grotii coniecturam, quamquam ne ita quidem locum intelligo. Hi igitur versus mihi quidem neque Aristophontis neque alius cuiusquam poetae comici, sed Aristonis Chii esse videntur, communem Stoicorum morem sequuti, qui decreta sua, maxime ea quae ad morum doctrinam spectarent, iambicis versibus iisque fere ad comicorum numerorum similitudinem effictis includebant, eosque versus ornatus causa reliquae orationi admiscebant. Ex hoc genere ut pauca de multis afferam est Zenonis illud apud Stobaeum Floril. XIV 4:

Ἔλεγχε σαυτὸν ὅστις εἶ, μὴ πρὸς χάριν
ἄκου', ἀφαιροῦ δὲ κολάκων παρρησίαν.

Item Crantoris *) apud eundem XCVI 13:

Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον
ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα· καὶ γὰρ ἂν φύσιν
σπουδαῖος ᾖς, πένης δέ, καταγέλως ἔσῃ.

Et eiusdem XCVII 6:

Τὸ γὰρ διάφορον καὶ φρονίμους πάντας ποιεῖ,
τὸ σωφρονεῖν δ' ἔνεστιν ἐν τούτῳ μόνῳ.

Eadem Chrysippi fuit consuetudo, quamquam is quidem alienos potius maximeque Euripideos quam suos ipsius versus orationi inseruit. V. Diogenes Laert. VII 108. Neque in scriptis tantum sed etiam in scholis hanc rationem tenuerunt philosophi. Cicero Tusc. II 11. Fuisti saepe credo, cum Athenis esses, in scholis philosophorum. A. Vero, ac libenter quidem. M. Animadvertebas igitur, etsi tum nemo erat admodum copiosus, verum tamen versus ab his admisceri orationi. A. Ac multos quidem a Dionysio Stoico. M. Probe dicis; sed is quasi dictata, nullo delectu, nulla elegantia: Philo noster et proprium numerum et lecta poemata et loco adiungebat. Prae ceteris autem Cleanthes eiusmodi flosculis orationem distinguebat, quem quidem etiam hexametris eam in rem usum fuisse intelligitur ex Clemente Alex. Strom. V p. 237 Sylb. *καὶ ἡ Κλεάνθους δὲ τοῦ Στωικοῦ φιλοσόφου ποιητικὴ ὧδέ πως τὰ ὅμοια γράφει·*

Μὴ πρὸς δόξαν ὅρα ἐθέλων σοφὸς αἶψα γενέσθαι,
μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα δόξαν·

---

*) Ita recte Grotius. Gesnerus et Gaisfordius *Κράντωνος*.

οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν οὔτε δικαίαν
οὔτε καλήν, ὀλίγοις δὲ παρ᾽ ἀνδράσι τοῦτό κεν εὕροις.

Cuius poematii secundo versu inepte *δόξα* vocatur *ἄκριτος καὶ ἀναιδής.* Scribendum haud dubie,

μηδὲ φοβοῦ πολλῶν ἄκριτον καὶ ἀναιδέα βάξιν.

Frequentius tamen etiam Cleanthem iambicis versibus usum esse fragmenta docent, ex quibus ea tantum afferre placet, quae, ut in Aristonis loco factum videmus, colloquentium personarum vicibus distincta sunt, ut etiam hac forma philosophos illos usos esse intelligatur. Galenus de Platone et Hippocr. vol. I p. 140 b Ald. *τὴν μὲν τοῦ Κλεάνθους γνώμην ὑπὲρ τοῦ παθητικοῦ τῆς ψυχῆς ἐκ τῶνδε φαίνεσθαί φησι* (Posidonius) *τῶν ἐπῶν·*

Λ. Τί ποθ᾽ ἔσθ᾽ ὅ τι βούλει Θυμέ; τοῦτό μοι φράσον.
Θ. ἐγὼ Λογισμὲ πᾶν ὃ βούλομαι ποιεῖν.
Λ. ναὶ βασιλικόν γε, πλὴν ὅμως εἶπον πάλιν.
Θ. ὧν ἂν ἐπιθυμῶ ταῦθ᾽ ὅπως γενήσεται.

Ταυτὶ τὰ ἀμοιβαῖα Κλεάνθους φησὶν εἶναι Ποσειδώνιος, ἐναργῶς ἐνδεικνύμενα τὴν περὶ τοῦ παθητικοῦ τῆς ψυχῆς γνώμην αὐτοῦ, εἴ γε δὴ πεποίηκε τὸν λογισμὸν τῷ θυμῷ διαλεγόμενον ὡς ἑταῖρον ἑταίρῳ. Ita enim haec corrigenda videntur. Vulgo in Galeni verbis legitur *ἐνδεικνύμενος* et in fine loci *ἕτερον ἑτέρῳ.* In Cleanthei loci versu secundo vulgo est *λογισμόν,* correctum a Wyttenbachio ad Posidonium I. Bakii p. 285, in ceteris tamen non audiendo. Sententia eadem esse debet quae quarto versu, ubi *ὧν* scripsi pro *ὡς,* dilucidius explicatur. Versu tertio addidi *ναί.* Ex dialogo item petita videri possunt haec eiusdem Cleanthis apud Stobaeum Flor. VI 20 servata:

Πόθεν πότ' ἄρα γίνεται μοιχῶν γένος;
B. ἐκ κριθιῶντος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδισίοις.

Et quae leguntur apud Clementem Alex. Strom. V p. 257 Sylb. *Κλεάνθους τοῦ Σκωικοῦ ἔν τινι ποιήματι περὶ τοῦ θεοῦ ταῦτά γε γράφοντος* (*ταῦτα γεγραφότος*)

Τἀγαθὸν ἐρωτᾷς μ' οἷόν ἐστ'; ἄκουε δή.
τεταγμένον, δίκαιον, ὅσιον, εὐσεβές,
κρατοῦν ἑαυτοῦ, χρήσιμον, καλόν, δέον κτλ.

Affinis huic de Aristophonte errori est is quem in iis quae p. 424 de Simylo disserui a me admisissum sero animadverti. Plane enim non dubito quin Simylus is, cuius aliquot fragmenta ex Stobaeo, Ioanne Damasceno et Theophilo exsignavi, a comico eiusdem nominis poeta diversus habendus sit, qua de re quominus dubitari possit ipsos versus adscribam. Stobaeus igitur Floril. LX 4 hunc Simylo locum tribuit:

Οὔτε φύσις ἱκανὴ γίνεται τέχνης ἄτερ
πρὸς οὐδὲν ἐπιτήδευμα παράπαν οὐδενί,
οὔτε πάλι τέχνη μὴ φύσιν κεκτημένη.
τούτων ὁμοίως τοῖν δυοῖν συνηγμένων
εἰς ταὐτὸν ἔτι δεῖ προσλαβεῖν χορηγίαν,
ἔρωτα, μελέτην, καιρὸν εὐφυῆ, χρόνον,
κριτὴν τὸ ῥηθὲν δυνάμενον συναρπάσαι.
ἐν ᾧ γὰρ ἂν τούτων τις ἀπολειφθεὶς τύχῃ,
οὐκ ἔρχετ' ἐπὶ τὸ τέρμα τοῦ προκειμένου.
φύσις θέλησις ἐπιμέλει' εὐταξία
σοφοὺς τίθησι κἀγαθούς, ἐτῶν δέ τοι
ἀριθμὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν γῆρας ποιεῖ.

Versu septimo vulgo coniungitur *εὐφυῆ χρόνον*, quod qui in *χορὸν* mutatum ivit Dobraeus ad Porsoni Aristophanica p. (104), non videtur sententiam loci perspe-

xisse; nec quinto versu *χορηγία* de apparatu scenico intelligendum, sed figurato sensu, ut saepe alias, accipiendum est. Alterum huius poetae locum servavit Io. Damascenus. Eum e codice Florentino primus edidit Wyttenbachius ad Plutarchum vol. I p. 45, postea Gaisfordius Appendice ad Stobaeum vol. IV p. 433 ed. Lips. Est autem hic:

Πέντ' εἰσὶν ἃς ἄνθρωπος αἰσθήσεις ἔχει,
ἁφὴν ὅρασιν ἀκοὴν γεῦσιν ὄσφρησιν· μία
τούτων ἁπασῶν ἐστι κυριωτάτη
ἀκοή· φαγὼν γὰρ οὐδὲ εἷς ἐστιν σοφός,
οὐδ' ἁψάμενος οὐδ' εἰσιδὼν τὸ λυσιτελές·
ἐκ τοῦ δ' ἀκούειν μανθάνειν τε τἀγαθά
πολλοὶ φρόνιμοι γεγόνασι· ταύτην γὰρ μίαν
ὁ νοῦς ἑαυτῷ κατέλιπεν διδάσκαλον,
ὥσπερ δικαστὴν ἢ κριτὴν ἢ κύριον.

Versu secundo fortasse mutato verborum ordine scribendum est,

ἁφὴν ὅρασιν γεῦσιν ὄσφρησιν ἀκοήν.
τούτων μί' ἁπασῶν κτλ.

Versu quarto codicis scripturam *οὐδεὶς ἔτι σοφὸς* correxi Quaest. scen. III p. 59. Versu quinto sequutus sum Iacobsium Lectt. Stob. p. 152. Codex *οὐδεὶς ἰδών τε λυσιτελές.* Tertius denique locus, quem eidem Simylo adsignabam, legitur apud Theophilum ad Autol. III p. 385: *τὸν οὖν συνετὸν ἀκροατὴν καὶ ἀναγινώσκοντα προσέχειν ἀκριβῶς τοῖς λεγομένοις δεῖ, καθὼς καὶ Σιμύλος ἔφη· κοινῶς ποιητὰς ἔθος ἐστὶν καλεῖν καὶ τοὺς περιττοὺς τῇ φύσει καὶ τοὺς καλούς· ἔδει δὲ κρίνειν.* Quae cum primo fragmento argumenti affinitate coniuncta esse et ita redintegranda videntur:

Κοινῶς ποιητὰς πάντας ἔθος ἐστὶν καλεῖν
καὶ τοὺς περιττοὺς τῇ φύσει καὶ τοὺς κακούς·
ἔδει δὲ κρίνειν.

Haec igitur fragmenta qui inter se contulerit et argumentum eorum paullo diligentius consideraverit, omnia ex eodem carmine didactico petita, a comoedia autem maxime aliena esse atque omnino florentibus attici sermonis temporibus scribi non potuisse intelliget. Neque improbabile mihi videtur auctorem illius carminis eundem esse Simylum cuius aliquot de Tarpeia versus elegiacos servavit Plutarchus in vita Romuli cap. 17, ubi haec leguntur: *Σιμύλος δ' ὁ ποιητὴς καὶ παντάπασι ληρεῖ μὴ Σαβίνοις οἰόμενος ἀλλὰ Κελτοῖς τὴν Ταρπηΐαν προδοῦναι τὸ Καπετώλιον, ἐρασθεῖσαν αὐτῶν τοῦ βασιλέως. λέγει δὲ ταῦτα·*

Ἡ δ' ἀγχοῦ Ταρπηΐα παραὶ Καπετώλιον αἶπος
ναίουσα Ῥώμης ἔπλετο τειχολέτις,
Κελτῶν ἣ στέρξασα γαμήλια λέκτρα γενέσθαι
σκηπτούχῳ, πατέρων οὐκ ἐφύλαξε δόμους.

Καὶ μετ' ὀλίγα περὶ τῆς τελευτῆς·

τὴν δ' οὔταρ Βοΐοί τε καὶ ἔθνεα μυρία Κελτῶν
κειράμενοι ῥείθρων ἐκτὸς ἔθεντο Πάδου,
ὅπλα δ' ἐπιπροβαλόντες ἀρειμανέων ἀπὸ χειρῶν
κούρῃ ἐπὶ στυγερῇ κόσμον ἔθεντο φόνου.

Quae auctorem produnt Augusteo saeculo vix superiorem. Ad iambicum Simyli carmen ut redeam, ipsa orationis ratio satis manifesta habet non atticae originis vestigia: ex quo genere est productio primae syllabae vocabuli *τέχνη*, correptio articuli *τὸ* ante *ῥηθέν*, accusativus *εὐφυῆ* pro *εὐφυᾶ*, usus particulae *πάλι* pro *πάλιν*, qua forma constanter abstinuerunt poetae attici. Unde apertum est non recte nuper virum

doctissimum in Platonis versu a Scholiasta Veneto ad Aristophanis Pac. 72 servato scripsisse,

ὡς μέγα μέντοι πάλι τὴν Αἴτνην ὄρος εἶναί φασι τεκμαίρου,

pro eo quod codex habet *πάλαι*, quod in *πάνυ* mutandum erat. Denique eodem pertinet correptio primae syllabae adiectivi *λυσιτελής*, quam produci et analogia et usus postulat. Ac potest sane etiam Simyli versus facili opera ad communem normam revocari scribendo *οὐδ' εἰς τὸ λυσιτελὲς ἰδών*. Sed videndum ne suus Simylo error relinquendus sit, si quidem minus accuratos poetas *λυσιτελὴς* prima brevi extulisse ex Photii admonitione colligere licet p. 237, 9. *Λυσιτελὲς καὶ λυσιτελεῖν: ἡ πρώτη συλλαβὴ μακρά.*

Scribebam Berolini Calendis Decembribus a. MDCCCXXXVIII.

HISTORIA CRITICA

COMICORUM GRAECORUM.

HISTORIA CRITICA
COMICORUM GRAECORUM.

Cum multa habeat graecae antiquitatis pervestigatio egregia ad liberalem ingenii cultum et eruditionem adiumenta, tum haud scio an nihil sit, in quo quis maiore et utilitatis et voluptatis cum fructu studium operamque collocare possit quam in idonea literariae quam vocant historiae explanatione. Nam si ea est animi bene a natura informati indoles et ratio, ut earum maxime rerum contemplatione capiatur, quas non temere et casu, sed naturae legibus convenienter fieri videat, nihil profecto reperias quod vel ad ingenuam animi oblectationem iucundius vel ad antiquitatis rationem accurate perspiciendam fructuosius esse possit, quam si ad earum artium doctrinarumque historiam penitus cognoscendam te dederis, quae non fortuita quadam velut atomorum concursione conflatae vel umbratico acumine inventae, sed ex suis progenitae radicibus quasi per gradus quosdam ex necessaria et immutabili lege naturae ab ingeniosissimis hominibus ad illud fastigium adductae sunt, ut posteris omnem prope consequendi sui spem ademisse videantur. Itaque et ipse saepenumero dolui et alios doluisse existimo, eruditissimos quosque Graeciae interpretes in hac potissimum antiquitatis parte ornanda industriam collocare suam noluisse; quod si fecissent, non harum tantum literarum rationem nexumque paullo melius teneremus, sed de aliis quoque doctae antiquitatis partibus

aliquanto rectius iudicare nobis liceret. Nunc vero, ut de ceteris non minus gravibus taceam, ne scenicae quidem Graecorum poesios unam alteramve partem ita a quoquam explicatam tenemus, ut quantum effecerint in ea Graeci plane perspectum habeamus. Nam si eos quorum integra supersunt opera exceperis, ceterorum in hoc genere poetarum historiam quis unquam dignam habuit, in qua ita elaboraret ut operae pretium fecisse existimandus sit? Quod qui facere volet, tam copiosam inquirendi disserendique materiam habebit, vix ut unius hominis, quamvis industrii et laboriosi, vires tanto tamque late patenti operi suffecturae esse videantur. Itaque in tanta rei amplitudine vehementer optandum est, ut alius alium locum sibi tractandum eligat: quod si ita ut ipse eius rei speciem animo meo informavi factum fuerit, deperditam Graecorum scenam quasi vitae redditam novaque luce collustratam habebimus. Sed ne ipse tam laudabilis instituti otiosus spectator sedeam, aliorumque potius quam meam qualemcunque operam in iucundo illo quidem, sed eodem propter multarum rerum difficultates impedito labore versari velle videar, quamquam haberemus profecto quare literis nostris gratularemur, si eruditiores viri et ab ingenii copiis instructiores hanc operam imponi sibi paterentur, tamen invitante occasione ipse etiam eorum, quae eam in rem collecta habeo, particulam aliquam speciminis loco delibare doctorumque hominum iudiciis subiicere apud animum constitui. Et cum comicae maxime poesios cognitionem mancam et imperfectam esse intellexissem, haud ingratum me harum literarum cultoribus facturum esse existimavi, si Comicorum graecorum historiam paullo accuratius explicandam mihi sumerem. Qua in re, ne disputandi materia in immensum cresceret, hanc mihi legem dixi, ut non omnium poetarum in hoc genere clarorum historiam explicarem, sed

exclusis qui Siculam Italicamque comoediam illustravere poetis, disputationem meam in una propemodum Atticorum scena cohiberem. In quo ita versatus sum, ut singulorum poetarum aetate certioribus, si fieri potuit, finibus circumscripta, quae fuerit cuiusque indoles ex veterum scriptorum iudiciis sive potius indiciis probabiliter declarare, deperditarumque fabularum argumenta, ubi quidem id tuto fieri posse videretur, indagare studuerim.

Quum autem inde ab Aristotelis temporibus ea studiorum ratio fuerit, ut magna doctrinae pars in scenicorum poetarum interpretatione poneretur [1]), nihil quod ab harum quaestionum consilio alienum sit nobis facere videmur, si praefationis loco de veterum grammaticorum studio in comicorum poetarum enarratione posito paucis disputare et hanc literaturae partem in clariore, quam adhuc factum est, luce collocare conabimur. Igitur primus omnium, qui graecorum comicorum historiam ornavere, fuit Aristoteles, cuius duo fuerunt huius generis scripta, *Νῖκαι Διονυσιακαὶ* et *Διδασκαλίαι*, utrumque unius voluminis finibus circumscriptum. Ex his quas primo loco commemoravimus *Νίκας Διονυσιακάς*, earum praeter titulum a Diogene Laert. V, 1, 26 servatum nihil superest. In Didascaliis autem de tragicarum comicarumque fabularum temporibus egerat, usus eam in rem veteribus illis didascaliis, de quarum ratione post Casaubonum optime exposuit nuper Boeckhius Corp. Inscr. I p. 350. Nec tamen credam ita de his rebus disputasse Aristotelem ut totam *ἱστορίαν θεατρικὴν* complexus sit, quae Wouwerii Polym. XII p. 103 sententia fuit, vel propter ambitum scripti nequaquam commendabilis. Paullo probabilius videri possit eodem libro de hominibus in antiqua comoedia exagitatis

[1]) Vid. Casaubonus ad Athen. VI p. 235 e.

egisse scriptorem. Scholiasta Aristoph. Av. 1386 (1379) εἴρηται δὲ περὶ αὐτοῦ (Cinesiam poetam dicit) ἐν Βατράχοις· ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις δύο φησὶν γεγονέναι. Sed ne talia quidem attigisse videtur nisi breviter et in transcursu. Quae praeterea e Didascaliis ad comicas fabulas spectantia servata sunt vide apud Photium Lex. s. v. ὄνου σκιὰ p. 338, 18 Ἀριστοτέλης δὲ ἐν Διδασκαλίαις καὶ δράματός τινος φέρει ἐπιγραφὴν Ὄνου σκιάν, quae ad Archippum spectant, et apud Scholiastam Platonis Bekk. p. 330, ubi de anno quo Aristophanis Ciconiae et Meleti Oedipodia actae sunt disputatur, ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν ἔθηκεν (leg. καθῆκεν), ὡς Ἀριστοτέλης Διδασκαλίαις. Reliquorum scriptorum loca, quibus laudantur Didascaliae, apposuit Casaubonus ad Athen. VI p. 235 e, ex quibus unum commemorare iuvat Harpocrat. s. v. διδάσκαλος p. 130 ὅτι ὁ Παντακλῆς ποιητής, δεδήλωκεν Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις, cuius ope redintegrare licebit veteris ni fallor sive inscriptionis sive didascaliae fragmentum apud Stephan. Byzant. s. v. Ἀτήνη p. 191 Ἀτήνη δῆμος Ἀντιοχίδος φυλῆς — ὁ δημότης Ἀτηνεύς· Πατροκλῆς Ἀτηνεὺς ἐχορήγει καὶ Πανταχλῆς. Quae ita fere redintegranda sunt: Πατροκλῆς Ἀτηνεὺς ἐχορήγει, [Ἀντιοχὶς] ἐνίκα, Πανταχλῆς [ἐδίδασκεν]. Ubi post Πανταχλῆς etiam demi nomen excidit. Similes titulos vide apud Boeckhium Inscr. I p. 346. De Pantacle poeta cfr. Antiphon de Chor. p. 72 Bkk. Adderem his alium Aristotelis librum, quem Wouwerius Didascaliarum partem fuisse suspicatur, nisi corruptus esset scripti titulus. Laudatur ab Erotiano gloss. Hippocr. p. 177. Ἡρακλείης νόσου: τῆς ἐπιληψίας, διὰ τὸ ἰσχυρὸν τοῦ νοσήματος καὶ δυσκαταμάχητον, ὡς μαρτυρεῖ καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τοῖς Κωμικοῖς. Quamquam quod Stephanus coniecit et Charterius recepit ἐν τοῖς Κυκλικοῖς, nullam ha-

bet veri speciem: nec *Κυκλικὰ* scripsit Aristoteles sed *Ἐγκύκλια*. Qui sciunt quam graves corruptelas bis terve in codicibus Erotiani nomina propria subierint, non improbabunt fortasse coniicientem *Σοφοκλῆς ἐν τοῖς Καμικίοις*. In Camiciis, satyrica fabula, cuius titulus etiam apud alios grammaticos in Comicos corruptus est, Herculeum morbum commemorari potuisse nemo negabit. Sed probabo si quis certiora attulerit; hoc unum adiicere liceat, inter Aristotelis scripta ne unum quidem reperiri, quod vel cum aliqua veri specie Comicis illis substituas.

Ex Aristotelis disciplina prodierunt viri doctrinae laude florentissimi, Lynceus Samius, Theophrastus Eresius, Dicaearchus Messenius, Chamaeleon Heracleota. Ex his Lynceum, Duridis historici fratrem, quem inter alia de Menandro commentatum esse docui Proleg. p. XXIII, verbo tetigisse sufficiat. Theophrastum autem scripsisse librum *περὶ κωμῳδίας* testantur Diogenes Laert. V 2, 47 et Athenaeus VI p. 261 d. *Τιρυνθίους φησὶ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ κωμῳδίας φιλόγελως ὄντας, ἀχρείους δὲ πρὸς τὰ σπουδαιότερα τῶν πραγμάτων, καταφυγεῖν ἐπὶ τὸ ἐν Δελφοῖς μαντεῖον, ἀπαλλαγῆναι βουλομένους τοῦ πάθους, καὶ τὸν θεὸν ἀνελεῖν αὐτοῖς, ἢν θύοντες τῷ Ποσειδῶνι ταῦρον ἀγελαστὶ τοῦτον ἐμβάλωσιν εἰς τὴν θάλατταν, παύσεσθαι* etc. Qui locus fortasse ex prooemio libri petitus est, in quo de vi et natura ridiculi exposuisse videtur. E Dicaearchi scriptis maxime huc pertinet quod *περὶ μουσικῶν* sive *Διονυσιακῶν ἀγώνων* composuit laudatum ab Schol. Platonis Bekk. p. 340 Aristoph. Ran. 1329 Av. 1403. Ex eodem libro petita sunt haud dubie quae de Tellene auloedo et poeta lyrico servavit Zenob. II 15, et quae de repetita Ranarum *διδασκαλίᾳ* e Dicaearcho narrantur in argumento huius fabulae. Neque aliunde ducta crediderim quae de Aristophanis filiis prostant apud Scholiastam

Plat. Bekk. p. 331. Idem opus literatissimi hominis sub titulo *ἱστορίας μουσικῆς* tum aliis locis habemus, tum apud auctorem Vitae Aeschyli p. 13 Rob. commemorari et Dicaearchi nomen excidisse existimat Dobraeus ad Aristoph. ed. Lips. vol. IX 2 p. 209. Cautior Dobraeo Naekius, cuius egregia extat de Dicaearcheo libro disquisitio, quem verissime, ut mihi quidem videtur, magni operis de Vita Graeciae partem fuisse statuit, v. Museum Rhen. I p. 40 sqq. De Chamaeleonte, viro multarum literarum, post Ionsium Script. Hist. philos. I, 17 et Vossium Hist. Graec. III p. 340 disputavit Boeckhius Praef. ad Pind. Schol. p. IX. Is inter alia scripserat *περὶ κωμῳδίας*, cuius sextum librum habes apud Athen. IX p. 374 a. 406 e. ubi de Hegemone Thasio et Anaxandride disputatur. Locorum ex Athenaeo allatorum primo liber ille *περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας* inscriptus fuisse dicitur, quo titulo etiam Eumeli Peripatetici liber ferebatur commemoratus a Scholiasta MS ad Aeschin. c. Timarch. § 39, 4. *Εὔμηλος ὁ Περιπατητικὸς ἐν τῷ τρίτῳ περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας φησὶ Νικομένη τινὰ ψήφισμα θέσθαι μηδένα τῶν μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα μετέχειν τῆς πόλεως, ἂν μὴ ἄμφω τοὺς γονέας ἀστοὺς ἐπιδείξηται, τοὺς δὲ πρὸ Εὐκλείδου ἀνεξετάστως ἀφεῖσθαι.* De qua lege infra dicendi locus erit. Eumelus autem ille fortasse non diversus est ab eo qui commemoratur ab Diogene Laert. V, 1, 5. *ἐνταῦθα δὴ πιὼν* (Aristotelem dicit) *ἀκόνιτον ἐτελεύτησεν, ὥς φησιν Εὔμηλος ἐν τῇ πέμπτῃ τῶν ἱστοριῶν, βιοὺς ἔτη ἑβδομήκοντα. ὁ δ' αὐτός φησιν αὐτὸν καὶ Πλάτωνι τριακοντούτην συστῆναι, διαπίπτων.* Denique in eodem Chamaeleontis libro etiam de saltatione comica actum fuisse docet locus ab Athen. XIV p. 628 e servatus, quem ex eodem opere ductum esse recte statuit Schweighaeuserus. Chamaeleonti suppar aetate fuit Crates Atheniensis, Polemonis in Acade-

mia successor, qui moriens reliquerat libros *περὶ κωμῳδίας*, cuius rei notitiam uni debemus Apollodoro apud Diogenem Laert. IV, 4, 23. *τελευτῶν δὲ ὁ Κράτης, καθά φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ τῶν Χρονικῶν, ἀπέλιπε βιβλία τὰ μὲν φιλοσοφούμενα, τὰ δὲ περὶ κωμῳδίας.* Nec negligendum hoc loco commemoratum a Suida vol. III p. 612 Philochori historici opus *περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀγώνων* septendecim libros complexum, ex quo perdignam memoratu particulam servavit Athenaeus XI p. 464 f. *Ἀθηναῖοι τοῖς Διονυσιακοῖς ἀγῶσι τὸ μὲν πρῶτον ἠριστηκότες καὶ πεπωκότες ἐβάδιζον ἐπὶ τὴν θέαν καὶ ἐστεφανωμένοι ἐθεώρουν, παρὰ δὲ τὸν ἀγῶνα πάντα οἶνος αὐτοῖς ᾠνοχοεῖτο καὶ τραγήματα παρεφέρετο, καὶ τοῖς χοροῖς εἰσιοῦσιν ἐνέχεον πίνειν, καὶ διηγωνισμένοις ὅτ' ἐξεπορεύοντο ἐνέχεον πάλιν· μαρτυρεῖν δὲ τούτοις καὶ Φερεκράτη τὸν κωμικὸν* (Athen. XI p. 485 d) *ὅτι μέχρι τῆς καθ' ἑαυτὸν ἡλικίας οὐκ ἀσίτους εἶναι τοὺς θεωροῦντας.* Haec enim ex ipso illo Philochori libro petita esse vidit Siebelisius Fragm. Philoch. p. 85.

Sequuntur tempora Ptolemaeorum, quibus vix dici potest quanta cum virium contentione critici etiam in hoc literarum genere desudaverint. Ac Philadelpho imperante prae ceteris dignus est qui commemoretur Lycophro Chalcidensis, de quo memorabile extat Caeci h. e. Tzetzae [2]) testimonium, primum ab Osanno, qui id in cod. Plauti Rom. repperit, mecum communicatum, postea plenius ab Ritschelio editum in G. Partheii Commentatione de Museo Alexandr. p. 219. Est autem hoc: Ex Caecio (Caeco) in commento comoediarum Aristophanis in Pluto, quam possumus Opulentiam nuncupare. Alexander

---

[2]) Vid. Lobeckius ad Sophoclis Aiac. p. 112 et G. Dindorfius in Welckeri et Naekii Museo Rhen. IV p. 232.

Aetolus et **Lycophron** Chalcidensis et **Zenodotus** Ephesius impulsu regis Ptolemaei Philadelphi cognomento, qui mirum in modum favebat ingeniis et famae doctorum hominum, graecae artis poeticos libros in unum collegerunt et in ordinem redegerunt, Alexander tragoedias, Lycophron comoedias, Zenodotus vero Homeri poemata. Itaque in ordinanda bibliotheca Alexandrina comicorum veterum colligendorum iustoque ordine disponendorum partes demandatae erant Lycophroni, quem rationes eius rei exposuisse credibile est in opere *περὶ κωμῳδίας*, sed ita tamen ut simul etiam de aliis rebus ad comicorum interpretationem spectantibus disputasse videatur. Athen. VII p. 278 b. *Ἀρχέστρατος ἐν τῇ Γαστρολογίᾳ, οὕτως γὰρ ἐπιγράφεσθαί φησι Λυκόφρων ἐν τοῖς περὶ κωμῳδίας, ὡς τὴν Κλεοστράτου τοῦ Τενεδίου Ἀστρολογίαν.* Idem XI p. 485 d. *Λυκόφρων ἐν τῷ ἐνάτῳ περὶ κωμῳδίας παραθέμενος τὰ Φερεκράτους* (locum dicit ex Pherecratis Crapatalis) *καὶ αὐτὸς εἶναί φησι γένος κύλικος τὴν λεπαστήν*, et XI p. 501 d. *Κρατίνου εἰπόντος ἐν Δραπέτισιν „δέχεσθε φιάλας τάσδε βαλανειομφάλους" Ἐρατοσθένης ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ περὶ κωμῳδίας τὴν λέξιν ἀγνοεῖν φησι Λυκόφρονα.* Ubi quod in Cratini versu interpretando adversarium nactus est Eratosthenem, id accidit illi etiam in iis quae de Aristophane commentatus est. Scholiasta ad Vesp. 739 *πρὸς τὸν Λυκόφρονα κόρκορον λέγοντα ἰχθύδιόν τι, ἠπάτηται δέ, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης. ἔστι γὰρ λάχανόν τι ἄγριον καὶ εὐτελές.* Idem ad Pac. 701 *Λυκόφρων τὸ ὡρακιᾶν ἀντὶ τοῦ ὠχριᾶν, Ἐρατοσθένης δὲ ὑπὸ ἐκλύσεως ἐσκοτῶσθαι*, et ad Plut. 1195 *ὅτι ὁ Λυκόφρων, ὡς ὁ Ἐρατοσθένης φησίν, ᾠήθη πρῶτον τοῦτον* (Aristophanem in Pluto) *δᾷδας ᾐτηκέναι. πεποίηκε δὲ καὶ ἐν Ἐκκλησιαζούσαις αὐτό.* Hesychius vol. II p. 194

κατειλυσπωμένην: ὁ μὲν Λυκόφρων καταρτωμένην, Ἐρατοσθένης δὲ συγκεῖσθαι τὴν λέξιν ἐκ τοῦ εἱλεῖν καὶ σπᾶσθαι. His adde Suidam s. v. *τευτάζειν.* Nec aliunde petita sunt quae habet Schol. Platonis Bekk. p. 369 *τὸ νῦν βόμβαξ λεγόμενον πύππαξ ἔλεγον, ὡς καὶ Λυκόφρων ᾠήθη.* Porro in eodem argumento magna cum industria versatus est Callimachus Cyrenaeus, quippe cuius tabulae totam omnium fabularum memoriam complectebantur. Libri titulus fuit *πίναξ τῶν κατὰ χρόνους καὶ ἀπ' ἀρχῆς γενομένων διδασκαλιῶν.* Eius pauca supersunt fragmenta a Bentleio collecta p. 220 Blomf. Aequalis ferme Lycophroni et Callimacho, sed utriusque subinde adversarius [3]) fuit Eratosthenes, cuius operi *περὶ κωμῳδίας* duodecim, ut videtur, libros complexo (Phot. Lex. s. v. *εὔκλεια*) utinam temporis iniuria pepercisset! Nunc pauca tantum pro ambitu libri fragmenta servata sunt, ex quibus quantam iacturam in hoc opere literae fecerint abunde perspicitur. Ea diligenter composuit Bernhardius Eratosth. p. 203 sqq. quibus nunc addere licet quae de Cleone leguntur apud Scholiastam Venet. Aristoph. Pac. 48. Nec omittendus idem ad Thesm. 516. *Θεόφραστος . . . . πῖν φησὶ τῆς πίτυος καὶ τῆς πεύκης. Ἐρατοσθένης ἀγγεῖον τουσφ . . . . ν τῆς μελίσσης ὅπου οἱ σκώληκες . . . . σιν.* Quae ita fere redintegranda sunt, *Θεόφραστος προάνθησίν φησι τῆς πίτυος καὶ τῆς πεύκης. Ἐρατοσθένης ἀγγεῖον τοῦ σφηκίου τῆς μελίσσης, ὅπου οἱ σκώληκες ἐντίκτουσιν.* Cfr. Theophrast. Hist. plant. III, 6 et Schol. Aristoph. Vesp. 1106. Iisdem temporibus vixit

---

3) Ad Lycophronem quae spectant Eratosthenis reprehensiones iam enotavimus: de Callimacho v. Schol. Aristophan. Nub. 549, ex quibus quam sobrii et circumspecti iudicii virum etiam his in rebus se praestiterit Eratosthenes illustri exemplo intelligitur.

Dionysiades, patria Mallotes, Pleiadi tragicorum adscriptus, vid. Naekius Sched. crit. p. 3. Is auctor fuisse perhibetur libri *Χαρακτῆρες ἢ Φιλοκωμῳδὸς* inscripti, *ἐν ᾧ τοὺς χαρακτῆρας ἀπαγγέλλει τῶν ποιητῶν* Suidas vol. I p. 1386 Bernh. Non de quibusvis poetis, sed de comicis in libro actum fuisse vel titulus indicat; quamquam mirum est tale argumentum tractasse poetam tragicum: ac fortasse is alius est Dionysiades. Nisi *Φιλοτραγῳδὸς* scribere praestat, quo titulo Alexin fabulam docuisse constat ex Stobaeo Flor. CVIII 52. Scripsi autem *Φιλοκωμῳδὸς* pro *Φιλοκωμῳδοί*, quae vix apta est libri in quo de comicorum poetarum indole et ingenio agitur inscriptio; recte contra *Φιλοκωμῳδός*, ad quam normam etiam nostrates libros inscribere solent, v. c. der Gartenfreund et quae sunt similia. Eratosthene et Dionysiade aliquanto posterior fuit Protagorides Cyzicenus, cuius *κωμικὰς ἱστορίας* habemus apud Athen. III p. 124 e. Valde enim placet Schneideri coniectura ad Nicandri Alexiph. 3 Protagoridem grammaticum non diversum fuisse statuentis a Protagora Cyziceno eo, cui Nicander Alexipharmaca inscripsit. Protagoras et Protagorides eadem sunt nomina. Cfr. Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. p. 325 et Lobeckius Aglaoph. p. 996. Sub Ptolemaeo Philopatore inclaruit Asclepiades Myrleanus, de quo docte disseruit Werferus Act. Phil. Monac. II p. 535, neglecto tamen Athenaeo XI p. 501 e. *ὁ Μυρλεανὸς Ἀσκληπιάδης ἐν τοῖς περὶ Κρατίνου*, quibus verbis an non iustus in Cratini fabulas commentarius significetur dubitare licet. Eundem in Aristophane illustrando plurimum operae posuisse ex Scholiis constat. Cfr. Hesychium s. v. *Κολακοφοροκλείδης*. Nec minus strenue in eadem palaestra versatus est Aristophanes Byzantius, sub Ptolemaeis Philopatore et Epiphane clarus. Is non modo in Aristophanem Menandrum aliosque fortasse comicos (v. Wolfii Proleg. p. CCXX)

commentatus est, sed scripsit etiam πρὸς τοὺς Καλλιμάχου πίνακας, ut discimus ex Athen. IX p. 408 f, qui idem opus respicit lib. VIII p. 336 e. οὔτε γὰρ Καλλίμαχος αὐτὸ (Alexidis drama) οὔτε Ἀριστοφάνης ἀνέγραψεν. Eiusdem librum περὶ προσώπων praeter Festum s. v. *Maeson* laudat Athen. XIV p. 659 b, cui simile fuit scriptum Homeri Sellii (quem etiam de Menandro commentatum esse docuimus Proleg. p. XXXIV) περὶ τῶν κωμικῶν προσώπων apud Suidam s. v. Ὅμηρος vol. II p. 690. Cum Aristophane Aristarchi, Demetrii sive Ixionis, Euphronii, Artemidori, Callistrati et Symmachi memoriam coniungimus, quorum tanta fuit in hoc literarum genere et maxime in Aristophane interpretando industria, ut peculiarem sibi poscant operam, quam in aliud tempus differre satius est. Nunc hoc unum monere liceat Symmachi nomen delitescere apud Suidam vol. III p. 583, quod fugit Kusterum. Callistratum etiam in aliorum comicorum interpretatione versatum esse docet Athenaeus XII p. 495 a. ubi laudatur eius commentarius in Thressas Cratini.

Sequuntur critici Pergameni, quorum πίνακας commemorat Dionysius Halic. vol. V p. 630 Rsk. Magnam in his laudem consequuti sunt Crates Mallotes sive Pergamenus, cuius ἀναγραφὰς δραμάτων habemus apud Athen. VIII p. 336 e, et Carystius Pergamenus, cuius librum περὶ Διδασκαλιῶν laudat Athen. VI p. 235 e. cfr. Boeckhius Corp. Inscr. I p. 350. Ex Cratetis disciplina profectus est Herodicus, quamquam plures hoc nomine fuerunt grammatici de quibus vide Wolfii Proleg. p. CCLXXVII. Huius Κωμῳδούμενα, quae ad similitudinem τῶν Τραγῳδουμένων Asclepiadis Tragilensis composita fuisse videntur, ad partes vocat Athen. XIII p. 586 a. cll. Harpocrat. s. v. Σινώπη, ubi de Sinope scorto famosissimo, et lib. XIII p. 591 c, ubi de Phryne aliisque eiusdem nominis meretricibus agitur. Ex

eodem opere petita sunt quae leguntur apud Hesychium s. v. *Κολακοφοροκλείδης* et apud Scholiastam Aristophanis Vesp. 1231 *Ἁρμόδιος δὲ ἐν τοῖς κωμῳδουμένοις καὶ τὸν Ἄδμητον ἀνάγει, γραφὴν παραθεὶς Κρατίνου.* Ubi Herodici nomen restituendum esse vidit Suevernius Comment. de Aristophanis Avib. p. 28. Eiusdem et tituli et argumenti opus ferebatur Nicanoris Alexandrini sub Hadriano clari apud Suidam vol. II p. 621 et Eudoc. p. 311, et Antiochi Alexandrini *περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ Κωμῳδουμένων ποιητῶν* apud Athen. XI p. 482 c. Denique Telephi Pergameni librum, in quo de tragicorum et comicorum poetarum vitis exposuerat, commemorat Suidas vol. III p. 460.

Caesaris et Augusti temporibus hanc partem literarum magna cum cura illustravit Aristarchi discipulus Didymus ille Chalcenterus, cuius *λέξιν κωμικὴν* adhibuit Hesychius, ipso fatente in Epistola ad Eulogium. Idem opus *τὸ κωμικὸν* audit apud Etymol. M. p. 492, 53, qui locus plenior extat in Lexico MS apud Ruhnkenium Praef. Hesychii p. IX, ubi quae disputatur de voce *καρύκη*, ea in cod. Paris. Oro tribui monuit Bekkerus Anecd. Gr. III p. 1386. Ex eodem Didymi opere ducta videntur haec apud Scholiastam Apollonii Rhod. I, 1139 *τινὲς δὲ ῥύμβον αὐτὸ καλοῦσιν, ὧν ἐστι καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος* (lege *ὡς Δίδυμος*) et quae ibidem leguntur ad lib. IV 1058 *στρευγομένοις — ὅθεν καὶ στρὰγξ ἡ κατὰ βραχὺ πρόεσις τοῦ ὕδατος. οὕτω Δίδυμος.* Nec dubito quin multa quae apud Hesychium Photium aliosque grammaticos tacito auctoris nomine leguntur ex eodem fonte fluxerint. Praeterea Didymus etiam in Phrynichum Athen. IX p. 371 f, in Cratinum Hesych. s. v. *Κόρσακις* et Athen. XI p. 501 e, in Menandrum Etymol. Gud. p. 338, 25 aliosque fortasse commentatus est. Haud dispar Aelii Theonis et Epithersis Nicaeensis studium fuit. De Theo-

nis *λέξει κωμικῇ* disseruit Ruhnkenius Praef. Hesych. p. IX sq. Cfr. Phrynichus Ecl. p. 377. *σαπρὰν οἱ πολλοὶ ἀντὶ τοῦ αἰσχράν. Θέων φησὶν ὁ γραμματικὸς εὑρηκέναι παρὰ Φερεκράτει ληρῶν. ἅπαντα γὰρ ἃ φέρει μαρτύρια ἐπὶ τοῦ παλαιοῦ καὶ σεσηπότος εὕρηται κείμενα.* De Epitherse testis est Stephanus Byz. s. v. *Νίκαια* p. 591 *Ἐπιθέρσης γραμματικὸς γράψας περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ κωμικῶν καὶ τραγικῶν*, et Erotianus p. 88 *Θέρσις* (lege *Ἐπιθέρσης*) *ἐν δευτέρῳ τῶν λέξεων ἄμβωνά φησι χεῖλος εἶναι σκεύους.* Qui si idem est Epitherses grammaticus, quem commemorat Plutarchus de def. orac. p. 419 B. et ex Plutarcho Eusebius Praep. Evang. IV 17, de aetate viri nulla potest esse dubitatio. Iisdem ferme quibus Didymus vixit temporibus Augusto imperium tenente floruit Juba, regum literatissimus, cuius *ἱστορίαν θεατρικὴν* habemus apud Photium Bibl. 161 p. 104, 35 Bekk. ubi decimus septimus liber amplissimi operis commemoratur. Idem passim laudat Athenaeus, ut IV p. 175 d. 177 a. quibus locis de trigono et tibiis *ὑποτρήτοις* agitur. His adde Scholiasten Ravennatem ad Aristoph. Ran. 1175 *Βαρβαρικὸν καὶ Περσικὸν ὄκλασμα καλεῖται καὶ Περσικὸν ὄρχημα, περὶ οὗ Ἰόβας μακρὸν πεποίηται λόγον ἐν τοῖς περὶ τῆς θεατρικῆς ἱστορίας.* Ita enim haec correxit Dindorfius ad Aristophanis Fragm. p. 147. Ducta autem haec sunt ex quarto operis libro, in quo de saltationibus scenicis expositum fuisse docet Hesychius, *Κλώπεια: ὄρχησίς τις, ὡς Ἰόβας ἐν τετάρτῳ Θεατρικῶν.* Praeterea cfr. Schol. ad Demosth. de Falsa Legat. p. 253, ubi qui laudatur *ὁ τὰς θεατρικὰς ἱστορίας συγγράφων* [4]) minus recte

[4]) Ne quis aoristum desideret, similiter loquutus est Scholiasta ad Pind. Olymp. XI, 83. *παρατίθεται δὲ καὶ τὸν γράφοντα τὴν Θησηίδα*, ad Isthm. III, 58. *ὁ τὴν Αἰθιοπίδα γράφων*, et Etymol. M. p. 374, 26. *ὁ τὴν Φο-*

Valckenarius Diatr. p. 182 de Asclepiade Tragilensi intellexit. Similis argumenti fuisse videntur Nestoris, incertae aetatis scriptoris, *ὑπομνήματα θεατρικὰ* ab uno Athenaeo laudata lib. X p. 415 a, ubi narrat de Herodoro tibicine Megarensi, qui vixit temporibus Demetrii Poliorcetae. Post Iubam regem Tiberio et Nerone imperantibus floruit Soteridas Epidaurius, Pamphilae doctissimae matronae (v. Proleg. ad Menandr. p. XXXIV) pater, qui praeter *ὑπομνήματα εἰς Μένανδρον* tribus libris comprehensa scripsit *περὶ κωμῳδίας*, testantibus Eudoc. p. 387 et Suida vol. III p. 357, ubi qui testis advocatur Dionysius in *μουσικῇ ἱστορίᾳ*, eum non diversum fuisse ab eo quem Suidas s. v. *Ἀντιφάνης*, ubi de Antiphanis comici patria agitur, ad partes vocat, haud inepte coniicias ex Stephano Byz. s. v. *Ὑδρέα* p. 724 ubi de Euage poeta comico citatur *Διονύσιος εἰκοστῷ τρίτῳ τῆς μουσικῆς ἱστορίας*. Totum opus sex et triginta libris constabat, ut discimus e Suida s. v. *Διονύσιος*, ubi patria Halicarnassensis fuisse et sub Traiano vixisse dicitur. Cfr. s. *Ἡρωδιανός*. Antonino Pio imperante scripsit Hephaestio Alexandrinus, cuius *λύσεις ἀπορημάτων κωμικῶν* unus Suidas commemorat vol. II p. 85. Porro multum studii in his rebus posuerat Galenus sub Antonino Philosopho clarus, cuius compluria fuerunt scripta huius generis, quorum unum inscriptum fuit *εἰ χρήσιμον ἀνάγνωσμα τοῖς παιδευομένοις ἡ παλαιὰ κωμῳδία*, alterum *τῶν ἰδίων ὀνομάτων κωμικῶν παραδείγματα* uno libro comprehensum, tertium *τῶν παρ' Εὐπόλιδι πολιτικῶν ὀνομάτων* tribus constans libris, tum *περὶ τῶν παρὰ*

ρωνίδα γράφων. Quae attentare non debebat C. G. Muellerus de Cyclo Graecorum epico p. 60. 64. Adde Polybium in ipso operis initio: *τοῖς πρὸ ἡμῶν ἀναγράφουσι τὰς πράξεις*, ubi Casaubonus scribebat *ἀναγράψασι.* Neque alia huius usus exempla desunt.

Ἀριστοφάνει πολιτικῶν ὀνομάτων libros quinque, duos denique libros *περὶ τῶν παρὰ Κρατίνῳ πολιτικῶν ὀνομάτων.* Sed horum omnium praeter titulos, quos ipse indicavit Opp. T. IV p. 368 Bas. nihil servatum est. Alexandro Severo imperante Athenaei Naucratitae, ut videtur, aequalis fuit Palamedes Eleaticus, de quo erudite disputavit Boeckhius Praef. Pind. Schol. p. XIX. Huius *κωμικὴν λέξιν* praeter Suidam laudat Etymol. M. s. v. *ἁρμάτειον μέλος* p. 145, 44 *Παλαμήδης ἱστορικὸς* (Boeckh. *Ἐλεατικὸς*) *ὁ τὴν κωμικὴν λέξιν συναγαγών.* Cfr. Hemsterhusium ad Aristoph. Plut. 313 et Valckenarium ad Iliad. lib. XXII p. 158. Tertio saeculo Caracallae ferme temporibus Sopater Sophista in Eclogarum lib. IV et V multa de tragicorum comicorumque rebus tradiderat, praeter Aristoxeni miscellanea usus eam in rem Rufi *ἱστορίᾳ δραματικῇ* vel *μουσικῇ*, testante Photio Bibl. 161 p. 103 Bekk. Denique incertae aetatis scriptorum, Amaranti Alexandrini [5]) librum *περὶ σκηνῆς* apud Athen. VIII p. 343 f et X p. 414 f, Chariclis commentarium *περὶ ἀστικοῦ ἀγῶνος* ab eodem Athen. VIII p. 350 c laudatum, Latini librum *περὶ τῶν οὐκ ἰδίων Μενάνδρου*, de quo diximus Proleg. Menandr. p. XXXIII, Dorothei Ascalonitae scriptum de Antiphane apud Athen. XIV p. 662 f, Menaechmi librum *περὶ τεχνιτῶν* h. e. de histrionibus apud Athen. II p. 65 b et omisso libri indicio XIV p. 635 b. 637 f. 638 a laudatum, Platonii libellum adhuc superstitem *περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν* et alia scripta aliorum Aristophani praemitti solita verbo attigisse sufficiat; nec quidquam praeterea his addendum habeo nisi anonymi auctoris Lexicon comicum, ex quo insigne excerptum de orichalco protulit Scholiastes Apoll. Rh. IV 973, ubi titulum

---

[5]) Fortasse is idem est, qui in Theocriti Thalysia commentatus est teste Etymol. M. p. 273, 40.

libri habemus hunc ἡ κωμικὴ λέξις ἡ πάμμικτος. sed ad vs. 1614 citatur ἐν τῷ κωμικῷ λεξικῷ, pro quo teste Invernizio Praef. Aristoph. p. XXVII Vaticani codices habent ἐν τῇ κωμικῇ λέξει. Atque ita etiam Scholiasta Aristophanis Plut. 313, ubi Hemsterhusius Palamedem, de quo modo diximus, libri auctorem fuisse suspicatur. Sed haec valde incerta est coniectura; certius est multa ex anonymo illo opere in Lexica sua transtulisse Hesychium et Photium, de quo ante Blomfieldium Cens. Photii Hermann. p. 741 Lps. verbo admonuit Ruhnkenius Auctar. Hesych. ad II p. 390.

His praemissis iam accedamus ad id quod nobis agendum proposuimus, et qui antiquam comoediam illustraverunt poetas deinceps recenseamus.

Antiquissimi igitur qui Cratini aetatem superant poetae comici apud Atticos commemorantur Susario, Euetes, Euxenides, Myllus, Chionides, Magnes, Ecphantides, fortasse etiam Tolynus. In his quem primo loco posui SUSARIO Megarensis, Philini filius, patriam habuit Tripodiscum, Megaricae ditionis vicum, unde ille in Atticam profectus apud Icarios, Dionysiacorum sacrorum cultu nobilitatos, v. Athenaeus II p. 40 b et Scholiasta Iliad. χ′ 29, primus omnium versibus comoedias docuisse creditur. V. Scholiasta Dionysii Thrac. p. 748, Tzetzes apud Cramerum Anecd. vol. III p. 336, Schol. Hermogenis apud Reiskium Orat. Graec. vol. VIII p. 959 et Bentleius Phalar. ed. Lips. p. 262. Quae si vera sunt, ut sunt sane meo iudicio verissima, non dubitari posse videtur, quin prima Atticae comoediae paullo artificiosius excultae initia a Megarensibus sint repetenda. Idque ipsos etiam Megarenses sibi persuasisse, praeter Aspasium ad Aristotelis Eth. Nicom. IV, 2 docet nobilissimus locus Aristotelis Art poet. III, 5. Utebantur autem Megarenses, Aristotele teste duobus potissimum argumentis, quibus sibi comoediae origi-

nem vindicarent, quorum alterum ex ipso *κωμῳδίας* nomine petitum utpote levius praetermitto; v. Muelleri Dor. II p. 351 et Anonymum de Comoedia p. XXVII Beck. Gravius alterum, ex populari illud quod apud Megarenses floruit imperio ductum: *ἀντιποιοῦνται*, inquit, *τῆς μὲν κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς, οἵ τε ἐνταῦθα, ὡς ἐπὶ τῆς παρ' αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης, καὶ οἱ ἐκ Σικελίας· ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπίχαρμος ὁ ποιητής.* Mitto postrema: ad seriora enim spectant tempora. At Nisaeorum Megarensium democratiam quam tandem intellexisse putabimus Aristotelem? Tacent interpretes, nisi quod Hermannus democratiam Megarensium sublatam esse adnotat Olymp. LXXXIX, 1. Sed ad hanc quidem illos, comoediae a se inventae antiquitatem declaraturos, provocare non potuisse, nemo non intelligit. Itaque noli dubitare, quin eam Megarenses democratiam intelligi voluerint, quae brevi post expulsum Theagenem instituta fuit, quaeque, demagogis plebem dulci libertatis potu inebriantibus, in effrenem plane licentiam degeneravit. Plutarchus Quaest. graec. p. 295 D. *Μεγαρεῖς Θεαγένη τὸν τύραννον ἐκβαλόντες ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν κατὰ τὴν πολιτείαν· εἶτα πολλὴν — καὶ ἄκρατον αὐτοῖς ἐλευθερίαν τῶν δημαγωγῶν οἰνοχοούντων διαφθαρέντες παντάπασι τά τε ἄλλα τοῖς πλουσίοις ἀσελγῶς προσεφέροντο καὶ παριόντες εἰς τὰς οἰκίας αὐτῶν οἱ πένητες ἠξίουν ἑστιᾶσθαι καὶ δειπνεῖν πολυτελῶς κ. τ. λ.* Quibus adde quae his similia narrat ibid. p. 304 E. Sed Theagenes quo tempore expulsus sit a civibus, nusquam notatum reperio; neque multum tamen a vero aberraverit, qui id Olymp. XLIII vel XLIV factum esse statuat. Nam Olympiade XLII ineunte adhuc firmam et incolumem fuisse Theagenis dominationem ex eo intelligitur, quod illo tempore Cylonem, generum suum, in occupanda Athenarum arce praesenti auxilio sustentavit, Thucyd. II,

126, Corsini Fast. Att. III p. 64 et Heinrichii Epimen. p. 17. 80. In Megarico autem bello de Salamine insula cum Atheniensibus exorto, quod in Olymp. XLV incidere videtur, nullam Theagenis mentionem ab antiquis scriptoribus fieri videas; neque profecto Megarenses, nisi tum temporis iam expulissent tyrannum patria, Lacedaemonios advocassent, qui motam de insula litem arbitrio suo dirimerent, Plutarch. Sol. 10. Quae si recte disputata sunt, procacem illam quam Plutarchus describit popularis dominationis libertatem circiter inde ab Olymp. XLV vel XLVI initium duxisse intelligitur. Eodem igitur tempore etiam comoedia, popularis imperii socia et alumna, apud Megarenses effloruit, neque multo post, inter Olymp. L et LIV, v. Marm. Arund. Epoch. 34, Susarione auctore in Atticam immigravit. Sed antiquissimae huius apud Megarenses et Icarios comoediae quae indoles et ratio fuerit, in ancipiti positum est. Quamquam Megarenses quidem, quos ipsam naturam ad conviciorum petulantiam finxisse Pittaci dictum in Anthol. Palat. II p. 445 significat, *Μεγαρεῖς δὲ φεῦγε πάντας, εἰσὶ γὰρ πικροί,* Megarenses igitur comicorum lusuum facetiis maxime optimates carpsisse vel ex eo intelligas, quod ipsi comoediam florente apud se populi imperio natam esse asseverabant. Sed ut ipse ille popularis Megarensium imperii status, Plutarcho teste, in petulantissimam licentiam degeneraverat, ita etiam comoedia qua usi sunt videtur ad procacissimas cavillationes descendisse et insulsissima quaeque sive praemeditato sive extemporali sermone effutiisse. Eandemque illi rationem etiam postea, Atticorum comoedia iam ad egregiam elegantiae et festivitatis laudem exculta, ita tenuerunt, ut *Μεγαρικὸν γέλωτα*, quo tum contumeliosam irrisionem tum ineptum et insipidum iocandi genus designabant, Attici poetae proverbii loco usurparent, Hesychius v. *γέλως* et Muelleri Dor. II

p. 849 [6]), atque omnino Megaricam comoediam quocunque modo possent in contemtum adducerent. Suidas s. v. *γέλως* T. I p. 471 *ἤκμασε γὰρ ἡ Μεγαρικὴ κωμῳδία ἀώρως, ἣν Ἀθηναῖοι καταμωκώμενοι ἐγέλων.* Quae leguntur etiam in Proverbiis Bodl. 285 p. 30, nisi quod ibi pro *ἀώρως* scriptum est *ἐπὶ χρόνον.* Aristophanes Vesp. 57.

μηδὲν παρ' ἡμῶν προσδοκᾶν λίαν μέγα,
μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.

Ubi Scholiasta haec habet: *ἢ ὡς ποιητῶν ὄντων τινῶν ἀπὸ Μεγαρίδος ἀμούσων καὶ ἀφυῶς σκωπτόντων* [7]), *ἢ ὡς τῶν Μεγαρέων καὶ ἄλλως φορτικῶς γελοιαζόντων. Εὔπολις Προσπαλτίοις Τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν σφόδρα* [8]). In simili fabulae parte Ecphantides apud Aspasium ad Aristot. Eth. Nicom. IV, 2 haec verba posuerat: *Μεγαρικῆς κωμῳδίας ἆσμα δίειμ'. ᾐσχυνόμην τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν*

---

[6]) Ut risus Megaricus, ita etiam lacrymae Megaricae in proverbium abierunt. Hesychius, *Μεγαρέων δάκρυα: δοκεῖ πλεῖστα φύεσθαι ἐν τῇ Μεγαρίᾳ* (lege *Μεγαρίδι*) *σκόροδα, καὶ παροιμία ἐπὶ τῶν προσποιητῶς δακρυόντων.* Cfr. Bekkeri Anecd. p. 281. De tragica Megarensium poesi, ad quam tum paroemiam illam tum verbum *μεγαρίζειν* lamentari (?) spectare putabat Muellerus Dor. II p. 367, nihil plane innotuit, nisi quod Suidas Alcimenem Megarensem, tragicum poetam, commemorat, quem tamen non Megaris, sed Athenis fabulas suas docuisse probabile est; quemadmodum Phoenicidem comicum, licet genere Megarensem, fabulas tamen suas Attico theatro commisisse scimus. Itaque *Μεγαρέων δάκρυα* rectius de lacrymis per simulationem fusis interpretabimur cum Hesychio. Neque aliter Zenobius V, 8 *τὰ μὴ ἐκ παθῶν, μηδὲ ἐκ βάθους δάκρυα ἀλλ' ἐξ ἐπιπολῆς Μεγαρέων δάκρυα ἔλεγον.* Cfr. Proverbia Bodl. 626 et Photium Lex. p. 251, 23.

[7]) Ita correxi Quaest. I p. 5 editum *σκωπτομένων*, firmante nunc cod. Veneto. Pro *ἄλλως* frustra Hemsterhusius ad Pollucem vol. II p. 1131 scribebat *ἄλλους.*

[8]) De hoc loco Eupolidis dicetur in fragmentis.

ποιεῖν. Ex quo loco plura quam debebat collegit Muellerus Dor. II p. 350. Neque recte interpretatus est vir eximius:

Wohl stammt mein Lied aus Megara, die Komoedie;
Doch was geschieht, ist keineswegs Megarisch
plump.

Sensus haud dubie hic est: nolo spectatoribus molestus esse Megaricae comoediae carmine recitando; pudet enim fabulam meam insipidis, quales Megarensium poetarum sunt, iocis adspergere. Neque enim dubitari potest, quin recte olim ad Philemonis fragm. p. 382 *ᾆσμ' οὐ δίειμι* scribendum coniecerim pro edito *ᾆσμα δίειμι*, quam rationem optime Feliciani versio ex integriore Aspasii codice ducta apud Gaisfordium ad Hephaest. p. 96 confirmat: praetereo carmen Megaricae comoediae. Versus ipsi ita digerendi:

Μεγαρικῆς
κωμῳδίας ᾆσμ' οὐ δίειμ'. ᾐσχυνόμην
τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν ποιεῖν.

Denique ad eandem illam Megaricae comoediae petulantiam etiam *τὰ Μαισωνικὰ σκώμματα* pertinere existimo, quae a Maesone, Megarico histrione, qui ludicras servi et dicacis coqui personas invenerat, nomen traxisse ex Aristophane Byzantio docet Athenaeus XIV p. 659 a *Μαίσων γέγονε κωμῳδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον Μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ περὶ προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ μαγείρου. καὶ εἰκότως καὶ τὰ τούτοις πρέποντα σκώμματα καλεῖται μαισωνικά.* Cfr. Eustathius ad Hom. p. 1751, 56. Ad eundem Maesonem pertinere haec Zenobii Cent. II, 11 *ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί: αὕτη κατὰ τῶν ἀχαρίστων λέγεται. φασὶ δὲ αὐτὴν ὑπὸ Μέσωνος* (leg.

Μαίσωνος) *τοῦ Μεγαρέως* [9]) *πεποιῆσθαι*, indicavi Quaest. scen. II p. 1. Maesonis illum versum servavit etiam Photius et ex Photio Suidas, qui quod pro *δῆσαν* exhibet *τῖσαν* haud dubie reiectaneum est. Cfr. Libanius de nece Iuliani p. 285 B *ἀντὶ γὰρ εὐεργεσίας οὐκ ἐδεήθησαν* (lege *ἐδέθησαν*) *κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀλλ' ἐπεβουλεύθησαν ἀποκτεῖναι τῶν εὐνούχων τὸν μάλιστα περὶ τὴν εὐνήν.* Neque negligendus Harpocratio s. v. *Ἑρμαῖ* p. 86, 6, ex quo eundem Maesonis versum uni Hermarum Athenis inscriptum fuisse discimus: *Μενεκλῆς ἢ Καλλίστρατος* (lege *Καλλικράτης*) *ἐν τῷ περὶ Ἀθηναίων* (lege *Ἀθηνῶν*) *γράφει ταυτί· Ἀπὸ γὰρ τῆς ποικίλης καὶ τῆς τοῦ βασιλέως στοᾶς εἰσὶν οἱ Ἑρμαῖ καλούμενοι· — ἐφ' ἑνὸς δὲ αὐτῶν ἐπιγέγραπται γράμμασιν ἀρχαίοις Ἀντ' εὐεργεσίης Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί.* De quo loco qui disseruit nuper Schneidewinus Ephemer. Gotting. 1837 fasc. 86. 87 opportune monuit eandem paroemiam significari a Diogeniano apud Gaisfordium Paroem. p. V *ἔστι δὲ ἡ παροιμία τρόπος καὶ τῆς καλουμένης ἀλληγορίας· παράκειται δὲ αὐτῇ λόγος Αἰσώπειος, Καρικὸς αἶνος, Συβαριτικὸς λόγος, Κύπριος, καὶ Μαισωνικὴ παροιμία. Μάρσιππος.* Ubi pro *Μάρσιππος* fortasse *Χρύσιππος* corrigendum, quem de proverbiis commentatum esse intelligitur ex Zenobio II, 18 et III, 80 cll. Proverb. Bodlei. p. 15 A et 92 B. Ceterum Maesonem, quem etiam Musonem dictum fuisse ex Hesychio [10]) colligas, Megarensibus Siculis [11]), quos et

---

[9]) Non recte haec Welckerus Syll. epigr. p. 224 de Megarei filio interpretatus est.

[10]) Hesychius, *Μούσωνες: οἱ κορυφαῖοι τῶν μαγείρων· καὶ οἱ τεχνῖται.* Ubi *τεχνῖται* dici videntur histriones Maesonicas personas sustinentes.

[11]) Siculos Megarenses et Nisaeos etiam ab aliis inter se confundi videas, velut ab Ovidio Heroid. XV, 54 de Siculis agente, Nisiades matres Nisiadesque nurus.

ipsos sibi inventae comoediae honorem arrogasse constat, contra Timaei sententiam vindicare studuit Polemo Athenaei XIV p. 659 c. *τὸν δὲ Μαίσωνα Πολέμων ἐν τοῖς πρὸς Τίμαιον ἐκ τῶν ἐν Σικελίᾳ φησὶν εἶναι Μεγαρέων καὶ οὐκ ἐκ τῶν Νισαίων.* Cuius si vera esset sententia, histrionem illum ante Olymp. LXXIV, 2 vixisse efficeretur. Eo enim anno Megarenses a Gelone expulsos et Syracusas traductos esse constat ex Thucyd. VI, 4 cll. Herodot. VII, 156.

Eandem ridendi conviciandique scurrilitatem Susarionis quoque comoediam rettulisse credibile est; Anonymus de Com. p. XXXII *μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον*, Diomedes Grammat. III p. 486 poetae primi comici fuerunt Susario Myllus et Magnes; hi veteris disciplinae ioculatoria quaedam minus scite et venuste pronunciabant. Quamquam Susarionis lusus scenici ab Megarensium ratione eo differebant, quod versibus adstricta erant, quae illi nudo sermone effundebant dicteria. Schol. Dionysii Thrac. p. 748 *τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο*, ex quo nequaquam consequitur, ut etiam literis perscriptas fuisse eius comoedias credamus, quod recte negasse puto Bentleium Phalar. p. 258 sqq. Praemeditatos igitur fuisse Susarionis lusus, neque vero ex tempore fusos, non dubitamus: cui non repugnat Aristoteles, qui quum ab initio comoediam *αὐτοσχεδιαστικὴν* fuisse affirmat, vetustissimam eius formam, qualis iam ante Susarionem apud Atticos aliasque Graeciae gentes fuit, respexisse videtur. Praemeditatae autem si fuere Susarionis comoediae et versibus utcunque

---

Magis etiam mirum videri potest quod Crates apud Diogenem Laert. II, 118 de Stilpone philosopho posuit, *ἐν Μεγάροις ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.* Nisi is Megaricorum philosophorum vanitatem et *τῦφον* ridere voluit.

inclusae, easdem etiam quibusdam argumentorum finibus circumscriptas fuisse probabile est, ita tamen ut ipsa illa argumenta neque artificiosius excogitata neque ad certum actionis finem directa fuisse videantur. Qua in re non uno sed pluribus actoribus usum esse Susarionem, indicat Anonymus de Com. p. XXXII *οἱ περὶ Σουσαρίωνα* [12]) *τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως*, quibus deinde Cratinum opponit, qui primus omnium *τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν κατέστησε.* Quae si vera sunt, profecto in plaustris illas comoedias actitatas esse parum credibile est, quae Bentleii fuit opinio, Arundeliani lacunam marmoris Epoch. 54. 55 ita ex coniectura supplentis: *ἀφ᾽ οὗ ἐν ἀπήναις κωμῳδίαι ἐφορέθησαν* (sic) *ὑπὸ τῶν Ἰκαριέων, εὑρόντος Σουσαρίωνος* [13]). Cuius rationi etiam hoc obstat, quod plaustra illa, nisi ubi de tragoediae origine agitur, a nemine unquam commemorantur. Quamvis igitur Susarionis conatus scenicos non adeo imperfectos fuisse putamus, ut vulgo creditur, vel sic tamen totam eius rationem admodum rudem et incomptam fuisse neque populi assensum tulisse, vel illud documento esse potest, quod proximis octoginta post Susarionem annis adeo obmutuit comoedia, ut nihil quidquam de novae artis progressu et incrementis audiamus, immo ne nomen quidem poetae qui in eodem genere elaborarit a vetustis scriptoribus com-

---

[12]) Vulgo legitur *Σαννυρίωνα*, quae res Casaubono ad Athen. VII p. 286 c adeo imposuit, ut Sannyrionem, Philyllii et Strattidis aequalem, antiquae comoediae poetarum antiquissimum diceret. Susarionis nomen restituit iam Pearsonus Vindic. Pseudo-Ignat. II, 1. Idem error apud Alciphr. Epist. III, 55 cll. Aelian. Var. Hist. XIII, 15.

[13]) Boeckhius Corp. Inscr. II p. 301 locum ita redintegravit, *ἀφ᾽ οὗ ἐν Ἀθ[ήν]αις κωμῳ[δῶν χο]ρ[ὸς ηὑρ]έθη, [στη]σάν[των αὐτὸν] τῶν Ἰκαριεων, εὑρόντος Σουσαρίωνος.*

memoretur. Nec tamen post prima illa conamina prorsus exulasse ex Attica nihilque interim incrementi cepisse videtur comoedia; sed cum minus placuisset haec tota conviciandi iocandique ratio spectantibus, fortasse etiam aliis rationibus ex civitatis statu repetendis accedentibus, factum est, ut minori poetarum vel histrionum studio coleretur et fere in obscuro delitesceret, fortasse ne in urbem quidem intromissa. Aristoteles de Arte poet. V, 3 *ἡ κωμῳδία διὰ τὸ μὴ σπουδάζεσθαι ἐξ ἀρχῆς ἔλαθεν.* Octoginta demum post Susarionem annis, inde ab Olymp. LXXIII vel LXXIV, eodem igitur tempore quo Epicharmus in Sicilia comicam artem iam ad cultiorem formam expoliverat, etiam apud Atticos comoedia aliquanto elegantiori, ut suspicari licet, ornatu, quam quo antea induta fuerat, iterum surrexit, cuius rei primariam caussam ex aucta popularis imperii libertate repetendam esse sponte intelligitur. His igitur proximisque abhinc temporibus fabulas iam ipsis Athenis docuere EUETES, EUXENIDES et MYLLUS. Suidas s. v. *Ἐπίχαρμος* T. I p. 842 *ἦν δὲ (Ἐπίχαρμος) πρὸ τῶν Περσικῶν ἔτη ἕξ, διδάσκων ἐν Συρακούσαις. ἐν δὲ Ἀθήναις Εὐέτης Εὐξενίδης καὶ Μύλος* (leg. *Μύλλος*) *ἐπεδείκνυντο*, hoc est Olymp. LXXIII, 1. Ex his Euetem, cuius vel nomen suspectum videri potest, et Euxenidem praeter Suidam nemo commemorat; at Mylli memoriam praeter Diomedem Grammaticum loco supra p. 24 adscripto servarunt plures. Hesychius vol. II p. 632 *καὶ παροιμία Μύλλος πάντ' ἀκούει, ἐπὶ τῶν ἀκουόντων καὶ κωφότητα προσποιουμένων. ἔστι δὲ καὶ κωμῳδιῶν ποιητὴς οὕτω καλούμενος.* Diogenianus Prov. VI, 40 *Μύλος* (*Μύλλος*) *πάντ' ἀκούει, ἐπὶ τῶν κωφότητα προσποιουμένων καὶ πάντ' ἀκουόντων. Μύλος* (*Μύλλος*) *γὰρ κωμῳδιῶν ποιητής, ὃς μὴ ἀκούειν ὑπεκρίνετο.* Quibus similia habet Photius

Lex. p. 279, 25 et Arcadius de acc. p. 53 *Μύλλος ποιητὴς κωμικός.* Eustathius ad Iliad. p. 906, 53 *Μύλλος μὲν κύριον, μυλλὸς δὲ διεστραμμένος τὴν ὄψιν.* Idem ad Odyss. p. 1885, 21 *Μύλλος, ὅπερ ἐστὶ κύριον ὑποκριτοῦ τοῦ παλαιοῦ, ὅς μιλτωτοῖς φασὶ προσωπείοις ἐχρήσατο*, ubi quod histrio dicitur, quem ceteri comoediarum poetam dicunt, nemini fucum faciet. Quod autem *μιλτωτοῖς προσωπείοις* usus esse perhibetur, documento est, inventas iam tum fuisse personas scenicas, sed ita ut pristinae vultum minio illinendi consuetudinis vestigia superessent. Denique ad eundem Myllum spectare videntur haec Photii Lex. p. 236, 10 *Λύλλος: ποιητὴς ἐπὶ μωρίᾳ κωμῳδούμενος.* Quae paullo pinguius enuntiata sunt; neque enim Myllus propter stultitiam ab aliis poetis ridebatur, sed stultitiam simulantis partes in suis ipse fabulis agebat.

Myllum ceterosque qui una cum eo commemorantur poetas proximus quidem, at satis longo tamen proximus intervallo excipit CHIONIDES Atheniensis, de quo ita Suidas: *Χιωνίδης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ὅν καὶ λέγουσι πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, διδάσκειν δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν.* Eadem Eudocia p. 436. Quorum si vera est de aetate Chionidis sententia, Chionides iam Olymp. LXXII, 4 vel LXXIII, 1 fabulas docuit atque Myllo ceterisque paullo antiquior habendus est. Cfr. Wolfii Prol. ad Hom. p. LXIX. Quod quo minus recte fieri putem, prohibet gravissima Aristotelis auctoritas, qui cum ipse didascaliarum librum condiderit, eiusmodi in rebus falli vix potuit. Is igitur Chionidem et Magnetem Epicharmo aliquanto aetate minores fuisse testatur: *Ἐπίχαρμος πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδου καὶ Μάγνητος* Art. Poet. III, 5. Iam quum Epicharmus Olymp. LXXIII

floruerit, Chionidis aetatem vix ante Olymp. LXXX collocari posse crediderim [14]). Quod verum esse etiam alio argumento intelligitur. Nam cum Chionides in fragmento fabulae *Πτωχοὶ* inscriptae apud Athen. XIV p. 638 a. Gnesippum ludicrum poetam commemoret, is vero Cratini aequalis fuerit, Chionidem Cratini aetatem attigisse apertum est: quamquam non dissimulandum est, teste Athenaeo l. l. et IV p. 137 e, fuisse inter veteres criticos, qui ipsam illam fabulam, in qua Gnesippus commemoratur, in spuriis numerarent. Sed de hoc utcunque statuis, illud dubium esse non potest, Aristotelem ita commemorare Chionidem, ut eum omnium qui apud Atticos floruere comicorum aetate primum fuisse censuerit, non aliam puto ob caussam, quam quod omnium antiquissimus fuit quorum et scriptae et artificiosius excultae fuerunt comoediae, id quod etiam illos significare voluisse puto qui eum *πρωταγωνιστὴν τῆς ἀρχαίας* nuncuparent [15]). Fabulae eius ab Suida et Eudocia commemoran-

---

[14]) Aristotelis testimonium qui «contra me facere» edixit sed non docuit Grysarius de Comoedia Dorica p. 152 Epicharmi primam fabulam ponit Olymp. LXXI, 3, Chionidis autem LXXII, 4. Haec si vera sunt, Epicharmus non *πολλῷ*, sed *ὀλίγῳ* ante Chionidem fabulas exhibuisse dicendus erat. Eam ob causam ego reiiciendum putavi Suidae testimonium, cui adversatur etiam id quod Chionidem, qui primus verae comoediae auctor significatur ab Aristotele, antiquiorem facit Myllo et Euete et Euxenide, quorum nec scriptae extitisse videntur comoediae nec ab inculta Susarionis ratione multum remotae. De eo autem cum nemine litigabo, utrum Chionides, si vere Epicharmus Olymp. LXXI primam fabulam docuit, Olymp. LXXVI an aliquot annis prius fabulas docere inceperit.

[15]) Non optima fide mecum egit Grysarius l. l. p. 154 haec scribens «Neque, quod Chionidem primum poetarum «comicorum ego posui, eo refutatur, quod Meinekius «provocavit ad fabulam Chionidis non genuinam *οἱ* «*Πτωχοί*, qua Gnesippus Cratini aequalis commemoratus

tur tres, *Ἥρως* (lege *Ἥρωες*), *Πτωχοί*, *Πέρσαι ἢ Ἀσσύριοι*. Postremae nullum superest fragmentum. *Πτωχοὶ* praeter allata loca laudantur ab Athenaeo III p. 119 e et Grammatico Hermann. p. 325, *Ἥρωες* a Polluce X 43, Antiattic. p. 97 et Suida v. *ἄγνος*. Tacito fabulae titulo semel commemoratur Chionides a Vitruvio lib. VI praef. p. 146. Nam de Philemonis Grammat. loco p. 30 falluntur, si quid video, et Osannus et Sturzius Animadv. ad Etymol. M. p. 772. Denique de scriptura nominis admonere licet, inter *Χιωνίδης* et *Χιονίδης* fluctuante. Illud probat Kusterus, qui in Suidae loco e cod. Paris. *Χιωνίδης* edidit pro *Χιονίδης*. Contra *Χιονίδης* ubique reponendum putabant Vossius de Poetis gr. p. 25 et Casaub. ad Athen. I p. 119 e, ubi quod Schweighaeuserus scribit Athenaei MS A constanter offerre formam *Χιωνίδης*, repugnat iis quae dixit vol. VII p. 487, ubi ex eodem libro enotavit *Χιονίδης*. Utrumque habet quo commendetur. Alterum *Χιωνίδης* est a nomine *Χίων Χίωνος*, alterum a *Χίονις Χιόνιδος* (v. T. H. ad Polluc. vol. II p. 1193 et Thucyd. V, 19) vel a *Χιόνη*, ut Ovidius Ep. Pont. III, 3, 42. Eumolpum, Chiones filium, Chionidem dixit. Sed meliores libri tenent fere *Χιωνίδης*.

Cum Chionide Aristoteles ita coniunxit MAGNETEM, ut is eodem ferme quo ille tempore vixisse videatur [16]). Susarioni et Myllo qui aequalem facere videtur Diomedes Gramm.

«esset. Eam enim fabulam non ab ipso Chionide sed «ab alio conscriptam fuisse repetita vice testatur Athen. «XIV p. 638 a et IV p. 137 e.» Sed talia passim sibi licere putavit vir doctissimus. Ceterum Chionidem primum fuisse poetam comicum hoc nomine dignum, ne ipse quidem negavi.

[16]) Grysarius l. l. p. 153 qui Suidam sequutus Chionidem ponit Olymp. LXXII, 4, Magnetem assignat Olymp. LXXVI, quae ratio Aristotelis loco manifesto repugnat.

III p. 486 longe a vero aberrat. Inter Epicharmum et Cratinum medius interponitur ab Anonymo de Com. p. XXVIII. Neque repugnat Aristoteli Suidas v. *Μάγνης* T. II, 478 *ἐπιβάλλει δ' Ἐπιχάρμῳ νέος πρεσβύτῃ.* Aetate provectum obiisse Magnetem intelligitur ex Aristophanis Equit. 524 *ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ' ἥβης, ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν.* Acta autem haec fabula est Olymp. LXXXVIII, 4. Iam si eiusdem Olympiadis anno primo mortuus est sexagenarius, neque enim de magna aliqua atque eximia vitae longitudine loquitur Aristophanes, recte sane eius adolescentia in Epicharmi senectutem incidisse dici potuit, si quidem Epicharmus, qui circa Olymp. LX natus est, anno aetatis nonagesimo vel, ut aliis placet, nonagesimo septimo supremum diem obiit. V. Clintoni Fast. p. 21 Kr. Non dubitamus igitur aetatem Magnetis ita definire, ut circa Olymp. LXXX floruisse dicatur. Sed de reliquis antequam dicamus, de patria admonere licebit. Atheniensem h. e. ipsis Athenis natum dicit Anonymus de Com. p. XXVIII. Suidas autem: *Μάγνης, Ἰκαρίου πόλεως, Ἀττικὸς ἢ Ἀθηναῖος.* Pro *πόλεως* debebat *δήμου*, qui Suidae est, non librarii error. Praeterea corrige *Ἰκαρίου, πόλεως Ἀττικῆς, ἢ Ἀθηναῖος.* Similiter idem de Thespide: *Θέσπις, Ἰκαρίου, πόλεως Ἀττικῆς.* De forma *Ἰκάριος* pro vulgari *Ἰκαρία* frustra dubitant Reinesius et Casaubonus. Hesychius: *Ἰκάριος, δῆμος Ἀθήνησι*, ubi *Ἀθήνησι* simili modo dictum est, ut Homerus Sunium promontorium *ἄκρον Ἀθηνῶν* dixit. Iam recte legi vides apud Athenaeum II p. 40 b *ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς.* Cfr. Meursius de Populis Att. s. *Ἰκαρία.* Fabulas docuisse Magnetem novem duasque reportasse victorias affirmant Suidas et Eudocia, quibus quo minus fidem habeamus prohibet Aristophanes, qui Equ. 521 de Magnete dicit: *πλεῖστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τροπαῖα.* Credendum igitur potius

Anonymo l. l. undecies eum vicisse referenti. Idem fabularum eius nihil superesse tradidit; quae enim ferantur sub Magnetis nomine novem comoediae, eas esse suppositas: *τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σώζεται, τὰ δὲ ἐπιφερόμενά ἐστιν ἐννέα.* Cum Anonymo consentit quem in ferendis de fabularum *γνησιότητι* iudiciis Eratosthenis crisin sequutum esse suspicor, Athenaeus XIV p. 646 e *Μάγνης ἢ ὁ ποιήσας τὰς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένας κωμῳδίας* Cfr. idem IX p. 367 f. Neque obstant Anonymo, ut Bentleius Epist. ad Millium p. 479 Lips. putabat, quae Photius habet p. 233, 20 *Λυδιάζων: Λυδοὶ Μάγνητος τοῦ κωμικοῦ διεσκευάσθησαν,* quae eadem apud Suidam s. v. *Λυδοὶ* leguntur; similia apud Hesychium: *Λυδίζων, χορεύων, διὰ τοὺς Λυδούς, οἳ σώζονται μὲν διεσκευασμένοι δ' εἰσίν.* Quorum verborum hic sensus est: superesse quidem Magnetis Lydos, sed non genuinos illos et quales ipse poeta in scenam commiserit, sed quales ab alio poeta sub incudem revocati et immutati fuerint [17]). Eius modi fabularum ab aliis poetis correctarum mire ferax fuit et tragica et comica Graecorum poesis. Hinc explicandum existimo, quod Dio Chrysostomus Orat. XXXII p. 391 *κωμῳδίας* et *διασκευὰς* coniungit, *ἐν ταῖς κωμῳδίαις καὶ διασκευαῖς Καρίωνα μὲν εἰσάγοντες μεθύοντα καὶ Δᾶον οὐ σφόδρα κινοῦσι γέλωτα,* et incertus auctor apud Suidam

---

17) Hanc Hesychii verborum interpretationem quum olim minus dilucide proposuissem, Rankius meus Comment. de vita Aristoph. p. CXXIV non satis idoneis argumentis improbavit. «Sed duplicem, inquit, de Magnetis fa-«bulis revera extitisse sententiam idque immerito a Mei-«nekio negatum esse arbitror. Fuerunt enim qui nihil «servatum esse contenderent; alii qui servatas quidem «esse novem fabulas, sed post commissionem ab ipso «poeta correctas censerent.» Non sane ab ipso poeta, sed ab aliis; alioqui parum apte loquutus esset grammaticus.

vol. I p. 567 de Eupolide haec scribit, *ἔγραψε τόσα καὶ ἄλλα διασκευαζόμενος* [18]). Atque hoc *διασκευῆς* genus etiam ad alia poesios genera pertinuisse docet eiusdem Suidae locus vol. III p. 474, ubi in recensu carminum ab Timotheo, poeta lyrico, scriptorum commemorantur etiam *ἐννέα διασκευαί*, quae de iis aliorum poetarum carminibus intelligenda videntur, quorum modos Timotheus refinxerat et ad eam, quam ipse sequebatur, in re musica rationem attemperarat. Quam late autem illae dramatum *διασκευαὶ* pertinuerint, non certo ubique definiri potest. Probabile est fuisse fabulas, quarum forma et descriptio per omnes partes liberrime immutatae essent: in aliis modestius versatos esse diasceuastas docet Alexidis Antea, quae Athenaeo teste lib. III p. 127 b ab Antiphanea eiusdem nominis fabula *ἐν ὀλίγοις σφόδρα* differebat. Aliud eiusdem generis exemplum habemus in iis quae ex Caecilio tradit Eusebius Praep. Evang. X, 2, qui quum Menandrum culpat, quod Antiphanis *Οἰωνιστὴν* ab initio ad finem usque in *Δεισιδαίμονα* suam transcripserit, eamque ob causam Menandro, feracissimi ingenii poetae, plagii crimen intendit, haud immerito tantam illam utriusque fabulae similitudinem ex modesta paucisque mutationibus contenta Antiphaneae fabulae recensione repetemus.

Magno cum studio spectatas esse fabulas Magnetis, ut de victoriarum quas rettulit numero taceam, docet etiam

---

[18]) Eodem fere sensu poetae *τὰ δράματα ἐπικαττύειν* et *πτερνίζειν* dicebantur, metaphora a sutorum opificio ducta. Phrynichus Appar. soph. p. 39, 19 *Ἐπικαττύειν καὶ πτερνίζειν: τὰ παλαιὰ ἐπισκευάζειν. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν τοῖς παλαιοῖς ὑποδήμασιν ἕτερα καττύματα καὶ πτέρνας προσραπτόντων. λέγουσι δὲ ἐπὶ τῶν τὰ παλαιὰ τῶν δραμάτων μεταποιούντων καὶ μεταρραπτόντων.* Dictiones illae fortasse ex comicis poetis petitae sunt.

Aristophanes l. l. 519, nisi quod eae, quas senex factus docuerit, fastidiose ab Atheniensibus improbatas fuisse significat. Incusat illo loco poeta Athenienses

ἐπετείους τὴν φύσιν ὄντας,
καὶ τοὺς προτέρους τῶν ποιητῶν ἅμα τῷ γήρᾳ προδιδόντας·
τοῦτο μὲν εἰδὼς ἅπαθε Μάγνης ἅμα ταῖς πολιαῖς κατιούσαις,
ὃς πλεῖστα χορῶν τῶν ἀντιπάλων νίκης ἔστησε τροπαῖα,

et paucis interiectis 524

οὐκ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ τελευτῶν ἐπὶ γήρως, οὐ γὰρ ἐφ᾽ ἥβης,
ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὤν, ὅτι τοῦ σκώπτειν ἀπελείφθη.

Minus honorifice de eo Diomedes Gramm. III p. 486 iudicavit, ut qui iis Magnetem poetis accenseat, qui veteris disciplinae ioculatoria quaedam minus scite et venuste pronunciarent. Contra Anonymus de Com. XXVIII *τοῖς ἀξιολογωτάτοις* veteris comoediae accenset. Argumenta adamasse videtur ludicra et festivitatis plena, quod praeter Diomedem significat etiam Aristophanes l. l.

πάσας ὑμῖν φωνὰς ἱεὶς καὶ ψάλλων καὶ πτερυγίζων,
καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις.

Indicari his verbis Magnetis fabulas, *Βαρβίτιδες*, *Ὄρνιθες*, *Λυδοί*, *Ψῆνες* et *Βάτραχοι*, vetus interpres adnotavit, ex quo sua hausit Suidas s. v. *Μάγνης*. Ac *Βαρβίτιδες* quidem nomine *ψάλλων* significantur. Incertus tamen fabulae titulus. Scholiasta haec habet: *ψάλλων] τοὺς βαρβίτιδας τάσσουσιν οἱ λόγοι. τοὺς βαρβατιστὰς ἂν λέγοι. δρᾶμα δέ ἐστι τοῦ Μάγνητος.* Bisetus: *δρᾶμα ἐποίησε Βαρβίτιδας ἢ Βαρβιστὰς κατά τινας.* Suidas denique: *τοὺς Βαρβιτιστὰς ἂν λέγοι.* Versio Porti **Barbatistas.** Bentleius Epist. ad. Millium p. 479 dubitat utrumne *Βαρβιτίδες* (sic) an *Βαρβατισταὶ* vocata fuerit fabula. Atqui *βαρβιτὶς* qua quis

analogia tueri possit ignoro. Verus titulus fuit haud dubie *Βαρβιτισταί*, qua in fabula non dubitamus quin cantatores quosdam perstrinxerit, qui barbito, lyrae genere contemtissimo, Aristot. Polit. VIII, 6, 7, ab Anacreonte vel Terpandro invento, Athen. IV p. 175 e, impense delectarentur. *Ὄρνιθες* et *Λυδοὶ* significari verbis *πτερυγίζων* et *λυδίζων* idem monuit Scholiasta. De Lydis, qua in fabula Lydicarum saltationum fractam mollitiem risisse videtur, supra diximus. Eosdem habemus apud Athenaeum XV p. 690 c et Pollucem VII, 188. *Ψῆνας* praeter Scholiasten: *τὸ πτερυγίζειν* (leg. *τὸ ψηνίζων*) *δὲ εἶπεν ὡς πρὸς τοὺς Ψῆνας ἀναφέρων*, commemorat Hesychius: *Ψηνίζων, τοὺς Ψῆνας λέγει τοῦ Μάγνητος.* Permirus autem fabulae titulus a culicibus ficariis ductus, de quo animalculo quae veteres tradiderunt vide apud Zenobium Paroem. II, 23. Sed meminerimus aliarum fabularum itidem ab animalibus denominatarum, ex quo genere praeter Ranas et Aves sunt Caprae Eupolidis, Pisces Archippi, Angues Menippi, Lusciniae Canthari, Formicae Platonis, denique Ciconiae Aristophanis, miram illae quidem nuper in Pelasgos transformationem passae. Postremo *Βάτραχοι* significantur verbis *βαπτόμενος βατραχείοις.* Scholiasta: *ἔγραψε δὲ καὶ Βατράχους. ἔστι δὲ χρώματος εἶδος τὸ βατράχειον. ἀπὸ τούτου καὶ βατραχὶς ἱμάτιον. ἐχρίοντο δὲ τῷ βατραχίῳ τὰ πρόσωπα, πρὶν ἐπινοηθῆναι τὰ προσωπεῖα.* Imitatum esse his fabulis Magnetem varias animalium voces ex Aristophanis loco collegisse videtur Eudocia p. 302. Reliquae fabulae, quarum mentionem iniiciunt veteres, sunt *Διόνυσος*, cuius duplex extabat recensio, quarum primam habes apud Athen. IX p. 367 f, alteram ibid. XIV p. 646 e, ubi qui versus afferuntur quum Pollux VI, 79 Crateti tribuat, verissime Iungermannus alteram Dionysii recensionem ad Cratetem auctorem referendam esse suspicatus est. Cfr.

Fritzschii Quaest. Aristoph. I p. 240. Sequitur *Πιτακὶς* a Suida commemorata vol. II p. 640. *Μάγνης δὲ ἐν Πιτακίδι·*

Εἰπέ μοι, νῦν δὴ μὲν ὤμνυς μὴ γεγονέναι, νῦν δὲ φῄς.

Sed incertam facit lectionem Photius s. v. *νῦν δή*, ubi *ἐν Πυτακίδῃ* legitur. Atque ita etiam Suidae cod. A. *Πυτακίδι* V. *Πυθακίσκι* BE. Hemsterhusius suspicabatur *Πιθακνίδι*, Bernhardius *Τιτακίδῃ*, neutrum cum magna veri specie. *Ποάστρια* laudatur Schol. Plat. Bekker. p. 366. *Μυσῶν ἔσχατος ἐπὶ τῶν εὐτελεστάτων, Μάγνης Ποαστρίᾳ*, sive potius *Ποαστρίαις*, ut est apud Siebenkesium. Eiusdem tituli fabulam docuisse constat Phrynichum, de qua infra dicendi locus erit. Denique *Γαλεωμυομαχίαν* fortasse ex integriore Suidae exemplari Magneti tribuit Eudocia p. 302, quo nomine Theodorum Prodromum fabulam inscripsisse constat: Magnetem quo minus idem fecisse credamus, prohibet veteres comoediae indoles. Praeterea omisso fabulae indicio commemoratur Magnes ab uno Polluce II, 101.

Proximo post Magnetem loco ponimus ECPHANTIDEM, quem inter incertae aetatis poetas rettulit Vossius de Poetis gr. p. 89, mediae poetis comoediae accenset Eichstaedt de Dramate Com. sat. p. 38. At recte Naekius Choer. p. 52 Cratino et Teleclide paullo antiquiorem fuisse statuit, quod confirmare poterat Aspasii verbis ad Aristot. Eth. Nicom. IV, 2 *τῶν ἀρχαίων παλαιότατον ποιητὴν* eum appellantis. Quae verba ne cum Muellero Dor. II p. 350 ita intelligamus, ut Ecphantidem vel Chionide et Magnete antiquiorem fuisse statuamus, multa sunt quae prohibeant. Qui ante Magnetem et Chionidem fabulas docuere poetae comici, eos fuisse *ἐθελοντὰς* h. e. suis ipsos sumtibus choros instruxisse et adornasse, haud obscure significat Aristoteles Art. Poet. V, 3. Atqui Ecphantidem non fuisse *ἐθελοντήν*, expresso eiusdem Aristotelis testimonio constat Polit. VIII, 6, ubi picta tabula

commemoratur, quam Thrasippus dedicavit *'Ἐκφαντίδῃ χορηγήσας.* Nec minus certum aetatis indicium hoc est, quod Androclem, quem hominem Cratinus et Teleclides in fabulis suis vexaverunt, etiam ab Ecphantide male habitum fuisse ex Scholiasta Aristophanis Vesp. 1182 intelligitur, unde apertum est, Ecphantidem, quamquam Cratino et Teleclide paullo maiorem, horum tamen aetatem attigisse. Itaque antiquorum poetarum antiquissimum qui Ecphantidem dixit Aspasius, nisi forte iusto negligentius loquutus est, ad eos maxime poetas respexisse videtur, a quibus emendatior et perfectior comoediae forma et ratio introducta est, hoc est ad Cratinum Teleclidem Hermippum ceteros. Capniae cognomen, quod Ecphantidi inditum fuisse scribit Hesychius v. *Καπνίας. 'Ἐκφαντίδης — Καπνίας ἐπεκαλεῖτο, διὰ τὸ μηδὲν λαμπρὸν γράφειν*, fortasse Cratino, quocum perpetuas exercuisse videtur simultates, acceptum tulit. Schol. ad Arist. Vesp. 151 *καπνίας ἐν τοῖς περὶ Κρατίνου διώρισται ἢ τὸ ἀπόθετον ἢ καὶ παλαιόν, διὸ 'Ἐκφαντίδην Καπνίαν καλοῦσι.* Cfr. Append. Vat. II, 23. Rectius cognomenti rationem expediit Naekius l. l. p. 52. «Videtur, inquit, cognominis caussa fuisse vel fabularum Ecphantidae argumentum, quod ille tenue et obscurum eligere consuevisset, vel «obscurum et paullo molestius dicendi et disponendi genus.» Equidem illa Hesychii verba cum veterum scriptorum de Cratino et Platone iudiciis comparabam, quibus *λαμπρὸν χαρακτῆρα*, splendidum dicendi genus et troporum luminibus frequens attribuunt. Hanc igitur virtutem qui Ecphantidi deesse putarent, fumum pro luce eum dare dictitabant. Alia ratio placuit nuper Lehrsio meo Quaest. epic. p. 23. De fabulis Ecphantidae unus superest titulus *Σάτυροι* apud Athenaeum I p. 96 c, quo nomine etiam Cratinum Phrynichum Ophelionem et Anaxandridem fabulas inscripsisse constat,

quarum quod argumentum fuerit quamquam certo pronuntiari non potest, non abhorret tamen a verisimilitudine, exagitatos in iis fuisse homines foede libidinosos. Nosti Hermippi dicterium in Periclem coniectum *Βασιλεῦ σατύρων* apud Plutarchum Per. 33. Alius fabulae Ecphantideae titulum Naekius apud Stephanum Byzantium s. v. *Πάρνης* sibi deprehendisse videbatur: *Πάρνης Πάρνηθος, τὸ ὄρος τῆς Ἀττικῆς. τοῦτο καὶ ἀρσενικῶς λέγεται. Ἐμφανὴς* (sic) *ἐν Πυραύνῳ,*

Ἐς κόρακας, ἥξω φέρων
δεῦρο τὸν Πάρνηθ᾽ ὅλον.

In quo loco quum ego perperam olim Curis crit. p. 45 Euphanis comici mentionem factam esse suspicatus essem, Naekius multo sane probabilius Ecphantidis nomen reponendum esse coniecit. Aliis fortasse *Εὔφρων* scribendum videbitur, cuius nomen in *Εὐφάνης* corruptum legebatur olim apud Athenaeum VIII p. 343 b. Ipse nunc praetulerim *Ἀντιφάνης*, cuius etsi nulla commemoratur fabula *Πύραυνος* inscripta, non male tamen coniicias Alexidis *Πύραυνον*, ab Athenaeo VI p. 244 d 258 b XIII p. 590 b et XIV p. 663 f commemoratam, repetitam fuisse Antiphaneae fabulae editionem. Sed egregio acumine Naekius aliam Ecphantidis fabulam *Διόνυσος* inscriptam elicuit ex Suidae verbis, *Εὔϊε: Διονύσῳ. ὕμνος ἐνθουσιαστικός*, cum incerti auctoris (fortasse Cratini) versu comparatis apud Hephaest. XV p. 96 *Εὔϊε κισσοχαῖτ᾽ ἄναξ χαῖρ᾽, ἔφασκ᾽ Ἐκφαντίδης.* Excidit igitur apud Suidam Ecphantidis nomen. Adiutorem Ecphantidis in comoediis scribendis fuisse Choerilum servum docet Hesychius, *Ἐκκεχοιριλωμένη: οὐ* (Casaub. *τοῦ*) *Χοιρίλου οὖσα. Ἐκφαντίδῃ γὰρ τῷ κωμικῷ Χοιρίλος θεράπων ἦν, ὃς συνεποιεῖτο κωμῳδίας.* Itaque etiam Choerilum illum quodammodo comicis poetis adnumerare licebit. Ac

perquam scite Naekius quod de epico poeta Choerilo Eudocia tradidit, praeter alia eum scripsisse etiam comoedias, ad Ecphantidae servum rettulit, cui quae cum domino intercessit ratio optime Euripidis et Cephisophontis exemplo illustratur. Cfr. Gaisford ad Heph. p. 96. Sed ad Choerilum comicum, si diis placet, etiam alius Hesychii locus spectat: *Χοιρίλον Ἐκφαντίδος. Κρατῖνος· τὸν Ἐκφαντίδος. οὕτως εἶπεν αὐτὸν τὸν Χοιρίλον.* De quo suo more, hoc est ingeniosissime disputavit Naekius.

Ecphantidi suppar aetate fuisse videtur TOLYNUS Megarensis, quem unus omnium commemorat Etymol. M. p. 761, 47 *Τολύνιον* (leg. *Τολύνειον*) *τὸ καλούμενον Κρατίνειον μέτρον πολυσύνθετον, ἀπὸ τοῦ Μεγαρέως Τολύνου· ἔστι δὲ προγενέστερος Κρατίνου.* Auctor igitur fuit metri postea Cratinei dicti, de quo vide Hephaestionem et Hermannum Doctr. metr. p. 582. Quem ne iusto audacius comicis poetis accensuerim, nequaquam verendum videtur: quamquam Athenisne an Megaris fabulas docuerit, ut incompertum in medio relinquimus. — Haec olim scripsi de Tolyno, in quibus assentientem habui Rankium de vita Aristoph. p. 125. Sed fortasse corruptus est Gràmmatici locus et pro *Τολύνειον* scribendum *Τελλήνειον*. Tellen tibicen fuit et poeta ludicrus, cuius carmina propter singularem metrorum elegantiam et dicteriorum venustatem magna olim laude ferebantur. Zenobius Prov. I, 45 *Τέλλην αὐλητὴς ἐγένετο καὶ μελῶν ποιητής, παίγνιά τε κατέλιπεν εὐρυθμότατα καὶ χάριν ἔχοντα πλείστην καὶ σκώμματα κομψότατα.* In eundem extat epigramma Leonidae Tarentini in Anthol. Palat. I p. 526, ex quo perantiquum poetam fuisse intelligitur:

Τέλληνος ὅδε τύμβος, ἔχω δ' ὑπὸ βώλεϊ πρέσβυν
τῆνον, τὸν πρῶτον γνόντα γελοιομελεῖν.

Ceterorum scriptorum qui Tellenem commemorant loca col-

legit Ruhnkenius Epist. crit. I p. 118. Quibus addendus fortasse Ptolemaeus apud Photium Bibl. 190 p. 151, ubi Demetrius Scepsius impense delectatus esse dicitur τῷ Τέλλιδος (Τέλληνος) βιβλίῳ.

Postquam eorum poetarum, qui quasi praecursores quidam verae et perfectae comoediae censeri debent, historiam enarravimus, iam ad eos accedimus poetas, quorum singulari virtute et ingenio comoedia, sive externam eius formam sive argumenti descriptionem spectamus, ad tantam perfectionem evecta est, ut quo ultra procederet non haberet. Nam aucta mirum in modum popularis imperii libertate et succrescente in dies nequissimorum hominum, qui rei publicae statum labefactarent, proventu, fieri non potuit quin totis comoedia insurgeret viribus et quidlibet audendi potestate, ipsis legibus ei concessa [19]), impune uteretur. Neque vero in notandis lacessendisque turbulentis et seditiosis civibus sese continuit poesis comica: sed quum hoc sibi propositum haberet, ut cives ad omnis honestatis studium amplectendum excitaret, quidquid ei, quae optimi cuiusque animo insidebat, virtutis speciei officere earumque rerum, in quibus summa graeci ingenii vis elucebat, ruinam ducere videbatur, audacter aggressa omnemque divinarum humanarumque rerum orbem liberrime pervagata est. Hanc summi floris aetatem ita finibus suis circumscribere licebit, ut eam inde ab Olympiade octogesima ad nonagesimam sextam pertinuisse statuamus. Non defuisse tamen qui his ipsis temporibus effrenem

---

[19]) Praeter Ciceronem de Rep. IV, 10 apud quos (Graecos dicit) fuit etiam lege concessum, ut quod vellet comoedia de quo vellet nominatim diceret, idem testatur Themistius Orat. VIII p. 110 B. τῆς τέχνης αὐτῷ (Eupolidi) διδούσης τοῦ σκώπτειν τὴν ἄδειαν ἐκ τῶν νόμων.

comicae Musae libertatem in angustiores fines compellere conarentur, multis multorum constat testimoniis. Antiquissimum eius rei exemplum habemus apud Scholiastam Aristophanis Acharn. 67 *οὗτος ὁ ἄρχων* (Euthymenem dicit), *ἐφ' οὗ κατελύθη τὸ ψήφισμα τοῦ μὴ κωμῳδεῖν, γραφὲν ἐπὶ Μορυχίδου, καὶ ἴσχυσεν ἐκεῖνόν τε τὸν ἐνιαυτὸν καὶ δύο τοὺς ἑξῆς ἐπὶ Γλαυκίδου τε καὶ Θεοδώρου, μεθ' οὓς ἐπὶ Εὐθυμένους κατελύθη.* Itaque archonte Morychide h. e. Olymp. LXXXV, 1 senatus consulto cautum est *μὴ κωμῳδεῖν* [20]), valuitque ea lex per duos annos usque ad praeturam Euthymenis. Iisdem temporibus etiam illam legem perlatam esse suspiceris, qua ne quis Areopagita comoediis scribendis operam daret prohibitum est. Plutarchus bellone an pace praest. Athen. p. 348 c *τῶν δραματοποιῶν τὴν μὲν κωμῳδοποιΐαν οὕτως ἄσεμνον ἡγοῦντο καὶ φορτικόν, ὥστε νόμος ἦν μηδένα ποιεῖν κωμῳδίας Ἀρεοπαγίτην.* Itaque inde ab anno quarto Olymp. LXXXV comoedia integram nec a quoquam imminutam libertatem retinuit, donec Syracosius quidam [21]) eam paullulum labefactaret. Schol. Aristoph. Av. 1297 *δοκεῖ δὲ καὶ ψήφισμα τεθεικέναι μὴ κωμῳδεῖσθαι ὀνομαστί τινα, ὡς Φρύνιχος ἐν Μονοτρόπῳ φησί· Ψῶρ' ἔχε*

---

[20]) H. e. *τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί.* Valebat autem ea lex non eo, ut nisi celato nomine quemquam vellicare in scena nemini poetae licitum esset; sed hoc tantum illa lege cavebatur, ne poetae comici, si quem laedere vellent, eum nominatim et ignominiosas partes agentem in scenam producerent. Vid. Clintonus Praef. Fast. Hellen. p. LVI Kr. et Th. Bergkius apud Fritzschium Aristoph. quaest. I p. 319.

[21]) Syracosium ab Alcibiade subornatum fuisse suspicatur Th. Bergkius l. l. allato Schol. Aristidis p. 444 Dind. *ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβιάδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ.*

Συρακόσιον· ἐπιφανὴς γὰρ αὐτῷ καὶ μέγα τύχοι· ἀφείλετο γὰρ κωμῳδεῖν οὓς ἐπεθύμουν. διὸ καὶ πικρότερον αὐτῷ προσφέρονται. Monotropum actam esse Olymp. XCI, 2 archonte Chabria praeter Argumentum Avium docet Schol. Av. 997 *καθεῖται δὲ ὁ Μονότροπος ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ χωρίου εἴρηται*, quae ita corrigenda sunt, *ἐπὶ τοῦ Χαβρίου, ὡς εἴρηται* vel *προείρηται*. Itaque probabile est, legem istam latam fuisse Olymp. XCI, 1, quae etsi non diu valuit, ea tamen sequuta sunt tempora quae comoediae licentiam haud leviter attererent ipsisque adeo poetis pericula intenderent. Similem legem latam esse ab Antimacho traditur apud Schol. Arist. Acharn. 1149, quamquam ad quodnam illa tempus pertinuerit non additum est: *ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος* [22]), quae ad Morychidis psephisma traxit Boeckhius Oeconom. Att. T. I p. 345. Ex ipsis Aristophanis verbis, *Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος, τὸν ξυγγραφῆ, τὸν μελέων ποιητήν, || ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς, || ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέκλησε δείπνων*, ex his igitur nihil efficias nisi Antimachum, choregi munere in Lenaeis ludis fungentem, choreutas paullo parcius habuisse; quod eo ipso tempore quo Acharnenses docerentur factum esse, h. e. Olymp. LXXXVIII, 3, non est quod dubitemus. Postea Olymp. XCII, 1 cum democratia etiam comoediae libertatem solutam fuisse, etsi nemo diserte tradidit, maxima tamen est suspicio. Sed restituto mox populari imperio, denuo comoedia antiquam vim obtinuit, cuius rei luculenta exempla habemus Aristophanis Ranas et Cleophontem Platonis Olymp. XCIII, 3

---

[22]) Cfr. Diogenianus VIII, 71 *δοκεῖ δὲ ὁ Ἀντίμαχος ψήφισμα πεποιηκέναι, ὅτι τὸ ἱερὸν πῦρ οὐκ ἔξεστι φυσῆσαι, καὶ ὅτι μὴ δεῖ κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος, ὡς μὴ καθαρεύοντι.*

actas. Inde ab Olymp. XCIII, 4 triginta viris saevientibus quin rursus arctioribus legibus adstricta fuerit comoedia, dubitari non potest. Tam graviter igitur cum comoedia affligeretur, non mirum est cives, cum sua comoediae materia deesset, coniunctas cum fabularum commissione impensas facere amplius noluisse. Cfr. Platonius de Com. p. XXXIV Lips. Quo accedebat, quod, cum bellum Peloponnesiacum et publicas et privatas Atheniensium opes insanabili vulnere afflixisset, civibus ne in summa quidem faciendi voluntate sumptus ad choros, in quibus praecipua veteris comoediae laus fuit, rite digneque instruendos suppeterent. Quamquam enim comici chori non eo quo tragici splendore gaudebant (Heraldus Animadv. in Salm. Observ. ad Ius Att. et Rom. VI, 8, 5), eos tamen sumptus requirebant, quos in tanta omnium rerum clade vix ac ne vix quidem erogare possent. Ita factum est ut iam Eupolis, quem ultra Olymp. XCIII vitam produxisse doceri non potest, de sordida choregi parsimonia quereretur, apud Polluc. III, 115 Ἤδη χορηγὸν πώποτε ῥυπαρώτερον Τοῦδ᾽ εἶδες; Omnium autem maxime Cinesias, dithyrambicus poeta, quum a comicis poetis crudelissime, sed suo merito vexaretur, nihil intentatum reliquisse videtur quo veterem chori magnificentiam et dignitatem convelleret. Schol. Aristoph. Ran. 153. 406. Quod factum esse brevi ante Pluti editionem secundam h. e. Olymp. XCVII docemur in Vita Aristoph. p. XXXVIII. Similiter Agyrrhius, futilissimus homo, comoediae vim et dignitatem eo labefactare conatus est, ut poetarum mercedem imminueret. V. Schol. Aristoph. Eccl. 102 et Ran. 367 ex emendatione Brunckii. Quod factum videtur Olymp. XCVI, 3, quo tempore maxima fuit Agyrrhii in civitate potestas. Ita igitur evenit, ut tum civilis libertatis iactura privatarumque rerum calamitate, tum singulorum hominum, quibus molesta esset

comoedia, invidia vetus comoediae licentia gravissime affligeretur et chorica carmina fere prorsus obmutescerent. Mutata igitur rerum condicione non mirum est etiam parabasin, cuius in antiqua comoedia vim optime declaravit Platonius de Com. l. l. p. XXXIV, ab hoc inde tempore prorsus ex fabulis exulasse. Quamquam enim etiam inter vetustioris comoediae fabulas fuerunt, quae neque chorica carmina neque parabases haberent, ex quo genere Cratini *Ὀδυσσεῖς* fuisse scimus, tamen hae et numero fuerunt paucissimae et iis fortasse scriptae temporibus, quibus comoediae dignitatem Morychidis psephismate labefactatam esse vidimus, h. e. inter Olymp. LXXXV, 1—4.

Sed ut redeat unde digressa est oratio, illam quam supra dixi aetatem illustrarunt clarissima comicae poesios sidera, Cratinus, Crates, Pherecrates, Eupolis, alii, de quibus deinceps exponendum est. Horum princeps et quasi antesignanus extitit CRATINUS, de cuius natalium vel obitus tempore etsi nullus veterum diserte tradidit, utrumque tamen ita ad liquidum perduci potest, ut res vix unius duorumve annorum discrimine agatur. Grandaevum obiisse Cratinum testatur praeter alios Lucianus Macrob. 25 T. III p. 227 ed. Wettst. qui eum septem et nonaginta annos implevisse memoriae prodidit: *Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε, καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ᾽ οὐ πολὺ ἐτελεύτα.* Ut decrepitum senem et delirio propinquum cum risisset eum Aristophanes Equit. 528, quae fabula Stratocle archonte acta est Olymp. LXXXVIII, 4, irritatus iactorum in se dicteriorum contumelia Cratinus sequenti anno h. e. Olymp. LXXXIX, 1 archonte Isarcho *Πυτίνην* fabulam miro omnium applausu docuit. Sed fuit hic extremus ingeniosissimi senis labor, testante Luciano, qui cum hanc

fabulam eum πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου docuisse dicat, probabile est obiisse poetam nostrum Olymp. LXXXIX, 2, unde conficitur natales eius incidere in Olymp. LXV, 1, fallique Scholiasten Aristophanis Av. 521 qui Cratinum in Nemesi fabula longo post Aves editas tempore, h. e. post Olymp. XCI, 1, Lamponis ut vivi vigentisque mentionem iniecisse scribit; quod falsissimum esse vel ex eo intelligitur, quod Nemesis fabula post Periclis obitum doceri vix potuit. V. Plutarch. Peric. 3. Nostram rationem ipse etiam confirmat Aristophanes Pac. 700, quae fabula Olymp. LXXXIX, 3 commissa est. In Pace igitur fabula l. l. sciscitanti Mercurio, ecquid rerum Cratinus agat, Trygaeus respondet: *ἀπέθανεν, ὅθ᾽ οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον, — ὡρακιάσας· οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.* Quo loco non iniuria quaeri potest, quamnam dicat Aristophanes Lacedaemoniorum incursionem. Anonymo de Com. p. XXIX primam illam, quae archonte Pythodoro Olymp. LXXXVII, 1 facta est, invasionem intelligenti: *τελευτᾷ δὲ Λακεδαιμονίων εἰς τὴν Ἀττικὴν εἰσβαλόντων τὸ πρῶτον, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης*, huius igitur opinioni temporum rationes plane adversantur; neque reliquarum, quas Lacedaemonii in Atticam fecere, impressionum (Thucyd. II, 47 III, 26 IV, 2 VII, 19) ulla est, quae cum Aristophane conciliari possit. Itaque nisi forte Brasidam in Nisaea recuperanda occupatum[23]) Olymp. LXXXIX, 1 exercitus partem misisse statuas, qui Athenien-

---

[23]) Vid. Thucyd. IV, 20 sqq. et Diodor. Sic. XII, 67, ubi quae de Brasida leguntur verba: *καταπληξάμενος τοὺς Ἀθηναίους, τούτους μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς Νισαίας, τὴν δὲ πόλιν — ἀποκατέστησεν εἰς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων συμμαχίαν*, haec igitur neque cum Thucydide neque cum ipso adeo Diodoro conciliari possunt. Scribendum igitur *τούτους μὲν οὐκ ἐξέβαλεν.*

sium fines infestarent, nihil relinqui video, nisi ut Aristophanem, quemadmodum caussam mortis Cratini facetissimo lusu commentus est, ita etiam illam Lacedaemoniorum in Atticam invasionem finxisse statuamus. Sed missis quae in coniectura sunt posita, illud tanquam veri simillimum teneamus, natum esse Cratinum Olymp. LXV, 1, obiisse autem Olymp. LXXXIX, 2. Nam quo iure Schneiderus, Quaest. de Xenoph. Conv. p. 132, mortem eius ad Olymp. XCI, 1 rettulerit, nescire me fateor. Vidit igitur tum initia veteris comoediae, tum progressus summamque eius perfectionem. Ipse ad scribendas fabulas provectiore iam aetate animum appulisse videtur, siquidem Anonymus de Com. p. XXIX post octogesimam quintam demum Olympiadem h. e. octogesimo aetatis anno primam eum victoriam adeptum esse testatur: *νικᾷ μετὰ τὴν πε' Ὀλυμπιάδα*, quae repugnant quodammodo Eusebio Chron. p. 339, qui Olymp. LXXXI, 3 adscripsit: Cratinus et Plato comici hac aetate occurrebant. Syncell. p. 247 D. *Κρατῖνος καὶ Πλάτων οἱ κωμικοὶ ἤκμαζον.* Qui ut de Platone manifesto errore lapsus est, ita fortasse ne de Cratino quidem vera praedicavit. Sed re diligentius pensitata non dubito quin apud Anonymum potius in numeralibus erratum sit. Pro *μετὰ* legendum videtur *κατὰ*, *πε'* autem fortasse mutandum in *πα'*. Certe iam fabulas eum circa hanc Olympiadem docuisse, colligas ex fragmento apud Plutarchum Bellone an pace Athen. praest. p. 351 a Steph. ubi Periclis tarditatem in longis moenibus condendis increpat, quae Olymp. LXXXII, 1 absoluta esse O. Muellerus docuit. In reliquis fragmentis paucissima reperio indicia, quae eum iam ante Olymp. LXXXV fabulas docuisse arguant. Non negligendus tamen memorabilis locus apud Plutarch. Pericl. p. 295 Cor.

Ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὁδὶ προσέρχεται
ὁ Περικλέης, τᾠδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου
ἔχων, ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται.

Quae vix alio tempore scribi potuerunt, quam quo Pericles ostracismi periculum effugerat, h. e. Olymp. LXXXIII, 4, ut *Θρᾷττας* fabulam, ex qua versus illi petiti sunt, aut eodem aut sequenti anno actam esse colligas.

De domesticis Cratini rebus nihil compertum habemus, nisi quod patrem habuit Callimedem, Suidas s. v. *Κρατῖνος*. Quae a Clemente Alex. Strom. IV p. 523 B. commemoratur Cratini filia Irene, pingendi arte clara, eam non Cratini poetae comici, sed Cratini pictoris filiam fuisse intellexit Silligius Catal. artif. p. 162. Taxiarchum et tribulem fuisse *τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς* docet Suidas s. v. *Ἐπειοῦ δειλότερος. οὕτως ἐλέγετο Κρατῖνος ὁ κωμικός, ἴσως διὰ τὸ ταξιαρχῆσαι τῆς Οἰνηΐδος φυλῆς δειλότερός τε φανῆναι* Quae iisdem verbis leguntur apud Paroemiographos, quorum testimonia apposuit Alberti ad Hesych. T. I p. 1322. De Epei ignavia cfr. Lycophr. Cass. 931, ubi dicitur *ἔγχος πεφρικὼς καὶ φάλαγγα θουρίαν*. Convicii auctor fortasse Aristophanes fuit. Flagitiosis amoribus deditum Cratinum fuisse unus Suidas s. v. *Κρατῖνος* tradidit, ubi *φιλοπότης καὶ παιδικῶν ἡττημένος* dicitur, quae verba Eudoc. p. 271 omisit. Rem ipsam etsi nemo praefracte negaverit, fieri tamen potest ut Suidam ratio fefellerit; certe Aristophanem, quocum perpetuam exercuit inimicitiam, vix illud silentio praetermissurum fuisse arbitror. Multum adeo vereor, ne Suidas Aristophanis loco in Acharn. 850 cll. 1172 deceptus sit, ubi alius quidam Cratinus, molliculus homo et delicatus, quem lyricum poetam fuisse Scholiastes testatur, a comico sugillatur. Veneris impotentiam in nostro Cratino notavit etiam Acron qui dicitur ad Horatii Epist. 1, 19, 1 «tantae libidinis fuit, ut cubiculum

«suum speculis adornaret etc.» Scilicet legerat aliquid simile de speculato cubiculo Horatii apud Suetonium Vita Horat. p. 756, idque obscurus iste magistellus pro stupore suo ad Cratinum transtulit. Cfr. Lessingii Vindic. Horat. p. 204. Verius alterum illud, quod Suidas addidit, vinosum fuisse Cratinum, quae res multiplicem Aristophani ridendi iocandique materiem praebuit. Cfr. Pac. 703. Equ. 400, 531. Eandem in rem perelegans est incerti auctoris epigramma apud Athen. II p. 39 c inter Nicaeneti carmina receptum a Brunckio Anal. I p. 417.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων οὐδὲν ἂν τέκοι σοφόν.
ταῦτ' ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδωδὼς πίθου.
τοιγάρτοι στεφάνων δόμος ἔβρυεν, εἶχε δὲ κιττῷ
μέτωπον οἷα καὶ σὺ κεκροκωμένον.

Hoc epigramma Cratini monumento inscriptum fuisse fabulatur Acron ille ad Horat. l. c. ubi quae addita leguntur: «Cratinus tantae vinolentiae fuit, ut solitus fuerit supra pelles «recumbere, in quas comedere consueverunt,» fortasse ex Aristophanis Equit. 400 emendari poterunt, ubi tanquam *ἐνουρητὴς* ridetur Cratinus: *εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον.* Neque vero ipse quo laborabat vitio dissimulabat, sed ipsam illam bibacitatem suam in Pytine lepidissime perstrinxit. Plutarchus Symp. II, 1 *τῶν κωμικῶν ἔνιοι τὴν πικρίαν ἀφαιρεῖν δοκοῦσι τῷ σκώπτειν ἑαυτούς, ὡς Ἀριστοφάνης εἰς τὴν φαλακρότητα* (Pac. 767. Equit. 550. Nub. 540) *καὶ εἰς τὴν οἴνου δίψην*(?) *Κρατῖνος τὴν Πυτίνην ἐδίδαξεν.* Hanc ille fabulam tanto omnium plausu docuit, ut iudicum sententiis et Aristophanis Nubibus et Conno Amipsiae, quae fabulae simul cum Pytine in certamen commissae fuerant, praemium praeriperet. Hoc tum in Nubium argu-

mento sexto [24]) tradidit vetus grammaticus, tum ipse in parabasi fabulae significat Aristophanes. Argumentum dramatis, certe partem argumenti servavit Scholiastes Arist. Equ. 399. Scilicet Comoediam ingeniosus poeta uxorem suam esse finxerat, sed divortium cum marito facturam et *κακώσεως* litem ei intenturam. Quo cognito, qui forte aderant Cratini familiares obsecrant mulierem, ut ne quid temere faciat, et quae sit tantae inimicitiae causa quaerunt. Tum illa gravissime queritur de Cratino quod se contemtui habeat totumque sese Temulentiae tradiderit: *ὅτι μὴ κωμῳδοίη μηκέτι, σχολάζοι δὲ τῇ Μέθῃ.* Sic enim scribendum pro *ὅτι μὴ κωμῳδοῖ, ἢ μηκέτι σχολάζοι τῇ μέθῃ.* Cfr. Suidam s. v. *κώδιον.* Ex oratione Comoediae, qua criminum in maritum coniectorum argumenta dicebat, et quam plane ad iudicialium orationum formam effictam fuisse ex loco apud Clementem Alexandr. Strom. VI p. 265 Sylb. *τὴν μὲν παρασκευὴν ἴσως γιγνώσκετε*, colligas, versus aliquot sed admodum mendose scriptos servavit Scholiastes l. l. Indidem petitus est versus apud Schol. Homeri Odyss. *ϑ′* 186 *γυνὴ δ᾽ ἐκείνου πρότερον ἦ, νῦν δ᾽ οὐκέτι.* Audita Comoediae oratione, amicos consilia de optima medendi Cratini ratione iniisse colligas e fragmento apud Athen. XI p. 494 c. Quibus omnibus ita respondisse videtur Cratinus, ut nihil egregii proferre poetam posse diceret, nisi qui vino incaluisset: *ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοι*, ut est in Nicaeneti epigrammate, quem Cratini versum esse ex hac ipsa

---

[24]) Sive potius quinto. Nam quod vulgo quintum habetur, duobus illud constans senariis perfectissimis,

τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο τῆς ὅλης ποιήσεως
κάλλιστον εἶναί φησι καὶ τεχνικώτατον,

cum quarto, quod et ipsum metricum est, coniungendum videtur.

fabula desumptum verissime monuit Meierus in libro de causarum actionibus apud Athen. lib. III p. 289. Reliqua fabulae fragmenta persequi non huius loci est.

Fabulas docuisse perhibetur unam et viginti, testibus Suida s. v. *Κρατῖνος*, Eudocia p. 271 et Anonymo de Com. p. XXIX. Wielandii error ad Aristoph. Equit. 540 nonaginta eum fabularum auctorem fuisse affirmantis unde fluxerit nescio. Victoriam in poetarum certaminibus, Suida et Eudocia testantibus, novies reportavit, idque *παμψηφεί*, ut ait Schol. Arist. Equ. 725. Histrione cui primas fabularum partes deferret usus est Cratete, Schol. Equit. 534. Commentatores, ut hoc addam, nactus est plures, in his Callistratum, cuius in *Θρᾴττας* fabulam commentarium laudat Athenaeus XI p. 495 a, et Asclepiadem Myrleanum, quem de Cratino commentatum esse ex eodem Athenaeo XI p. 501 e discimus. Galenum duobus libris *τὰ παρὰ Κρατίνῳ πολιτικὰ ὀνόματα* explicuisse ipse testis est in operum suorum recensu vol. IV p. 4 Ald. Lycophronem quo auctore Fabricius Bibl. gr. II p. 434 huc rettulerit ignoramus; quamquam certum est de multis Cratinearum fabularum locis doctissimum grammaticum commentatum esse in libris de Comoedia. Scholiorum in Cratinum indicia habemus apud Schol. Aristoph. Vesp. 151 *ἐν δὲ τοῖς περὶ Κρατίνου διώρισται* (sc. *καπνίαν λέγεσθαι*) *τὸν ἀπόθετον ἢ καὶ τὸν παλαιόν*. Cfr. Pollux X, 64 *ἔν γε τοῖς Κρατίνου Χείρωσι τὴν ἀσάμινθον κιβωτὸν νοοῦσιν, ἔνιοι δὲ ἔκπωμα.* Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 350, 17 *οἱ δὲ ἐν τῷ δράματι* (Drapetidas Cratini dicit) *ἐγερσικύβηλιν γράφουσιν.* Quibus adde quae apud Hesychium leguntur s. v. *Διονυσιοκουροπυρωνῶν* et *Διὸς θᾶκοι.*

Cratinum in arte sua nonnihil innovasse, vel sine veterum scriptorum indiciis probabile esset; nunc disertum acce-

dit testimonium Anonymi de Com. p. XXXII Lips. qui postquam rudem et incultam antiquiorum comicorum rationem attigit, ita pergit: *ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν, καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλων καὶ ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων.* In quibus duo sunt quae praedicantur de Cratino. Actorum enim numerum apud priores promiscuum (*τὰ πρόσωπα ἀτάκτως εἰσῆγον*) ita constituit, ut tres tantum simul in scena personae colloquerentur. Quamquam hoc quidem an non vere de Cratino praedicaverit grammaticus, certe dubitari potest, siquidem Aristoteles de Art. Poet. V, 4 ignorari dicit *τίς τὰ πρόσωπα ἀπέδωκεν ἢ προλόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα.* Argumenti autem rationem ita immutavit, ut quum antiquiores comici fabulis suis risum maxime iocumque captassent, ipse improborum hominum mores acerrime insectaretur; in quo ita versatus est, ut convicia, quibus refertae erant eius fabulae, nullo humanitatis condimento mitigaret, sed aperto, quod aiunt, capite cum vitiis manum consereret, fabulisque suis quadam quasi scutica armatus profligatorum hominum, quorum largissimus fuit apud Athenienses proventus, impuritatem et flagitia castigaret. Platonius de Com. p. XXVII *οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ — ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων.* Christodorus Ecphr. 357

καὶ τύπος ἁβρὸς ἔλαμπεν ἀριστονόοιο Κρατίνου,
ὅς ποτε δημοβόροισι πολισσούχοισιν Ἰώνων
θυμοδακεῖς ἐθόωσεν ἀκοντιστῆρας ἰάμβους.

Quae res movit fortasse Persium ut audacem Cratinum appellaret Sat. I, 123. In tanta conviciandi libidine, non mi

tum est fervidi virum ingenii nonnunquam paullo iniquius etiam summos homines patriaeque amantissimos vexasse, veluti Periclem, quem internecino fere odio exagitavit; quamquam idem Cimonem praeclaro ornavit praeconio, Plutarch. Cim. 10. Poeticas viri virtutes etsi difficile fuerit, cum nullam eius fabulam superstitem habeamus, certo iudicio definire, habemus tamen luculenta veterum scriptorum testimonia, ex quibus non tantum summam Cratini auctoritatem et aestimationem fuisse intelligimus, sed etiam ratio eius laudis perspicitur. Ac vere poeticam viri fuisse indolem Aeschyloque in dispari genere simillimam, diserte tradit Anonymus de Com. p. XXIX *γέγονε δὲ ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα.* Beatam ingenii venam, qua erat sui confidentia, ipse praedicat in nobilissimo fragmento apud Schol. Arist. Equ. 523

Ἄναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων
καναχοῦσι πηγαί· δωδεκάκρουνον τὸ στόμα·
Ἰλισσὸς ἐν τῇ φάρυγι· τί ἂν εἴποιμί σοι;
εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.

Rapido torrenti omnia secum auferenti praeclara imagine eum comparat Aristoph. Equ. 523 sqq. dignumque dicit propter reportatas olim victorias qui in Prytaneo bibat et unguentis delibutus Dionysiorum spectaculis intersit. Dictio eius troporum luminibus frequens (Platonius l. l. *πολὺς τῆς τροπῆς τυγχάνει*, ubi malim *πολλῆς*) et lyrico quodam colore tincta, maxime in melicis fabularum partibus, quae dithyrambicam audaciam spirabant, Hesychius s. v. *πυρπερέγχει*, summoque omnium studio expetebantur et in conviviis canebantur, Aristoph. Equ. 526

ᾆσαι δ᾽ οὐκ ἦν ἐν συμποσίοις πλὴν Δωροῖ συκοπέδιλε,
καὶ τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων, οὕτως ἤνθησεν ἐκεῖνος.

erit. Quam cum Aristophane Cratino intercessisse diximus simultatem, ea in tanta atticorum comicorum de principatu populique gratia aemulatione et mutua obtrectatione nihil habet quod magnopere miremur. Et Aristophanes quidem tum aliis in fabulis tum maxime in Equitibus gravissime ei adversatus est, laudans illum quidem propter eximiam ingenii vim et poesios praestantiam, sed eundem acerbissimorum dicteriorum aculeis vellicans et lacessens. Quam sibi iniuriam illatam Cratinus ipse rursus in Pytine fabula ulturus, insigni vegetae senectutis et invicti roboris documento, ingenii aciem in Aristophanem strinxit, eumque tum aliorum criminum insimulavit, tum quod Eupolidis scrinia in fabulis scribendis expilaverit, Schol. Equ. 528 *ταῦτα ἀκούσας ὁ Κρατῖνος ἔγραψε τὴν Πυτίνην δεικνὺς ὅτι οὐκ ἐλήρησεν ἐν οἷς κακῶς λέγει τὸν Ἀριστοφάνην ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα.* Ad eandem simultatem spectant haec Scholiastae Platonis p. 330 *ἐκωμῳδεῖτο δὲ* (Aristophanes) *ἐπὶ τῷ σκώπτειν μὲν Εὐριπίδην μιμεῖσθαι δ' αὐτόν. Κρατῖνος Τίς δὲ σύ; κομψός τις ἔροιτο θεάτης· Ὑπολεπτολόγος γνωμιδιώκτης εὐριπιδαριστοφανίζων.* Ac fuisse qui etiam his Aristophanis verbis Pac. 740 *πρῶτον μὲν γὰρ τοὺς ἀντιπάλους μόνος ἀνθρώπων κατέπαυσεν | εἰς τὰ ῥάκια σκώπτοντας ἀεὶ καὶ τοῖς φθειρσὶν πολεμοῦντας· | τούς θ' Ἡρακλέας τοὺς μάττοντας καὶ τοὺς πεινῶντας ἐκείνους, | τοὺς φεύγοντας κἀξαπατῶντας καὶ τυπτομένους ἐπίτηδες | ἐξήλασ' ἀτιμώσας πρῶτος, καὶ τοὺς δούλους παρέλυσεν, | οὓς ἐξῆγον κλάοντας ἀεί, καὶ τούτους εἵνεκα τουδί, | ἵν' ὁ σύνδουλος* Cratinum significari putarent, docet Scholiastes: *τινὲς δέ φασιν εἰς Κρατῖνον αἰνίττεσθαι ὡς τοιαῦτα ποιοῦντα δράματα.* Denique in adversariis et inimicis Cratini apud Scholiast. Aristoph. Equ. 524 commemorantur etiam *οἱ περὶ Καλλίαν,* quae utrum de Callia poeta an de Hippo-

nici filio explicanda sint, dubitari potest; prius tamen probabilius.

Fabulas Cratinum scripsisse vidimus unam et viginti. At tituli dramatum apud Meursium et Fabricium enumerantur multo plures. Sed ii quidem aut corrupta fabularum elogia in indices suos mero digitorum labore confectos receperunt, aut fabulas nostro Cratino tribuerunt quas Cratino iuniori aliisque comicis tribuere debebant. Videamus de singulis. *Γλαῦκος* apud Athen. I p. 68a *Κρατῖνος Γλαύκῳ· οὐ πρός γε παντός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς.* Particula *γε* e Valckenarii coniectura addita. Pro *Γλαύκῳ* membranae *γλαῦκον*, quo recepto fragmentum ad trochaicos numeros revocandum est. *Θράσων* apud Hesychium s. v. *ἀπέφρησαν*, ubi codex habet *Θρασ̃υ*, ita ut ultimae literae superscriptum sit *ες*. Legendum igitur *Θρᾴσσαις* vel *Θρᾴτταις*. Similiter erratum in Antiattic. p. 104 *κακόδουλος*, *Κρατῖνος Θρᾳκί*, ubi itidem *Θρᾴτταις* reponendum esse non dubito. *Ἥρωες* binis locis tanquam Cratini fabula laudatur, a Polluce lib. X, 64 *ἔν γε τοῖς Κρατίνου Ἥρωσι τὴν ἀσάμινθον κιβωτὸν νοοῦσιν, ἔνιοι δὲ ἔκπωμα*, et apud Suidam s. v. *ἀνεκάς — Κρατῖνος Ἥρωσι, Τὸν αὐχέν' ἐκ γῆς ἀνεκὰς εἰς αὐτοὺς βλέπων.* Sed in Pollucis loco non dubito quin recte pro *Ἥρωσι* scribendum coniecerim *Χείρωσιν*, cuius emendationis quis graviorem sponsorem requirat ipso Polluce lib. VI, 98 *καὶ Κρατῖνος ἐν Χείρωσιν· ἐξ ἀσαμίνθου κύλικος λείβων.* Unus igitur Suidae locus restat, in quo aut eadem medendi ratio adhibenda est, aut Cratino Cratetis nomen substituendum, cuius *Ἥρωες* saepissime laudantur. Contra apud Etymol. M. p. 270, 6 *Κράτης Τροφωνίῳ· ξίφιζε καὶ σπόδιζε καὶ διαρρίκνου*, et Scholiastam Aristoph. Nub. 96 *Κράτης ἐν Πανόπταις δράματι*, repone *Κρατῖνος*. Quod in altero loco monuit etiam Harlesius. *Ἰλιάδες* apud Hesy-

chium s. v. *αἴθρια*, ubi codex habet *Ἠλιάσιν*, quod recte in *Δηλιάσιν* mutavit iam Sopingius. *Κρῆσσαι* ibidem s. v. *κωνῆσαι* — *Αἰσχύλος καὶ Κρατῖνος Κρήσσαις*. Recte Alberti *Αἰσχύλος Κρήσσαις καὶ Κρατῖνος*, de quo admonuerat etiam Florens Christianus ad Aristophanis Vesp. 619. *Ψηφίσματα* apud Harpocr. p. 72 *ἀρκτεῦσαι — τὸ καθιερωθῆναι πρὸ γάμων τὰς παρθένους τῇ Ἀρτέμιδι τῇ Βραυρωνίᾳ. τὰ δὲ συντείνοντα ἐς τὸ προκείμενον εἴρηται παρά τε ἄλλοις καὶ Κρατίνῳ ἐν τοῖς Ψηφίσμασι*, ubi legendum *Κρατερῷ*, quod cum etiam Maussaco in mentem venisset, postea inconsulto reiecit [27]). *Ἀλλοτριογνώμονες* Cratini habemus apud Choeroboscum Bekkeri Anecd. p. 1176 *παρὰ Κρατίνῳ Ἀλλοτριογνώμοσιν· ἐπιλήσμοσι μνημονικοῖσιν*. Quae ex Hephaest. I, 3 emendanda sunt. His igitur remotis triginta restant fabularum tituli, quibus porro eximendi sunt et iuniori Cratino tribuendi *Πυθαγορίζοντες* et *Ταραντῖνοι*, quibus in fabulis Pythagoreos risisse poetam ex Diogene Laert. VIII, 36 intelligitur, quod proprium fuit mediae et novae comoediae argumentum, velut Mnesimachi in Alcmaeone, Aristophontis in Pythagorista, Alexidis in Pythagorizusa, aliorum denique in aliis. Contra nihil eiusmodi in antiquae comoediae reliquiis deprehendas. Porro *Ψευδυποβολιμαῖος*, quam iunioris Cratini fabulam esse vel Platonis commemoratio docet in fragmento apud Diogen. Laert. III, 28, et *Διονυσαλέξανδρος*, cuius fabulae argumentum ad Ale-

---

[27]) Idem Crateri Macedonis opus, in quo ille attica psephismata et alia rerum gestarum monumenta ita collegerat ut servato temporum ordine omnem graecarum rerum memoriam diligentissime illustraret, Plutarch. Arist. 26, ab eodem Harpocratione laudatur v. *Ἀνδρῶν* p. 40, *Ναυτοδίκαι* p. 251, *Νύμφαιον* p. 255, *ὅτι διαμαρτάνει* p. 268. Sed de hoc Crateri libro alio loco dicam copiosius.

xandri Magni expeditionem, Dionysiacae pompae adsimulatam (v. Arrian. Anab. VI, 28 cll. Diodor. Sic. XVII, 106 et Plutarch. Alex. 67), spectasse ex nominis ratione perspicere mihi videbar [28]), quam coniecturam confirmare videtur fragmentum eius fabulae apud Macrob. Sat. V p. 562.

α΄. στολὴν δὲ δὴ τίν᾽ εἶχε; τοῦτό μοι φράσον.
β΄. θύρσον, κροκωτόν, ποικίλον καρχήσιον.

Sic enim recte primum versum emendavit Porsonus ad Eurip. Hecub. 782. Secundo versu sua sensui constabit ratio, si *ποικίλον* a sequenti vocabulo commate separaveris. Photius Lex. p. 437, 16 *ποικίλον, τὸ Διονυσιακὸν ἱμάτιον οὕτως ἔλεγον.* Cf. Pollux VII, 47. De auctore fabulae eandem Porsoni fuisse sententiam, colligas ex his eius verbis in Praefat. Hec. p. XLV. «Cratinus iunior apud Etym. M. et «Suid. v. *Βῆ. ὁ δ᾽ ἠλίθιος ὥς προβάτιον βῆ βῆ λέγων* «*βαδίζει.*» Quem versum ex hac ipsa fabula petitum esse, ex Etymologo constat. Denique eidem Cratino tribuendam puto *Βούσιριν*, ab uno commemoratam Polluce X, 81. Eodem titulo fabulas docuere Antiphanes Ephippus Mnesimachus. Denique eliminandae sunt Atalante et Eumenides. Scholiasta Ven. Aristophanis Pac. 347 *ὁ δὲ δεύτερος (Φορμίων) ἦν κωφός. μέμνηται καὶ Στράττις. τρίτος μοιχός. Κρατῖνος Ἀταλάντῃ*, quae ita transponenda sunt ut Atalantes nomen cum Strattide coniungatur. Huius enim notissima est fabula Atalante. Eumenides ex Eunidis corruptas esse apud Scholiastam Aristoph. Equit. 526 vidit Fabricius, idemque vitium tollendum ex Ioanne Alexandrino de acc. p. 29. Restant igitur quattuor et viginti tituli: *Ἀρχίλοχοι, Βουκόλοι, Δηλιάδες, Διδασκαλίαι, Δραπετίδες, Ἐμπιπράμενοι* sive *Ἰδαῖοι, Εὐνεῖδαι, Θρᾷτται, Κλεοβουλῖναι, Λάκωνες, Μαλ-*

---

[28]) Vide tamen quae infra de Cratino iuniore dicentur.

θαχοί, Νέμεσις, Νόμοι, Ὀδυσσεῖς, Πανόπται, Πυλαία, Πλοῦτοι, Πυτίνη, Σάτυροι, Σερίφιοι, Τροφώνιος, Χειμαζόμενοι, Χείρωνες, Ὧραι. Itaque si verum est quod supra de Cratini fabularum numero diximus, ne nunc quidem area perpurgata est. *Σάτυροι* et *Χειμαζόμενοι* non commemorantur nisi in didascaliis Equitum et Acharnensium, videnturque iam antiquissimis temporibus intercidisse. Itaque probabile est harum fabularum in definiendo Cratineorum dramatum numero veteres grammaticos nullam habuisse rationem. Denique Didascaliis vel tituli insolentia corruptelae suspicionem movet gravissimam.

Cum Cratino CRATETIS historiam coniungimus, quo nomine Suidas duos commemorat poetas comicos. Verba haec sunt:

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικός, οὗ ἦν ἀδελφὸς Ἐπίλυκος, ποιητὴς ἐπῶν. δράματα αὐτοῦ εἰσὶν ζ'. Γείτονες, Ἥρωες, Θηρία, Λάμια, Πεδῆται, Σάμιοι. ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά.

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἕτερος (hoc *ἕτερος* recte omittit cod. A) *καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. φέρεται αὐτοῦ δράματα τρία, Θησαυρός, Ὄρνιθες, Φιλάργυρος.*

Sed hoc inane est grammatici commentum [29]. Unum tantum et recte quidem inter reliquos Cratetas commemorat Diogenes Laert. IV, 23. Eadem quae Suidas dedit habet etiam Eudoc. p. 271, nisi quod verba *ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά*, quae Suidas de alio quodam Cratete legerat, omittit. De Epilyco poeta epico qui praeter Suidam tradiderit novi neminem. At bene novimus Epilycum antiquae,

---

[29]) In his assentientem habui Bernhardium ad Suid. I p. 394, non item Fritzschium Quaest. Aristoph. I p. 239 argumento usum, ut mihi quidem videtur, non satis idoneo.

ut infra docebimus, comoediae poetam. De aetate Cratetis si quaeritur, Groddeckium Hist. liter. p. 160, qui Persicis eum bellis superiorem fuisse fingit, meliora docere poterat Aristophanes Equit. 534 sq. post Cratinum eum commemorans, cuius eum histrionem fuisse tradit ad Aristophanis locum Scholiastes: *κωμῳδίας ἦν ποιητής, ὃς πρῶτος* (leg. *πρῶτον*) *ὑπεκρίνατο* (*τὰ*) *Κρατίνου, καὶ αὐτὸς ποιητὴς ὕστερον ἐγένετο.* Quibus iunge Anonym. de Com. p. XXIX *τοῦτον ὑποκριτήν φασι γεγονέναι τὸ πρῶτον, ὃς ἐπιβέβληκε Κρατίνῳ.* Denique ut omnis dubitatio tollatur, Eusebius ad Olymp. LXXXII, 4 adscripsit: C r a t e s c o m i c u s e t P r a x i l l a (sic enim legendum pro T e l e s i l l a) c o g n o s c e b a n t u r. Docuit igitur primam fabulam Crates Olymp. LXXXII, 4, neque eum ultra Olymp. LXXXVIII, 4 vixisse docet Aristophanis l. l. Sed Groddeckium seduxit, ni fallor, Aristotelis locus de Art. Poet. V, 5, in quo ita commemoratur Crates, ut, nisi alia de Cratetis aetate indicia haberemus, non mirarer equidem, si quis hunc Cratino superiorem fuisse sibi persuaderet: *τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐκ Σικελίας ἦλθε. τῶν δὲ Ἀθήνησι Κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιεῖν.* Ubi qui *λόγοι ἢ μῦθοι* commemorantur, Hermannus de eiusmodi argumentis intellexit quae neglectis conviciis implicationem aliquam et solutionem haberent, hoc est de fabulis vere hoc nomine dignis. Atqui eiusmodi fabulas quum iam Cratinum in scenam protulisse constet, nisi quis etiam apud Aristotelem pro Cratete Cratini nomen reponi velit, alia interpretationis via ineunda est. Ac mihi quidem hoc Aristoteles significare voluisse videtur, cum Cratinus ceterique antiquiores comici certos quosdam homines in fabulis suis exagitassent populoque ridendos propinassent, Cratetem primum apud Athenienses extitisse qui Epi-

θακοί, *Νέμεσις*, *Νόμοι*, *Ὀδυσσεῖς*, *Πανόπται*, *Πυλαία*, *Πλοῦτοι*, *Πυτίνη*, *Σάτυροι*, *Σερίφιοι*, *Τροφώνιος*, *Χειμαζόμενοι*, *Χείρωνες*, *Ὧραι*. Itaque si verum est quod supra de Cratini fabularum numero diximus, ne nunc quidem area perpurgata est. *Σάτυροι* et *Χειμαζόμενοι* non commemorantur nisi in didascaliis Equitum et Acharnensium, videnturque iam antiquissimis temporibus intercidisse. Itaque probabile est harum fabularum in definiendo Cratineorum dramatum numero veteres grammaticos nullam habuisse rationem. Denique Didascaliis vel tituli insolentia corruptelae suspicionem movet gravissimam.

Cum Cratino CRATETIS historiam coniungimus, quo nomine Suidas duos commemorat poetas comicos. Verba haec sunt:

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικός, οὗ ἦν ἀδελφὸς Ἐπίλυκος, ποιητὴς ἐπῶν. δράματα αὐτοῦ εἰσὶν ζ'. Γείτονες, Ἥρωες, Θηρία, Λάμια, Πεδῆται, Σάμιοι. ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά.

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἕτερος (hoc *ἕτερος* recte omittit cod. A) *καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. φέρεται αὐτοῦ δράματα τρία, Θησαυρός, Ὄρνιθες, Φιλάργυρος.*

Sed hoc inane est grammatici commentum [29]). Unum tantum et recte quidem inter reliquos Cratetas commemorat Diogenes Laert. IV, 23. Eadem quae Suidas dedit habet etiam Eudoc. p. 271, nisi quod verba *ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά*, quae Suidas de alio quodam Cratete legerat, omittit. De Epilyco poeta epico qui praeter Suidam tradiderit novi neminem. At bene novimus Epilycum antiquae,

---

[29]) In his assentientem habui Bernhardium ad Suid. I p. 394, non item Fritzschium Quaest. Aristoph. I p. 239 argumento usum, ut mihi quidem videtur, non satis idoneo.

ut infra docebimus, comoediae poetam. De aetate Cratetis si quaeritur, Groddeckium Hist. liter. p. 160, qui Persicis eum bellis superiorem fuisse fingit, meliora docere poterat Aristophanes Equit. 534 sq. post Cratinum eum commemorans, cuius eum histrionem fuisse tradit ad Aristophanis locum Scholiastes: *κωμῳδίας ἦν ποιητής, ὃς πρῶτος* (leg. *πρῶτον*) *ὑπεκρίνατο* (*τὰ*) *Κρατίνου, καὶ αὐτὸς ποιητὴς ὕστερον ἐγένετο.* Quibus iunge Anonym. de Com. p. XXIX *τοῦτον ὑποκριτὴν φασι γεγονέναι τὸ πρῶτον, ὃς ἐπιβέβληκε Κρατίνῳ.* Denique ut omnis dubitatio tollatur, Eusebius ad Olymp. LXXXII, 4 adscripsit: C r a t e s c o m i c u s et P r a x i l l a (sic enim legendum pro T e l e s i l l a) c o g n o s c e b a n t u r. Docuit igitur primam fabulam Crates Olymp. LXXXII, 4, neque eum ultra Olymp. LXXXVIII, 4 vixisse docet Aristophanis l. l. Sed Groddeckium seduxit, ni fallor, Aristotelis locus de Art. Poet. V, 5, in quo ita commemoratur Crates, ut, nisi alia de Cratetis aetate indicia haberemus, non mirarer equidem, si quis hunc Cratino superiorem fuisse sibi persuaderet: *τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν. τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐκ Σικελίας ἦλθε. τῶν δὲ Ἀθήνησι Κράτης πρῶτος ἦρξεν, ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιεῖν.* Ubi qui *λόγοι ἢ μῦθοι* commemorantur, Hermannus de eiusmodi argumentis intellexit quae neglectis conviciis implicationem aliquam et solutionem haberent, hoc est de fabulis vere hoc nomine dignis. Atqui eiusmodi fabulas quum iam Cratinum in scenam protulisse constet, nisi quis etiam apud Aristotelem pro Cratete Cratini nomen reponi velit, alia interpretationis via ineunda est. Ac mihi quidem hoc Aristoteles significare voluisse videtur, cum Cratinus ceterique antiquiores comici certos quosdam homines in fabulis suis exagitassent populoque ridendos propinassent, Cratetem primum apud Athenienses extitisse qui Epi-

charmi exemplo comicae poesios materiam a singulorum hominum irrisione ad generales morum notationes rerumque descriptiones traduceret, quarum quum alias e communi hominum vita alias autem e mythicarum fabularum cyclo petiisset, non male, ut equidem opinor, Aristoteles Cratetem *καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιῆσαι* perhibuit. Ac confirmant hanc interpretationem quodammodo ea quae Anonymus *περὶ κωμῳδίας* p. XXIX de Pherecrate, Cratetis imitatore, tradidit: *ἐζήλωκε Κράτητα, καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει γενόμενος εὑρετικὸς μύθων* [30]). Cuius rei exemplum in Pherecratis Crapatalis vere agnovit Hemsterhusius ad Polluc. IX, 83. Quod autem lacessendi consuetudinem omisisse Crates ab Aristotele dicitur, id plane fragmenta fabularum confirmant, in quibus nihil prorsus reperias ex quo certos quosdam homines eum carpsisse intelligatur. Omnino plenum festivitatis poetam fuisse Cratetem, docent expressa veterum scriptorum testimonia. Aristophanes quidem in Equit. 538 sq. haud vulgaribus eum ornavit laudibus, licet ironiae quodam colore adspersis:

ὃς ἀπὸ σμικρᾶς δαπάνης ὑμᾶς ἀριστίζων ἀπέπεμπεν,
ἀπὸ κραμβοτάτου στόματος μάττων ἀστειοτάτας ἐπινοίας.

Scholiasta: *τραγικὸς ποιητὴς ὀλιγόστιχα ποιήματα γράψας,* ubi *κωμικὸς* reponendum, nisi is Scholiastae error est, no-

---

[30]) Haec olim scripsi, neque est quod poeniteat. Sed verborum *λόγος* et *μῦθος* notionem paullo angustioribus finibus circumscripsi: nimirum *λόγους* Aristoteles dicit res quae aut vere factae sunt aut fieri possunt; *μύθους* autem *ποιεῖν* poetae dicuntur qui rerum ab ipsis inventarum imaginem exhibent. Vide Bernhardium Lineam. liter. gr. I p. 52 et Wyttenbachium ad Platonis Phaed. p. 127 sq. De *καθόλου* in loco Aristotelico cfr. Lessingii Dramat. Hamb. 89 p. 292.

strum Cratetem cum philosopho eodemque tragoediarum poeta confundentis. Alius ibidem: *σμικρὰ ἐποίει καὶ ἔτερπε τοὺς ἀκροατὰς γράφων ἡδέα*, et paucis interiectis: *κραμβοτάτου, ἡδυτάτου, ξηροτάτου. ἔπαιζε δὲ ἀπὸ τῆς τοῦ λαχάνου ἐπινοίας* (fort. *ὑπονοίας*). *αὐτοσχέδιος γὰρ ἦν περὶ τὰ δράματα.* Ad quae comparare licet Aristophanis in Thesmophoriazusis II iudicium de novo quodam Cratetis invento, quod ille *ἀπόνως παραβεβλημένον* vocat. V. Athenaeum III p. 117 c. Neque omittendum Anonymi l. l. iudicium, *γελοῖον καὶ ἱλαρὸν* poetam Cratetem fuisse dicentis. Sed quid testimoniis opus est ubi fragmenta ipsa loquuntur? Vide, ne plura afferam, Athenaeum VI p. 267 f 268 a et facetissimos de salsamento elephantino versus quamquam multis modis corruptos apud Athenaeum III p. 117 c. Ad idem hilaritatis studium referendum videtur quod, eodem teste Anonymo, primus atticorum comicorum ebrios in scenam induxit, *πρῶτος μεθύσους ἐν κωμῳδίᾳ προήγαγε* sive potius *παρήγαγε*, quod quo auctore quaque in fabula fecerit ex Athenaeo lib. X p. 429 a discimus: *ἀγνοοῦσί τε οἱ λέγοντες πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα, μεθ᾽ ὃν Κράτητα Γείτοσιν*, quod iam ante Epicharmum fecisse Aeschylum in Cabiris, de quo cfr. Lobeckius Myster. graec. I p. 8. Itaque hac etiam in re Cratetem Epicharmi vestigia sequutum videmus. Cratetis exemplum rursus sequutus est Aristophanes Philocleonem ebrium inducens Vesp. 1325. Novae denique comoediae auctores quantopere ebriorum partibus delectati sint intelligitur ex Dione Chrysost. Orat. 32 p. 391 B. Sed ut ceteros fere poetas comicos, ita etiam Cratetem popularis aurae inconstantiam expertum esse tradidit Aristophanes Equit. 537 *οἵας δὲ Κράτης ὀργὰς ὑμῶν ἠνέσχετο καὶ στυφελισμούς*, et 540 *χοὖτος μέντοι μόνος ἀντήρκει, τότε μὲν πίπτων τότε δ᾽ οὐχί.* Ubi quod Scho-

liastes narrat, Cratetem largitione spectatorum voluntatem et applausum sibi redemisse, ἐξωνεῖτο τοὺς θεατὰς καὶ τὴν τούτων εὔνοιαν, fortasse non merum grammatici commentum est sed ex aliorum comicorum, quos Crates adversarios habuerit, fabulis petitum. De fabularum quas docuerit numero non consentiunt veteres scriptores. Ac Suidas alteri, quem fingit, Crateti tres tribuit fabulas: Θησαυρόν, Ὄρνιθας, Φιλάργυρον, alteri septem: Γείτονας, Ἥρωας, Θηρία, Λάμιαν, Πεδήτας, Σαμίους. Ubi aut corruptus est numerus ζ' aut unius fabulae titulus excidit [31]. In cod. A scriptum esse εἰσὶν ῞ξ h. e. ἕξ, adnotavit Bernhardius, idque haud cunctanter probarem, nisi septem fabulas ei adsignaret etiam Anonymus de Com. p. XXIX, octo alius ibidem p. XXXIV. At praeter novem istas quas nominatim Suidas recensuit fabulas, commemorantur eius Μέτοικοι, Παιδιαί, Ῥήτορες et Τόλμαι. Nam quae praeterea sub eius nomine passim laudantur fabulae, eae dubitationes movent gravissimas. Quam Stobaeus Serm. CXVI p. 475 Cratetis servavit eclogam, ei in Gesneri margine adscriptum legitur: Cratetis ex Antiphane. Simplex Cratetis nomen posuit Grotius. Fortasse antiquitus scriptum fuit Κράτητος ἢ Ἀντιφάνους, cuiusmodi errores in Stobaei margine sunt frequentissimi. Ἑορταὶ laudantur a Polluce lib. VII, 92, sed incertam facit lectionem idem Pollux lib. X, 54, ubi quod olim edebatur Ἑορταῖς, nunc cessit codicis lectioni Τόλμαις, ut idem etiam altero loco reponendum videatur. Παρακαταθήκη laudabatur olim Poll. IV, 173, ubi codex Voss. Sosicratis nomen dedit, cuius nomen requiro etiam apud Maxim. Conf. p. 198 Gesn. ubi Socrati haec verba tribuuntur: ὅταν ποθεῖν σε

[31]) Nomen comoediae Τόλμαι excidisse, adnotante Bernhardio, coniicit Iungerm. ad Polluc. IX, 53.

καὶ στέργειν λέγει γυνή, φοβοῦ παρ' αὐτῆς πλέον ὧν λέγει κακά. Quae ex comico poeta ducta esse non dubito:

Ὅταν γυνὴ ποθεῖν σε καὶ στέργειν λέγῃ,
φοβοῦ παρ' αὐτῆς πλεῖον' ὧν λέγει κακά.

Similis in nominibus error est apud Schol. Arist. Equ. 959, ubi Socrati Cratetis grammatici nomen substituendum esse monuit Geelius Bibl. crit. I p. 62. Idem Crates innuitur apud Scholiastam Ran. 323 *οἱ δὲ δι' ἀγορᾶς περισπῶσιν ὡς Ἀπολλόδωρος ὁ Ταρσεὺς καὶ Φερεκράτης* (leg. *Κράτης*), apud Hesychium v. *ἐνώπια*, ubi fuere qui in corrupta voce *ἐνίνυχος* Crateteae fabulae titulum *Ἡνίοχοι* latere putarent, denique apud Schol. Aristoph. Equ. 790, ubi editur *Κρατῖνος δέ φησιν ὅτι πᾶσαν στενὴν κατάδυσιν οὕτως (γυπάριον) ὠνόμαζον.* Corrigendum *Κράτης* e Suida s. v. *γυπαρίοις.* Quamquam etiam Cratini cuiusdam grammatici mentionem iniectam videas apud Etym. M. p. 142, 17 *ἐν τῇ ἐπιτομῇ Βασιλείδου περὶ ὁμηρικῆς λέξεως*, et apud grammaticum Paris. cuius locum Bekkerus protulit in Sturzii annot. ad Etymol. p. 760. Porro *Ὀδυσσεῖς* apud Etym. M. p. 367, 22, *Πανόπτας* apud Schol. Aristophanis Nub. 96, *Πυτίνην* apud Etymol. M. s. v. *διακαννιάσαι, Τροφώνιον* ibid. p. 270, 6, *Σεριφίους* apud Schol. Aristophanis Nub. 691, denique *Χείρωνας* apud Athenaeum IX p. 293 f Cratini, non Cratetis fabulas esse, tum ipse supra monui, tum ex parte etiam ab aliis monitum est. *Συναριστῶσαι*, quae Menandri fabula est, quo errore in Cratetis fabularum recensum irrepserit, discere licet e Porsoni Adv. p. 74 Lips. *Φοίνισσαι* laudantur Schol. Aristophanis Vesp. 879 *ἣν καὶ Ἀκαλήφην λέγεσθαί φησι Κράτης Φοινίσσαις.* Sed ibi Cratetis grammatici commentarium in Aristophanis Phoenissas significari intellexit iam Valckenarius Praefatione ad Euripidis Phoenissas. Remotis igitur quas non scripsit Crates fabulis, restant

hae quattuordecim: *Γείτονες*, *Διόνυσος*, *Ἥρωες*, *Θηρία*, *Θησαυρός*, *Λάμια*, *Μέτοικοι*, *Ὄρνιθες*, *Παιδιαί*, *Πεδῆται*, *Ῥήτορες*, *Σάμιοι*, *Τόλμαι*, *Φιλάργυρος*. Ex his si dempseris quarum nihil fragmentorum superest, Thesaurum Philargyrum Aves et Pedetas, novem restant fabularum tituli. Ac Thesaurus et Philargyrus non videntur scriptae esse ab antiquae poeta comoediae. Frequens id fabularum genus in media, frequentius in nova comoedia. Thesaurum docuerunt Anaxandrides Archedicus Menander Dioxippus Diphilus, Philargyrum Dioxippus Philippides Theophilus. Nihil eiusmodi in antiqua comoedia reperias. Nec magis de *Πεδήταις* Suidae fidem habeo, quae fuit Calliae fabula. Aves Magnetis fuisse videtur comoedia a Cratete sub incudem revocata et novis curis emendata, id quod etiam de Dionyso dicendum est, de qua vide quae supra diximus. *Μέτοικοι* denique ab uno laudata Etymol. M. p. 698, 10 rectius Pherecrati assignari videtur ab Apollonio Pron. p. 404 B. Ita igitur qui satis magnus esse videbatur Magnetis fabularum numerus, ad octo titulos revocatus est, quot eum comoedias scripsisse testatur Anonymus. Indubitatas igitur et quarum fragmenta servata sunt fabulas habemus hasce: *Γείτονες* apud Athenaeum IX p. 396 d XV, 690 d, Polluc. VII, 179. 204 X, 118, Photium Lex. p. 633, 28 et grammaticum in Bekkeri Anecd. p. 144, 27 ubi pro *Κρατῖνος* corrige *Κράτης*. *Ἥρωες* apud auctorem Proverb. Bodlei. 715 et Hesychium II p. 808 ubi scribendum videtur *Οὐκ ἀσκίῳ μεντἄρ' ἐμορμολύττετε | αὐτούς, ἐπεὶ τάδ' ἔστ' ἀληθῆ.* Porro apud Suidam s. v. *ἀνεκάς*, ubi pro Cratete Cratini nomen reponendum esse alio loco indicavi, Grammat. Bekkeri Anecd. p. 352, 2 cll. Suida s. v. *ἀθάρην*. Denique apud Polluc. III, 155 X, 90 (cll. Photio Lex. p. 324, 17) et X, 175. *Θηρία*, in qua fabula ipsas feras cum hominibus colloquentes induxit poeta, apud

Athenaeum VI p. 267 c. 268 a. III p. 119 c, Polluc. VI 53, Harpocrat. p. 148 24 cll. Photio et Suida s. v. *παρουσία.*[32]) *Λάμια* apud Athenaeum X p. 418 c, Polluc. IX 62, Schol. Platonis Bekk. p. 382. Eiusdem fabulae memoriam servavit Scholiasta Aristoph. Eccles. 77 *τὸ σκύταλον ἐξηνεγκάμην τὸ τοῦ Λαμίου] ἀρσενικῶς δὲ τὸν Λαμίαν.* [*λέγουσι δὲ καὶ θηλυκῶς τὴν Λάμιαν*], *ὑπὲρ ἧς ὁ Φερεκράτης λέγει ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι ὅτι σκυτάλην ἔχουσ᾽ ἐπέρδετο.* Pherecratis Lamia nusquam praeterea commemoratur; corrige igitur *Κράτης*, de quorum nominum permutatione dixi supra. Verba uncis inclusa ex coniectura adieci. *Παιδιῶν* quod argumentum fuerit docet Pollux IX 114 *σχεδὸν δὲ καὶ περὶ πλείστων* (sc. *παιδιῶν*) *ὁ ποιητὴς εἴρηκεν οὗτος* (Cratetem dicit) *ἐν τῷδε τῷ δράματι.* Hinc probabilis est coniectura Hemsterhusii ad Polluc. vol. II p. 1102, apud Etymol. M. p. 402 41, ubi *ἐφετίνδα* lusus a Cratino fictus esse dicitur, Cratetis nomen substituendum esse. Praeterea *Παιδιαὶ* laudantur Athenaeo XI p. 478 f, Grammatic. Bekk. Anecd. p. 379 31, Suidae s. v. *ἄλλο ἕτερον.* *Ῥήτορες* semel commemorantur ab Athenaeo IV p. 269 c. *Σάμιοι* ab eodem III p. 117 b, Zenobio IV 41, Polluce VII 63. *Τόλμαι* ab Athenaeo VI p. 247 e. XIV p. 619 a, Antiatticista p. 93 16, Photio Lex. p. 337 10, Polluce IX 53. X 54 et VII 92 de quo loco supra diximus. Incertarum fabularum fragmenta supersunt septemdecim. Dictione usus est, quantum quidem ex fragmentis intelligitur, ad atticam elegantiam composita et simplicitatis laude conspicua, nisi ubi forte consulto obscurum et insolitum dicendi genus sequutus est, ut in loco apud Athenaeum III p. 117 b. Singularia perpauca reperias.

---

[32]) Feras post Plutos Cratini commissas esse ex Athenaeo VI p. 268 e intelligitur.

Ita *ἀναβιώσασθαι* dixit activo sensu pro *ποιῆσαι ἀναβιῶναι* apud Suidam s. v. *ἀνεβίω*, et *πάμπαλιν* pro *πάλιν* apud Athenaeum VI p. 268 a *ἐγὼ γὰρ αὐτὰ πάμπαλιν | τὰ θερμὰ λουτρὰ πρῶτον ἄξω τοῖς ἐμοῖς*. Porro *ἐθελόσυχνος* apud Etymol. M. p. 299 30, *τάκωνες* de *γαστριδίῳ ἡδυσμένῳ*, quod semel et unum dixisse Cratetem auctor est Pollux VI 53. Insolitas crases habemus in locis apud Athenaeum VI p. 268 a *τοι ἐγὼ* et *θὔδωρ*, fortasse etiam p. 267 f *παρατιθοῦ ὦ τράπεζα*. Doricis formis usus est apud Athen. III p. 117 b *ποδάνεμος*, et apud Polluc. IV 183 *ποτιβαλῶ*, sed hic quidem in versu quem homo natione Doriensis recitabat. Denique, quod rarum est in comoedia, in anapaestis tetrametris spondaica clausula usus est apud Polluc. VI 53, fortasse etiam apud Athen. III p. 119 c.

PHERECRATES, Atheniensis, quem Alexandri M. in expeditionibus comitem fuisse mirabili errore narrant Suidas et Eudocia p. 426, praestantissimis antiquae comoediae poetis accensetur ab Anonymo de Comoed. p. XXVIII. Idem p. XXIX haec scribit *Φερεκράτης, Ἀθηναῖος, νικᾷ ἐπὶ θεάτρου γενόμενος, ὁ δὲ ὑποκριτὴς ἐζήλωκε Κράτητα. καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων*. Cuius loci priora verba recte ita correxisse videtur Dobraeus, *νικᾷ ἐπὶ Θεοδώρου, γενόμενος δὲ ὑποκριτής*. Ex quo eum iam tertio anno Olymp. LXXXV fabulas docuisse efficitur. Praeterea discimus ex Anonymi loco Pherecratem non acerbum quoddam et invidiosum, sed festivum et hilaritatis plenum iocandi genus sequutum esse, eaque in re Cratetis, cuius histrio fuisse videtur, vestigiis institisse. Neque tamen a singulorum hominum cavillationibus prorsus abstinuit, siquidem Melanthium poetam tragicum traduxit teste Athenaeo lib. VIII p. 343 c et Alcibiadem acerbissimis versibus vexavit apud

eundem XII p. 538 b. Neque pepercit Pulytioni in fabula Ἰπνὸς ἢ Παννυχὶς inscripta apud Photium Lex. p. 626 10 οὐχ ὁρᾷς ὅτι | τὴν Πουλυτίωνος κειμένην ὑπώβολον. Mitto alia. Poetam inprimis elegantem et ingeniosum fuisse, fragmenta fabularum docent. Hinc Ἀττικώτατος dicitur Athenaeo lib. VI p. 268 e et Phrynicho Sophistae apud Stephanum Byzant. p. 43 et Suidam s. v. Ἀθηναία. Habet tamen oratio Pherecratis satis multa quae a reliquorum huius aetatis comicorum in dicendo severitate paullo longius recedant. Ex hoc genere, ut pauca de multis afferam, est genitivus ἁλιῶς pro ἁλιέως apud Grammat. Seguer. p. 383 30, ἀνθῶν pro ἀνθέων ibidem p. 404 26, χολλάδες pro χολάδες apud Grammaticum Bachmanni Anecd. I p. 418 cfr. ad Menandrum p. 11, γυνὴν pro γυναῖκα apud Etymol. M. p. 243 16 ὡς ἄτοπόν ἐστι μητέρ᾽ εἶναι καὶ γυνήν, quem versum ab Etymologo M. sine auctoris nomine allatum e Pherecratis Crapatalis ductum esse alio loco docui. Rarioribus item formis adnumerare licebit ἀγχάσκειν apud Grammat. Seguer. p. 340 21, ἐττημένος pro σεσησμένος apud Photium Lex. p. 26 26, πασσυδὶ apud eundem p. 401 16 quae forma nunc etiam Thucydidi restituta est. Porro τραπέμπαλιν pro ἐναντίως dixit apud Photium p. 598 11, μητρὶς pro πατρὶς ibid. p. 268 20, πλατειάζειν pro πλατείᾳ τῇ χειρὶ παίειν ibid. p. 432 19, χρῆσται pro χρήσεται vel χρεία ἔσται apud Suidam s. v. χρή, ταχεωστὶ pro ταχέως apud Schol. Iliad. σ′ 26 ex emendatione Bekkeri, θυμέλη pro θυλήματα apud Phrynichum App. Soph. p. 42 25, quamquam etiam θυλήματα dixit ex certa emendatione Ruhnkenii in loco apud Clement. Alex. Str. VII p. 846, κυντερώτερα pro κύντερα apud Photium s. v. κυντερώτατα, quod compares cum ἀμεινότερον, quo utitur Mimnermus apud Stobaeum Flor. VII 12 οὐ γάρ τις κείνου δηΐων ἔτ᾽ ἀμεινότερος φώς

et poeta incertus apud Philonem vol. II p. 500 Mang. *Οὔτε γυνὴ τοσσόνδε νόον ἐπιδεύεται ἐσθλοῦ Ὥστε χερείον' ἕλέσθαι ἀμεινοτέρων παρεόντων.* Virum eximium, qui eadem forma Homerum usum esse putabat ad Phrynichum p. 136 fefellit memoria; Homerus enim non *ἀμεινότερον* dixit, sed *χειρότερον* Odyss. ο' 513. Sed redeo unde digressus sum. *Μαγείραινα* et *ἰχθυοπώλαινα* habemus in fragmento apud Athenaeum XIII p. 612 a, *σκόνυζα* pro *κόνυζα* apud Photium p. 524, *κῆχός* apud Etymol. M. p. 682 54 et Cramerum Anecd. I p. 344 27, *ἀκέαννος* pro *ἀκέανος* apud Eustath. p. 1528 45, *κυάμους φακῆν* (leg. *ἀφάκην*) *ζείας αἴρας ἀκεάννους.* Sed corruptum videtur *ἐπέσθειν* pro *ἐπεσθίειν* apud Athen. p. 644 f, ubi legerim *ἐπήσθι'.* Nec sanum est *ἀλήθω* pro *ἀλέω* apud Suidam s. v. *ἀνόδοντος*, vel *εἴρυσεν* ab *ἐρύω* apud Pollucem VII 163, ubi legendum *ἤρυσεν* ab *ἀρύτω.* Nec *κάρυα* dixit penultima longa apud Athenaeum II p. 56 f, sed leg. *καρύκη.* Aeque vitiosum est quod legitur apud Grammat. Seguer. p. 372 32, ubi corrige *ἅ με λέγει.* De metro Pherecrateo, quod se primum invenisse ipse gloriatur apud Hephaest. X 5 et XV 15:

ἄνδρες, πρόσχετε τὸν νοῦν
ἐξευρήματι καινῷ
συμπτύκτοις ἀναπαίστοις,

disputavit Hermannus Doctr. metr. p. 434. De dramatum quae docuit numero ita veteres dissentiunt, ut Anonymus l. l. octodecim, Suidas autem et Eudocia sedecim fabulas eum docuisse memoriae prodiderint. Utroque multo liberaliores se praebuerunt Meursius Bibl. Att. p. 1578 et ad Nicomach. Mus. p. 171 et Fabricii Bibliotheca Harlesiana, quippe qui viginti quattuor fabularum titulos apposuerunt, quorum numerum ita imminuemus, vix ut octodecim fabulae relinquantur, quamquam inter has etiam complures, de qui-

bus iam veteres gravissimas dubitationes moverunt. Ex hoc genere sunt *Ἀγαθοὶ* et *Μεταλλεῖς*, quarum quam primo loco commemoravimus *Ἀγαθοί*, eam Pollux VII 148 et X 47 nihil de auctore dubitans ut Pherecratis fabulam laudat, Athenaeus autem tribus locis ita commemorat ut eam ab aliis Strattidi tributam fuisse significet. Vid. lib. VI p. 248 c X p. 415 c et XV p. 685 b. Athenaeus fortasse Eratosthenis iudicium sequutus est, quem in crisi dramatum Pherecrateorum diligenter versatum esse statim videbimus. *Μεταλλεῖς*, quam Athenaeus VI p. 268 e. sine suspicionis significatione commemorat, idem lib. XV p. 685 a. incerto auctori tribuit: *ὁ πεποιηκὼς τοὺς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένους Μεταλλεῖς.* Nicomacho eam tribuit Eratosthenes apud Harpocrationem s. v. *μεταλλεῖς* p. 243. Quod quibus rationibus ductus fecerit, suspicari licet e Photii Lex. p. 29 *εὐθὺ Λυκείου* (ita Porsonus pro *Λύκειον*): *τὸ εἰς Λύκειον, ὅθεν Ἐρατοσθένης καὶ διὰ τοῦτο ὑποπτεύει τοὺς Μεταλλεῖς*, ubi ex adiecto Euripidis versu ex Hippolyto: *τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν*, manifestum est scripsisse Photium *εὐθὺς Λυκείου.* Ita locum intellexit etiam Lobeck ad Phryn. p. 144, quem frustra erroris insimulat Bernhardius ad Eratosth. p. 230. Itaque suspicari licet Eratosthenem maxime ex orationis usu fabulae isti notam adspersisse, id quod conatus est etiam Bernhardius, quamquam non eodem in omnibus successu, velut cum in fragmento apud Athen. VI p. 269 locutionem: *τὰ δὲ μῆλ' ἐκρέματο τὰ καλὰ τῶν καλῶν ἰδεῖν*, tanquam tragicam et a comicorum sermone abhorrentem vituperat. Atqui Diocles apud Photium et Suidam s. v. *κακὰ κακῶν* dixit: *Πλυνεῖ τε τὰ κακὰ τῶν κακῶν ὑμᾶς*, quae male attentavit Toupius Emend. III p. 101. Eodem dicendi genere usus est Aristophanes Byzantius in argumento metrico Pluti vs. 10 *τῶν ἀγαθῶν τἀγαθά.* Illud autem rectissime mo-

nuit, alienum esse ab Atticorum usu quod ab Erotian. p. 56 ex hac fabula affertur adverbium *ἀρμῷ*. Poterat his alia adiicere ex eodem illo apud Athenaeum fragmento petita, veluti quod vs. 28 legitur *τὰ ῥόδα*, correpta vocali ante literam *ρ*, cuius rei nullum certum apud vetustissimos comicos exemplum reperiri puto. Porro in spuriis Pherecratis fabulis commemorantur quas Persarum et Chironis nomine inscripsit. De Chirone postea dicetur; de Persis autem vide Athenaeum III p. 78 d. XI p. 502 a. XV p. 684 f et 685 a, quibus locis auctor fabulae ita fere indicatur: *Φερεκράτης ἢ ὁ πεποιηκὼς τοὺς Πέρσας*, vel *τοὺς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένους Πέρσας*. Ita etiam apud Schol. Aristoph. Ran. 365 commemorantur *οἱ ποιήσαντες τοὺς Φερεκράτους Πέρσας*, ubi quod plurali numero usus est auctor, indicio esse videtur alios alium eius fabulae auctorem perhibuisse. Similiter incerti auctoris *Ἀτθίδα* his verbis significavit Strabo V p. 339 *οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες*. Non addita de auctore fabulae dubitatione commemoratur apud Polluc. VII 15. Denique dubiis Pherecratis fabulis nescio an *Μέτοικοι* accenseri debeant. Apollonius de Pron. p. 404 B. *ἐν Μετοίκοις Φερεκράτους ἅπαξ ἐστὶν εἰρημένη* (*ἡ εὐθεῖα* pronominis *ἐμαυτοῦ*) *καὶ ἴσως ἕνεκα τοῦ γελοίου*. Sed idem p. 348 C. *εὐθείας ἀπορεῖ — οὐ γὰρ εἰ ἅπαξ εἴρηται, καὶ ταῦτα ὑπὸ κωμικῆς ἀδείας, ὡς ἐν Μετοίκοις Πλάτωνος, τοῦτο κανών ἐστιν*. Nisi is ipsius Apollonii error est: Platoni eam fabulam tribui etiam a Polluce Eudocia Suida et Andronico infra videbimus. Demptis igitur quae sive dubiae sive spuriae ab ipsis antiquis criticis habitae sunt fabulis, tredecim restant tituli: *Ἄγριοι, Αὐτόμολοι, Γρᾶες, Δουλοδιδάσκαλος, Ἐπιλήσμων ἢ Θάλαττα, Ἰπνὸς ἢ Παννυχίς, Κοριαννώ, Κραπάταλοι, Λῆροι, Μυρμηκάνθρωποι, Πετάλη, Τυραννίς, Ψευδηρακλῆς*. Nam qui praeterea commemorantur a Meursio et

Fabricio fabularum tituli Ἀγγεῖα, Γραφεῖς, Ἐπιστολή, Ἱστός, Λάμια et Ῥητορική, vitiosis debentur lectionibus, ut suo loco videbimus.

Certarum et a nemine in dubium vocatarum fabularum quam primo loco commemoravimus Ἄγριοι inscriptam, ea singularem diligentiam experta est C. F. Heinrichii, qui in Demonstratione loci Platonici e Protagora (Kiloniae anno MDCCCXIII) novam de ea coniecturam protulit tantoque doctrinae et ingenii apparatu exornavit, ut non mirum sit, si multis ille sententiam suam comprobaverit. Sic autem ille statuit, Agriorum argumentum spectasse potissimum artem musicam et eam eius corruptelam quae mutatis legibus musicis animos dissolvere et enervare multis visa fuerit; idque apparere e fragmento quodam apud Suidam s. v. Χαῖρις servato, in quo duos actores de Melete et Chaeride, musicae artis corruptoribus primariis, colloquentes a poeta induci. Ex eadem fabula desumptos esse versus illos nobilissimos apud Plutarchum de Mus. p. 1141 D. non addito fabulae titulo servatos, quos cum Nicomachus Musicus Harm. II p. 35. e Pherecratis Chirone ductos esse significaverit, confici Agrios et Chironem unam eandemque fuisse fabulam, in qua Chironi, Centauro illi μουσικωτάτῳ, partes antistitis et quasi propugnatoris vetustae et masculae musicae poeta demandaverit, reliquo Centaurorum grege chori partes sustinente, ex quo sequi, inepte apud Platonem Prot. p. 528 Heind. ipsum illum Agriorum chorum e μισανθρώποις constare dici, quorum in locum si ἡμιάνθρωποι substituantur, nihil deesse loco illi Platonico ex molesta et diuturna caligine in lucem revocando.

In his ut verum esse concedam quod primo loco vir doctissimus de argumento fabulae Ἀγρίων nomine inscriptae posuit, non recte tamen hoc ex illis apud Suidam versibus

colligi posse putaverim; neque ipsum opinor Heinrichium hoc positurum fuisse crediderim, nisi alterum locum a Plutarcho servatum ad eandem fabulam trahendum esse sibi persuasisset. Atqui hoc ipsum eiusmodi est, ut, nisi gravioribus argumentis demonstretur, nullo modo concedi posse videatur. Qualis enim obsecro haec est argumentandi ratio: tetigisse Pherecratem invalescentem musicae artis depravationem in Agriis; idem cum in Chirone fecerit, necessaria consecutione effici, Agrios et Chironem non diversas fuisse fabulas, sed diversos tantum unius eiusdemque fabulae titulos. Quid vero? potuitne Pherecrates idem argumentum in pluribus diversisque fabulis vel data opera tractasse vel intento tantum digito tetigisse? praesertim quum ipsa illa musicae artis depravatio pervulgatum fuerit antiquae comoediae argumentum. Quid autem causae esse dicamus, quod in tanta eorum qui Agrios et Chironem ad partes vocant multitudine [33]) nemo tamen reperiatur qui ita alterutram fabulam commemoraverit, ut utramque pro una eademque fabula habitam esse suspicari liceat; id quod minime omnium Athenaeum lib. IV p. 171 d. V p. 218 d. VI p. 263 b et VII p. 316 e, ubi Agriorum fragmenta servavit, neglecturum fuisse crediderim, quippe qui aliis in locis de Chironis auctore dubitatum fuisse significaverit. Quod argumentum etsi non eam vim habeat ut in alia causa nihil ei opponi posse existimem, in hac tamen quaestione, in qua omnia causae momenta colligi et expendi merentur, vel inprimis commemorandum est. Ex iis quae adhuc disputavimus satis intelligi opinor, Heinrichium non ita causae suae patrocinium suscepisse, ut criticis legibus ex omni parte satisfecisse censen-

---

[33]) *Ἄγριοι* decies quinquies, *Χείρων* autem novies ad partes vocatur.

dus sit. Quam quidem laudem multo minus, ut equidem opinor, in reliqua disputationis suae parte ei concedere licebit. Etenim ipse videt vir egregius, magnam sententiae suae dubitationem moveri eo, quod Athenaeus quattuor locis Chironem, incerti auctoris carmen, commemorat, quod alii Pherecrati, alii Nicomacho τῷ ῥυθμικῷ, alii denique aliis auctoribus tribuendum censuerint. Vid. lib. VIII p. 364 a. IX p. 368 b et 388 f. XIV p. 635 f. Haec igitur Heinrichius cum sua ipsius sententia ita conciliare conatus est, ut Chironem illum quater ab Athenaeo laudatum comoediam fuisse negaret, sed ex eo poesios genere, quod haud inepte praeceptivum vocavit vir doctissimus, fuisse sibi persuaderet; idque colligit ex eo, quod prius illud Chironis fragmentum libro VIII servatum heroicis versibus iisque παραινετικοῖς et ad Hesiodi aliorumque didacticorum poetarum imitationem factis conceptum sit. Haec per se quidem non inepte disputata videri possunt; si quis autem reputaverit, fuisse inter veteres criticos, qui ipsum illum Chironem, de cuius auctore dubitatum fuisse vidimus, Pherecrati, h. e. comico poetae tribuendum censerent, cuius industria in longe alio poesios genere, quam quod cum didactico, quale Chironis fuisse debuit, argumento aliquid communionis habeat, elaboraverit; porro si eo animum advertat, Chironis fragmenta tribus reliquis Athenaei locis servata, cum et trimetris concepta sint iambicis et vernilitatis colorem habeant antiquae comoediae poeta dignissimum, sine ulla dubitatione ex comoedia petita esse: haec omnia si quis apud animum perpenderit, equidem nullus dubito, quin illam Heinrichii coniecturam ne levissima quidem probabilitatis specie commendabilem, sed prorsus vanam inanemque esse intelligat. Nam quod iambica illa fragmenta ab Athenaeo cum eadem incerti auctoris significatione prolata ex veri et genuini Pherecratis Chirone sive Agriis

deprompta esse, ab Athenaeo autem supina quadam negligentia ad personatum Pherecratem relata esse statuit vir clarissimus, hoc igitur quid aliud esse dicemus quam ultimum frustra e laqueis, quibus ipse sese implicuit, exitum tentantis refugium? Neque profecto hoc unquam in mentem venisset Heinrichio, si Scholiasten Aristoph. Equ. 1343 inspexisset, qui cum eundem illum Chironem cum eadem de eius auctore dubitatione ad partes vocaverit, facile intelligitur, quantopere hac una observatione tota illa Heinrichii ratio labefactetur. Neque enim vereor, ne Aristophanis quoque Scholiasta festinantius fecisse et utrosque Chirones, toto coelo inter se diversos, temere et sine iudicio confudisse dicatur. Neque vero his finibus sese continuit ingeniosissimi viri audacia. Nam cum versibus illis heroicis, sive orationis colorem sive argumenti rationem spectes, nonnihil similitudinis cum fragmento quodam e Pseudo-Hesiodi Ὑποθήκαις apud Schol. Pind. Pyth. VI, 19 intercedere vidisset, et cum ipsae illae Ὑποθῆκαι praecepta quaedam sub Chironis persona Achilli data continuerint, iterum inscriptionis similitudine deceptus utrumque idem poema fuisse suspicatur. Sed huic quidem opinioni, utcunque de argumento Pseudo-Hesiodei carminis statuatur, versuum illorum color magna ex parte ludicrus totusque orationis habitus adeo adversantur, ut nihil a doctissimo viro dici potuisse existimem periculosius. Tum vero quis tandem serio carmen illud Hesiodi nomen mentitum tam recenti aetate ortum esse sibi persuadeat, ut Pherecrati vel Nicomacho affingi potuerit? Quis tam novitium opus ita Boeotis imposuisse credat, ut simul illud cum ceteris Hesiodi carminibus, sive genuinis sive supposititiis, certe tamen antiquissimis, commemorarent, teste Pausania lib. IX 31. Atqui, inquies, quid Pherecrati, comico poetae, cum versibus illis heroicis et ad Hesiodi imitationem effictis? Quasi vero

nesciamus Cratinum in Odyssea ad risum iocumque detorquenda aliosque comicos in aliorum epicorum carminibus parodia ludendis eandem sequutos esse rationem [34]).

Sed priusquam reliqua de Chirone et Agriis dicenda persequar, haud importunum fuerit quaesivisse, quis tandem fuerit ille, cui alii Pherecratis Chironem adiudicandum censuere, Nicomachus; quam quaestionem nisi defugisset Heinrichius, haud scio an id aliorsum eius sententiam traxisset. Athenaei verba lib. VIII p. 364 a haec sunt: *ἐπὶ νοῦ οὐ λαμβάνοντες τὰ εἰρημένα ὑπὸ τοῦ τὸν Χείρωνα πεποιηκότος, εἴτε Φερεκράτης ἐστὶν εἴτε Νικόμαχος ὁ ῥυθμικός, ἢ ὅστις δήποτε*, ubi postrema verba *ἢ ὅστις δήποτε* si ad proxime antecedentia *ὁ ῥυθμικός* spectant, sensus loci hic erit, alios Chironem Pherecrati, alios Nicomacho tribuisse, sive is *ὁ ῥυθμικὸς* fuerit sive alius quidam; sin remotiora continuant, *εἴτε Φερεκράτης εἴτε Νικόμαχος*, apertum est dici veterum criticorum de auctore Chironis iudicium non inter duos sed plures fluctuasse. Quae si vera est interpretatio, licebit opinor etiam Platonem in iis numerare poetis,

---

[34]) Ipsas illas Hesiodi *ὑποθήκας* fuerunt qui parodiae lusu risisse sibi persuaderent Aristophanem *Δαιταλεῦσιν* apud Phrynichum Ecl. Att. p. 91. Sed hoc quidem loco non intercedo, quominus cum Heinrichio eae intelligantur *ὑποθῆκαι*, quibus *Ἔργα* sua ornavit Hesiodus; quamquam quod necessario ad hanc rationem amplectendam nos cogat, nihil causae video. Minus etiam Cratini versui tribuerim apud Hephaest. I 3, in quo *Χείρωνος ὑποθηκῶν* mentionem fieri suspicatus est Gaisfordius: *σκῆψιν μέν, Χείρωνες, ἐλήλυμεν, ὡς ὑποθήκας* — cuius loci perquam ambigua est sententia, ut in neutram partem aliquid statuas: *σκῆψιν* autem, quod fuit qui in *Σκῆψιν* mutaret, idem est quod *πρόφασιν*, hoc fere sensu: accessimus ad vos, Chirones, eo quidem praetextu, ut *ὑποθήκας* etc. Sequebatur haud dubie in proximis *ἔργῳ δέ* revera autem ut —.

quibus Chiron fabula adscriberetur. Eius suspicionis opportunitatem mihi fragmentum Chironis a Plutarcho servatum praebuit, in quo Musica de Phrynidis in arte citharoedica queritur,

> *Φρῦνις δ' ἴδιον στρόβιλον ἐμβαλών τινα*
> *κάμπτων με καὶ στρέφων ὅλην διέφθορεν.* [35])

In his *στρόβιλον* figurato sensu de artificiosis tremulorum sonorum quasi vorticibus dixisse videtur. Iam compara Phrynichum Bekkeri p. 63 27 *Στρόβιλος: τὴν τοῦ ἀνέμου συστροφήν — Πλάτων καὶ μεταφορικῶς κέχρηται ἐπὶ ᾠδῆς κιθαρῳδικῆς πολὺν ἐχούσης τάραχον.* Nonne ad eundem illum locum respexisse censendus est? Incerta haec esse et dubia non diffiteor; nec tamen celandam putavi coniecturam, non magna quidem at aliqua tamen veritatis specie commendabilem. Sed redeo ad Nicomachum, de quo ita statuo ut minime eum diversum fuisse existimem a Nicomacho eo, cui Eratosthenem lib. VII de antiqua Comoedia etiam aliam Pherecratis fabulam attribuisse discimus ex Harpocratione s. v. *Μεταλλεῖς* p. 242 *ἔστι δὲ καὶ δρᾶμα Φερεκράτους Μεταλλεῖς, ὅπερ Νικόμαχόν φησι πεποιηκέναι Ἐρατοσθένης ἐν ἑβδόμῳ περὶ τῆς ἀρχαίας Κωμῳδίας.* Iam neminem dubitaturum speramus, quin idem ille Eratosthenes qui *Μεταλλεῖς* Pherecrati adiudicaverat etiam Chironi Pherecratis nomen detraxerit; quod cur ille faceret rationes habuit haud

---

[35]) Hunc locum in animo habuit Scholiasta Aristophanis Nub. 971 *οἱ κωμικοὶ πολλάκις αὐτοῦ* (*Φρύνιδος*) *μεμνημένοι ἐφ' οἷς ἐκαινούργησε κλάσας τὴν ᾠδὴν παρὰ τὸ ἀρχαῖον ἦθος, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶ καὶ Ἀριστοκράτης*, ubi pro *Ἀριστοκράτης* iam apertum est scripsisse Scholiastam *Φερεκράτης*. Neque id fugit, ut ex Hermanni adnotatione video, Burgesium Diar. class. 44 p. 280 quamquam loci, quem respexit Scholiasta, immemorem.

dubie gravissimas. Eratosthenis auctoritatem postea sequuti sunt Athenaeus Scholiastes Aristophanis et si qui alii forte Chironis adiecta de auctore fabulae dubitatione meminerint. Antiquae igitur comoediae poeta habendus est Nicomachus ille cui Eratosthenes *Μεταλλεῖς* et Chironem adscripsit, neque confundendus nec cum Nicomacho musico, quem Aristoxeni aequalem fuisse docet Bacchius Introd. mus. p. 22, nec cum Nicomacho eo cuius Ilithyam Athenaeus VII p. 290 f et Naumachiam Stobaeus Floril. XXXVIII 10 laudant. Hunc enim novae comoediae poetam fuisse certissimum est.

Sed redeo unde digressus sum, ad Pherecratis, sive ut Eratostheni placuit Nicomachi Chironem, de cuius fabulae argumento si quaeras, ego quidem ex iis quae mihi innotuerunt fragmentis nihil quod quidem certum et exploratum sit me eruere potuisse invitus fateor; quamquam ad depravationem artis musicae magnam eius partem pertinuisse tum inscriptio fabulae fidem facit, tum vero ex praeclaro illo fragmento apud Plutarchum de Mus. p. 1141 d. servato perspicitur. Achillis et Ulyssis partes aliquas in eadem fabula fuisse colligas e loco quantivis pretii apud Schol. Arist. Ran. 1343 *διεβάλλοντο ἐπ' αἰσχρότητι οἱ Λέσβιοι. καὶ ἐν τῷ εἰς Φερεκράτην ἀναφερομένῳ Χείρωνι· δώσει δέ τις γυναῖκας ἑπτὰ Λεσβίδας. καλὸν τὸ δῶρον ἕπτ' ἔχειν λαικαστρίας.* Qui versus ita corrigendi et inter colloquentes personas distribuendi sunt:

α'. δώσει δέ σοι γυναῖκας ἑπτὰ Λεσβίδας.
β'. καλόν γε δῶρον ἕπτ' ἔχειν λαικαστρίας.

Quem ad modum fere leguntur hi versus apud Eustath. ad Homer. Iliad. p. 741 24. Quod autem Achillis et Ulyssis haec verba esse suspicatus sum, feci Homeri auctoritatem sequutus, apud quem Iliad. IX 270 Ulysses, legationis ad

Achillem missae princeps, Aeacidam inter alia his verbis compellat:

Δώσει δ' ἑπτὰ γυναῖκας ἀμύμονα ἔργ' εἰδυίας,
Λεσβίδας, ἃς ὅτε Λέσβον ἐϋκτιμένην ἕλεν αὐτός,
ἐξέλετο —

Sed de hoc utcunque statuas, illud certe liquidissime apparet, non tantum Hesiodi Ὑποθήκας, sed ipsam etiam Iliada in illa fabula ad risum iocumque fuisse deflexam. Eidem fabulae vindicandus est locus apud Stobaeum Serm. CXVII p. 479 Grot. omisso dramatis titulo servatus:

Εἰκῆ μ' ἐπῆρας ὄντα τηλικουτονί
πολλοῖς ἐμαυτὸν ἐγκυλῖσαι πράγμασιν·
ἐγὼ γάρ, ὦ 'νδρες, ἡνίκ' ἦν νεώτερος,
ἐδόκουν μέν, ἐφρόνουν δ' οὐδέν. ἀλλὰ πάντα μοι
κατὰ χειρὸς ἦν τὰ πράγματ' ἐνθυμουμένῳ·
νῦν δ' ἄρτι μοι τὸ γῆρας ἐντίθησι νοῦν.

Ubi secundo versu vulgo editur *ἐγκυλίσαι*, quod ne verbo quidem monerem, nisi Valckenarium ad Hippol. p. 248 c et Ruhnken. ad Tim. p. 119 pusilla menda adeo fefellisset, ut *ἐγκυκλῆσαι* reponendum censuerint. Ad Chironem autem hos versus referendos esse docet Priscianus Gramm. Inst. XVIII 25 p. 224 *Φερεκράτης Χείροσιν· νῦν δ' ἄρτι μοι τὸ γῆρας ἐντίθησι νοῦν.*

Ex loco illo apud Plutarchum servato cuius iam aliquoties mentionem iniecimus intelligitur, Musicam muliebri habitu indutam totoque corpore pessime habitam, praesente Iustitia et tam contumeliosae condicionis causam sciscitante, a poeta in scenam esse productam. Haec si teneas, haud immerito ex eadem fabula ductos esse suspiceris versus nonnullos apud Grammaticum Seguer. p. 339 sq. *ἄγρυκτα καὶ ἄλεκτα πέπονθα: τὸ μὲν ἄγρυκτα ἐστὶν ὥστε μηδὲ γρύξαι διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῶν κακῶν. — κέχρηται δὲ αὐτῷ και-*

νότατα Φερεκράτης· Τί δ' ἔπαθες; . . . Ἄγρυκτα κἄλεκτ'· ἀλλὰ βούλομαι μόνῃ Αὐτῇ φράσαι σοι. Quae verba ita fere inter Μουσικὴν et Δικαιοσύνην (ita enim dicitur apud Plutarchum) distribuenda videntur:

Δ. τί δ' ἔπαθες;
M. ἄγρυκτα κἄλεκτ'· ἀλλὰ βούλομαι μόνῃ
αὐτῇ φράσαι σοι.

Apertum iam esse arbitror Chironem neque comoediarum numero esse eximendam neque eandem atque Agrios fuisse fabulam. De Agriorum autem argumento, quale Heinrichius satis ingeniose adumbravit, quid iam statuendum sit, me vel tacente intelligitur. Itaque ut nunc res est, nihil fere ea de fabula tenemus, quam quod ante hos centum et quod superest annos scripsit iam Kuhnius ad Polluc. IX 12, qui cum chorum fabulae e misanthropis conflatum esse statuit, respexit eundem de quo Heinrichius scribere instituit Platonis locum in Protagora p. 327 c Steph. p. 528 Heind. οὕτως οἴου καὶ νῦν, ὅστις σοι ἀδικώτατος φαίνεται τῶν ἐν νόμοις καὶ ἀνθρώποις τεθραμμένων, δίκαιον αὐτὸν εἶναι καὶ δημιουργὸν τούτου τοῦ πράγματος, εἰ δέοι αὐτὸν κρίνεσθαι πρὸς ἀνθρώπους, οἷς μήτε παιδεία ἐστί, μήτε δικαστήρια, μήτε νόμοι, μηδὲ ἀνάγκη μηδεμία διὰ παντὸς ἀναγκάζουσα ἀρετῆς ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλ' εἶεν ἄγριοί τινες, ὥσπερ οὓς πέρυσι Φερεκράτης ὁ ποιητὴς ἐδίδαξεν ἐπὶ Ληναίῳ. ἦ σφόδρα ἐν τοῖς τοιούτοις ἀνθρώποις γενόμενος, ὥσπερ οἱ ἐν ἐκείνῳ τῷ χορῷ μισάνθρωποι, ἀγαπήσαις ἂν εἰ ἐντύχοις Εὐρυβάτῳ καὶ Φρυνώνδᾳ. Hoc igitur loco Heinrichius, cum Pherecrateae fabulae chorum e Centaurorum grege constitisse sibi persuasisset, non poterat non gravissime offendi μισανθρώποις illis, quibus ἡμιανθρώπους substituendos censuit, rectius haud dubie facturus, si leniore mutatione μιξάνθρωποι scripsisset, in quod cum primum doctissimi viri disputa-

tionem legissem incidi, recens tum forte a lectione Libanii Orat. III p. 108 c ed. Mor. *Κενταύρου σῶμα διφυές, καὶ τροφέα μιξάνθρωπον, καὶ τροφὴν ἐξηγριωμένην.* Idem postea etiam Iacobsio in mentem venit ad Anthol. Palat. III 2 p. 800. Sed frustra, ut equidem arbitror; *μισανθρώπους* in illo Platonis loco satis, opinor, tuetur Themistius Orat. XXVI p. 323 C ed. Hard. Queritur eo loco Sophista disertissimus, esse quosdam qui homines ita a deo creatos dicant, ut mutuo amore et benevolentiae significatione sese prosequantur, cum tamen ipsi inhumanitatis crimen subeant turpissime; eosdem laudare Prometheum, quod homines ad societatem finxerit, *αὐτοὺς δὲ ἰλλιγγιᾶν πρὸς τὸ πλῆθος καθάπερ τοὺς Ἀγρίους, οὓς ἐδίδαξε Φερεκράτης,* h. e. ipsos autem Agriorum instar, quos Pherecrates in scenam produxit, simulatque in hominum societatem protrahantur, vertigine quadam corripi et in media luce caecutire. Is enim fere sensus est verbi *ἰλιγγιᾶν*, de quo erudite disputavit Piersonus ad Moer. p. 197. Ex his manifestum est, Pherecratem *Ἀργίους* suos intelligi voluisse non profecto semiferos illos Centauros [36]), sed homines solitarios et ab aliorum societate remotos, ideoque morosos et ad aliorum adspectum trepidantes, eosdem irasci faciles et contumaces. Ita igitur Pherecrates eodem fere modo *Ἀργίους* suos informasse putandus est, ut Phrynichus *Μονότροπον* suum introduxerat. Sic enim ille de semet ipso loquitur apud Grammat. Seguer. p. 35.

---

[36]) Vellem docuisset vir cl. quo habitu Centauros istos a poeta in scenam productos esse sibi finxerit: si Homerico, fecit Pherecrates contra suae aetatis persuasionem; sin ferino illo et biformi, equidem me vereri fateor, ut talium monstrorum chorus Atheniensibus magnopere placuerit.

Ζῶ δὲ Τίμωνος βίον,
ἀπρόσοδον, ὀξύθυμον, ἄγαμον, ἄζυγον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

Sic enim legendi sunt hi versus, quibus nihil ad *ἀγρίων* illorum mores illustrandos fingi potest accommodatius. Ex ipsis fabulae reliquiis num quid ad argumentum dramatis in clariore luce ponendum erui possit, vehementer dubito.

Αὐτόμολοι fabula quo tempore acta sit suspicari licet ex loco apud Schol. Arist. Pac. 476 *περὶ Ἀργείων καὶ Φερεκράτης ἐν Αὐτομόλοις*

Οὗτοι γὰρ ἡμῖν οἱ κακῶς ἀπολούμενοι
ἐπαμφοτερίζουσ' ἐμποδὼν καθήμενοι.

Inclytum illud centennale foedus inter Argivos et Athenienses ictum est anno belli Peloponnesii duodecimo, h. e. Olymp. LXXXIX 4. Vid. Thucyd. V 47. 48. Ruperunt autem foedus Argivi et cum Lacedaemoniis societatem inierunt Ol. XC 3 teste Thucyd. V 77. 79. Unde apertum est, scribi ista vix potuisse a Pherecrate ante Olymp. XC 4. De argumento, nisi ex titulo fabulae coniecturam facere velis, e fragmentis nihil certi eruas, nisi quod musices depravationem attigisse videtur. V. Scholiasta Aristophanis Equ. 420 et Lexicon Bekkeri Anecd. I p. 370. 460. In nobili fragmento apud Clementem Alex. Strom. VII p. 304 Sylb. conqueruntur dii de sacrorum sibi oblatorum tenuitate.

Γρᾶες fabula passim corrupto titulo laudatur, velut apud Polluc. X 162, ubi vulgo *Γράμμασιν*. At MS *Γραυσί*, cod. Salm. *Γραυσία*, quod non recte Hemsterhusius in *Γραυσὶ α'* mutatum ivit. Fortasse etiam apud Athenaeum IX p. 395 b corrigendum *Φερεκράτης ἐν Γραυσὶ* pro *ἐν Γραφεῦσι*, quam fabulam, a nemine praeterea laudatam, Fabricius Bibl. Gr. II p. 474 ab Suida s. v. *Φερεκράτης* laudari

putavit, ubi post verba *ἐδίδαξε δράματα ιϛ'* haec sensu cassa inferuntur: *Φερεκράτης Πετάλῃ γράφει.*

Sequitur *Δουλοδιδάσκαλος*, cuius argumentum quod fuerit tum titulus satis indicat, tum vero etiam ex Athen. VI p. 262 b perspicitur, ubi se mirari ait servorum in summa cupediarum abundantia continentiam; has enim aspernari illos, nec ob metum tantum, sed etiam *κατὰ διδασκαλίαν οὐ τὴν ἐν Δουλοδιδασκάλῳ Φερεκράτους ἀλλὰ ἐθισθέντες.* Ad titulum respexit etiam Pollux III 80 *εὔδουλος, ὁ εὖ τοῖς δούλοις χρώμενος· καὶ τὸ δρᾶμα Δουλοδιδάσκαλος.* Apud Scholiastam Euripidis Hec. 463 *οὐ μόνον δὲ αἱ παρθένοι ὕφαινον — ἀλλὰ καὶ γυναῖκες τέλειαι, ὡς Φιλοκράτης ἐν Δουλοδιδασκάλῳ.* verissime Pherecratis nomen restituit Matthiae, eamque emendationem confirmare poterat versu huius fabulae apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 404 *ταχὺ τῶν ἐρίων καὶ τῶν ἀνθῶν τῶν παντοδαπῶν κατάγωμεν.* Ex ea fabulae parte, in qua ministrandi praecepta servo dabantur, petita suspicor quae leguntur apud Athenaeum XI p. 408 b

νυνὶ δ' ἀπονίζων τὴν κύλικα δὸς ἐμπιεῖν
ἔγχει τ' ἐπιθεὶς τὸν ἠθμόν,

et XV p. 699 f

ἄνυσόν ποτ' ἐξελθών, σκότος γὰρ γίγνεται,
καὶ τὸν λυχνοῦχον ἔκφερ' ἐνθεὶς τὸν λύχνον.

Ceterum non temere suspicere hanc fabulam ex earum genere fuisse, in quibus Cratetis rationem aemulatus est Pherecrates.

Ἐπιλήσμων ἢ Θάλαττα hoc pleno titulo laudatur ab Athenaeo VIII p. 365 a. *Ἐπιλήσμονες* plurali numero vocatur apud Schol. Vesp. 542. 1029, sed apud eundem ad vs. 968 recte singularis habetur numerus [37]. Semel sim-

[37]) Neque enim dubitari potest quin corrupta Scholiastae verba *Φερεκράτης ἐν Ἐπιστολῇ· μόνιός τις παρέθηκε*

pliciter *Θάλαττα* vocatur apud Erotian. Gloss. Hipp. p. 98, ubi proclivi errore (v. Alberti ad Hesych. s. v. *κορίαννον*) pro *Φερεκράτης* legitur *Φερεκύδης*, de quo admonui in Curis crit. p. 41. Pherecydem poetam comicum miro errore finxit Toupius Emend. IV p. 136. Thalassam autem intellige meretricem, quae etiam Diocleae fabulae nomen dedit.

Fabulae *Ἰπνὸς ἢ Παννυχίς* integrum elogium extat apud Athenaeum XIII p. 612 a et Harpocrat. s. v. *ἰπνός*. *ἔστι γοῦν δρᾶμα Φερεκράτει Ἰπνὸς ἢ Παννυχίς, ἐν ᾧ δηλοῦται τοῦτο ὅτι μέρος τῆς οἰκίας ἐστίν.* Reliqui nude *Ἰπνὸν* vocant, semel Scholiastae Aristophanis Pac. 1241 dicitur *Παννυχίς*. Pro *Ἰπνὸς* passim vitiose legitur *Ὕπνος*. V. Casaubonum ad Athen. l. l. Apud Pollucem X 184 recte e libris repositum est *Ἰπνῷ*. Hoc enim accentu scribitur etiam apud Harpocr. l. l. Contra apud Polluc. X 181 pro *ἐν Ἱππῶνι* minus recte edidere *ἐν Ἴπνῳ*. In Athenaei MS Veneto ubique legitur *Ἴπνος*. V. Schweigh. vol. VII p. 319. Eundem fabulae titulum in *Ἱστὸν* abiisse videri apud Suidam s. v. *ἄξιος*, alio loco monui.

Κοριαννώ, cui a meretrice nomen inditum esse constat ex Athenaeo XIII p. 567 c, plerumque corrupto elogio laudatur, velut apud Grammaticum Seguer. I p. 345. *Φερεκράτης Κοριάνοις* pro *Κοριαννοῖ*. Idem vitium ibidem p. 406. 412. 418, apud Suidam s. v. *ἀνυδρεύσασθαι* aliisque locis permultis, quibus omnibus *Κοριαννοῖ* restituendum est, contra ac Dorvillio visum est ad Hephaest. p. 101 Gaisf. male comparanti Plauti Menaechmos et Cratini Archilochos. Eodem errore, ut videtur, Suidas: *Κορίαννοι. Φερεκράτης*

κράνην, ex quibus *Ἐπιστολὴ* in indicem fabularum Meursii et Fabricii irrepsit, ita emendari debeant: *Φερεκράτης ἐν Ἐπιλήσμονι Ὅστις παρέθηκε τραχήλια.*

κέχρηται, ubi frustra T. Hemsterhusius ad Polluc. vol. II p. 1369 corrigit *Κοριαννώ*. Alius in huius nominis scriptura error hic est, si quando simplici *νῦ* effertur, ut in Scholiis Hephaest. p. 56. Etym. M. aliisque locis. *Κοριαννὼ* formatum ut *Νάννὼ* et similia, ac quemadmodum *κορίαννα* constanti usu duplici ametabolo scribitur, ita etiam *Κοριαννώ*. De argumento fabulae nihil constat, nisi quod bibacitatem meretriculae poetam perstrinxisse e locis apud Athen. X p. 430 e et XI p. 481 a intelligimus.

Accedimus ad *Κραπατάλους*, in cuius nominis scriptura antiqui libri ita dissentiunt ut alii uno alii duobus *λλ* scriptum exhibeant. Hos unice probat Casaub. ad Athen. III p. 80. Sed genuinam verbi scripturam esse *Κραπάταλοι*, evincente versu apud Athen. XIV p. 646 c, verissime monuit Porson. Adv. p. 262. De sensu nominis et argumento fabulae nihil certi constitui potest. Adscribam tamen memorabilem locum Pollucis lib. IX 83, ubi postquam de danace, Persico numo, disputavit, ita pergit: *ὄνομα δέ τι νομίσματος καὶ κραπατάλους εἴτε παίζων εἴτε σπουδάζων Φερεκράτης ὠνόμασεν ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι. λέγει δὲ τὸν μὲν κραπάταλον εἶναι ἐν Ἅιδου δραχμήν, ἔχειν δ' αὐτὸν* (ita scripsi e cod. pro *ἔχει δ' αὐτὸς*) *ὀκτὼ ψωθίας, τὴν δὲ ψωθίαν εἶναι τριώβολον καὶ δύνασθαι ὀκτὼ κικκάβους.* Quibus verbis vitium inest a nemine quod sciam animadversum. Crapatalus, inquit, drachmae, h. e. sex obolorum valorem habet, constatque octo psothiis, quarum singulae trioboli pretium habent. Quo quid esse potest ineptius? Scribendum videtur *δύο ψωθίας* pro edito *ὀκτὼ ψωθίας* Ita omnia recte habent. Crapatalus drachmae, psothia triobolo, ciccabus chalco respondet. Finxerat igitur Pherecrates inferos numis uti crapatalo, psothia et ciccabo, quibus nominibus vulgo vilissima quaeque significabant. Hesychius: *Κραπά-*

ταλοι, ἰχθύες τινές. Idem: *Κραπάταλος, παρὰ πολλοῖς ὁ μωρός, ἢ νόμισμα.* Postremum ex Pherecratis fabula fluxit. Idem: *Κραπαταλίας, ἀνεμώδης καὶ ἀσθενής, καὶ ἀνίσχυρα λέγων. ἄμεινον δὲ λη*ρ*ώδης.* Porro de ciccabo quod dicit Pollux, confirmat Photius: *Κίκκαβος, ὠνοματοπεποίηταί τι νομισμάτιον ἐν Ἅιδου.* De *ψωθίαις* denique vel *ψωθίοις* (nam utraque forma proba est), quo nomine proprie pustulas inferioribus panum partibus adhaerentes significabant, vide interpretes Pollucis VII 23 et Schweighaeuserum ad Athenaeum vol. VII p. 549. Quo autem consilio ista numorum nomina finxerit, divinus sit oportet qui coniiciendo adsequatur. Nolumus tamen ignorare lectorem quae ea de re ingeniose commentus est T. Hemsterh. ad Polluc. vol. II p. 1061, qui Pherecratem hac fabula quietam inferorum vitam, ubi omnia pacata agerentur, tantusque opum contemptus esset ut crapatalus summae quae apud eos valuerit monetae pretium efficeret, descripsisse statuit. Mitto reliqua acutissimi viri commenta, quibus non magis fidem habendam putamus, quam alteri eiusdem coniecturae, qua Callimachum choliamborum argumentum ex hac maxime fabula duxisse suspicatur e versu illo: *ἐκ τῶν ὄκου βοῦν κολλύβου πιπρήσκουσιν* Fragm. 85, quem non male componas cum incerti auctoris (fort. Pherecr.) verbis apud Photium Lex. p. 314 18 *ὀβολοῦ χίμαιρ᾽ ἐν Ἅιδου.* Apud inferos scenam fuisse docet etiam versus a Schol. Aristoph. Pac. 747 servatus, ex quo Aeschyli non nullas in fabula partes fuisse elucet, quippe quem ita de semet ipso loquentem induxerat poeta:

ὅστις γ᾽ αὐτοῖς παρέδωκα τέχνην μεγάλην ἐξοικοδομήσας.

Quae mirifice conveniunt cum iis quae Aristophanes tum in Ranis tum in memorabili (fortasse Gerytadis) fragmento apud Athen. I p. 21 f Aeschylum de se ipso praedicantem facit. Denique memoratu haud indignum est parabaseos,

quam hac in fabula recitaverat Pherecrates, haud spernendum fragmentum servatum esse apud Athenaeum XI p. 485 d et Suidam s. v. *Φίλιος*.

Λῆροι et *Μυρμηκάνθρωποι* [38]), in qua Deucalionis partes quasdam fuisse docet Athenaeus VIII p. 335 a, passim laudantur ab antiquis scriptoribus, sed ut ad argumenti rationem nihil propemodum e fragmentis elicias. Neque alia reliquarum fabularum est ratio *Πετάλης* [39]), *Τυραννίδος* et *Ψευδηρακλέους*, quas verbo tetigisse sufficiat.

Iisdem ferme temporibus, quibus Cratinus et Crates floruerunt, vixit TELECLIDES Atheniensis, acerbus Periclis adversarius, Plutarch. Pericl. 3 et 16, ubi qui afferuntur Teleclidis anapaesti, quibus Athenienses Pericli tradidisse dicit

πόλεων τε φόρους αὐτάς τε πόλεις τὰς μὲν δεῖν τὰς δ' ἀναλύειν,
λάϊνα τείχη τὰ μὲν οἰκοδομεῖν, τότε δ' αὐτὰ πάλιν καταβάλλειν,
σπονδάς, δύναμιν, κράτος, εἰρήνην, πλοῦτόν τ' εὐδαιμονίαν τε,

brevi post expulsum Thucydidem Milesiae filium scriptos suspicor, h. e. post Olymp. LXXXIII 4. Eundem propter

---

[38]) Semel *Φερεκράτης Μυρμηκανθρώπῳ* Scholiasta Aristoph. Vesp. 672. Sed recte Ven. *Μυρμηκανθρώποις*. In ipsa poetae *χρήσει* legendum *καταμήσονται* pro edito *κατακοιμήσονται*. Ex parabasi fabulae petitum suspicor versum a Polluce X 91 servatum

ἀλλὰ κἂν κοίταισιν ἐμαῖσιν ἀποκεῖθ' ἃ μέλλομεν ἀριστήσειν.

[39]) *Πετάλη* meretricis nomen fuit, commemoratum ab Herodiano de dict. solit. p. 39 3. Hesychius, *Πέταλα: ὀνόματα θήλεια.* Fortasse scribendum *Πετάλη: ὄνομα θηλείας.* Alia nominis exempla vide apud interpretes Hesychii.

κεφαλὴν ἐνδεκάκλινον ridet in fragmento apud Plutarchum l. l. cap. 3.

ποτὲ δ' ἐκ κεφαλῆς ἐνδεκακλίνου θόρυβον μέγαν ἐξανατέλλει.

Qui locus, quemadmodum alter ille, fortasse ex Hesiodis petitus est, in qua fabula Periclis Olympii et Chrysillae amores attigisse Teleclidem docet Athenaeus X p. 436 f. Contra eximie favebat Niciae, *φίλος γὰρ ἀνήρ σωφρονεῖν δέ μοι δοκεῖ* apud Plutarchum Nic. c. 4.

Fabulas docuit, si Anonymo de Comoedia p. XXXIV fides, numero sex, in quibus fuit fortasse etiam ea quam spuriam iudicasse veteres criticos docet Phrynichus Ecl. Att. p. 291 *βρέχειν ἀντὶ τοῦ ὕειν ἔν τινι κωμῳδίᾳ ἀρχαίᾳ προστιθεμένῃ Τηλεκλείδῃ τῷ κωμῳδῷ.* Tituli fabularum commemorantur quinque *Ἀμφικτύονες, Ἀψευδεῖς, Ἡσίοδοι, Πρυτάνεις, Στερροί,* ex quibus Suidas s. v. *Τηλεκλείδης* exsignavit tres non nisi ex Athenaeo sibi cognitas, *Ἀμφικτύονας Πρυτάνεις* et *Στερρούς.*

Ex **Amphictyonibus**, quorum octo fragmenta supersunt, egregium locum de beata priscorum hominum felicitate servavit Athenaeus VI p. 268 b, quocum si componas fragmentum eodem metri genere inclusum apud Photium Lex. p. 504 26

ἀλλ' ὦ πάντων ἀστῶν λῷστοι σεῖσαι καὶ προσκαλέσασθαι,
παύσασθε δικῶν ἀλληλοφάγων —

certe aliquid de argumento fabulae suspicari licet. Diopithen oratorem et vatem famosissimum in ea commemoratum fuisse docet Schol. Aristophanis Av. 989. De tempore quo acta est hoc certe tenemus, eam ante *Θηρία* Cratetis, qui Olymp. LXXXVIII 4 iam obierat, in scenam prodiisse. Vid. Athenaeus VI p. 268 e.

Quam *Ἀψευδεῖς* inscripsit fabulam, ab uno laudatur Polluce X 68, ubi varia osculorum genera in ea enumerata tradit, et ibid. 98. Utroque loco legebatur olim *Ψευδέσι* pro eo quod e codd. primus commendavit Kuhnius, *Ἀψευδέσι.* Ad eandem fabulam, propter Pollucis locum priorem, referenda haec Hesychii; *Δρεπτόν, εἶδος φιλήματος, ὡς Τηλεκλείδης.*

Sequitur *Ἡσίοδοι,* minus recte *Ἡσίοδος* dicta Antiattic. p. 91 4. 110 25, Suidae s. v. *οὐδαμῇ* et Scholiastae ad Aristoph. Av. 1126, ubi Proxenidem in ea sugillatum esse discimus. In eadem graviter notavit Androclem testante Scholiasta Ven. ad Aristoph. Vesp. 1182, ubi codicis scripturam *ἐν τοις δυσ* emendavit Dindorfius Aristoph. fragm. p. V, et Nothippum poetam tragicum gulositate infamem Athen. VIII p. 344 d, Philoclem Aeschyli ex sorore nepotem Schol. Aristoph. Thesm. 168, fortasse etiam Ionem tragicum Athen. VIII p. 344 d. Frequens igitur poetarum in hac fabula mentio facta erat. Hinc satis probabilis videri potest coniectura Dindorfii ad Aristophanis fragm. p. IV, ex eodem dramate petitum esse locum Teleclidis ab auctore Vitae Euripidis p. 193 Elmsl. servatum, in quo Euripides a Mnesilocho et Socrate in tragoediis faciendis adiutus esse dicitur. Quamquam ea non ita certa est coniectura ut visa est Fritzschio Quaest. Arist. I p. 152, quum poetas Teleclidem etiam aliis in fabulis commemorasse certissimum sit. Vid. Athenaeus XIV p. 639 a et Hesychius s. v. *δορυφόνον.* Denique haud inepte, ut mihi quidem videtur, ad Hesiodos referas quae apud Photium leguntur Lex. p. 565 7 *Τηλεκλείδης τισι· Τῶν δυνατῶν τι κέλευ'· οὐ γὰρ παρὰ Κενταύροισιν.* Ubi pro *τισι*, h. e. *ΗΣΙ*, scribendum videtur *Ἡσιόδοις.* Praeter allata loca semel Hesiodi commemorantur ab Athenaeo III p. 87 a.

Fabulae *Πρυτάνεις* inscriptae, cuius nomen Harpocrationi p. 61 9 recte restituit Maussacus, novem fragmenta servata sunt, quae quum nihil contineant ex quo de argumento coniecturam capere liceat, hoc loco omittimus. Apponam tamen Hesychii verba propter coniecturam quandam Hemsterhusii. Ita igitur ille: *Δορυφόνον: τὸν δολοφονοῦντα. Ἀριστοφάνης Δαιδάλῳ. ὅτι δὲ Φιλόκτητος τῇ λέξει ἐχρήσατο πρῶτος, δηλοῖ Τηλεκλείδης ἐν Πρυτανεῦσι* (leg. *Πρυτάνεσι*). *δηλοῖ δὲ τὸν δολοφονοῦντα.* Hic igitur Hemsterhusius corruptum nomen *Φιλόκτητος* in *Φιλόξενος* mutabat, quae si vera esset coniectura, Teleclidem minimum usque ad Olymp. XCIV fabulas docuisse censendum esset. Philoxenus enim ex fide Chronici Parii Ep. 69 quinquagesimo quinto aetatis anno mortuus est Olymp. C 1. Natus igitur est Olymp. LXXXVI 2, nominis autem celebritatem assequutus est circa Olymp. XCV, ut diserto constat testimonio Diodori Sic. XIV 46. Commemorari igitur non potuit a Teleclide, quem vitam ultra Pericleam aetatem produxisse demonstrari non potest. Hinc etiam intelligitur magnopere falli Scholiastam Aristophanis Nub. 332, qui irrisos ab Aristophane *κυκλίων χορῶν ἀσματοκάμπτας* de Philoxeno [40]) Cleomene et Cinesia interpretatus est. Plutarchus autem de Mus. p. 1142 quae scripsit, *Ἀριστοφάνης μνημονεύει Φι-*

---

[40]) Fuit quum Philoxenum Siphnium a Scholiasta significari putarem, de quo Pollux IV 66 *τὸ μέντοι σιφνιάζειν καὶ χιάζειν τὸ περιέργοις μέλεσι χρῆσθαι ἀπὸ Δημοκρίτου τοῦ Χίου καὶ Φιλοξένου τοῦ Σιφνίου, ὃς καὶ Ὑπερτονίδης ἐκαλεῖτο.* Sed corrigendum *Φιλοξενίδου*, ut recte hoc nomen in libris scriptum est. Eodem ducit Suidas III p. 670 *Δημόκριτον τὸν Χῖον καὶ Θεοξενίδην τὸν Σίφνιον πρώτους ἐπὶ χρώματος τάξαι τὴν ἰδίαν ποίησιν.* Lege *Φιλοξενίδην.* Nisi forte utroque loco *Θεοξενίδης* restituendum est.

λοξένου καί φησιν ὅτι εἰς τοὺς κυκλίους χοροὺς μέλη εἰσηνέγκατο, non ad Nubes, sed ad aliam fabulam, fortasse Gerytadem, serioribus poetae fabulis accensendam, respexisse censendus est. Quae quum ita sint, apud Hesychium pro *Φιλόκτητος* fortasse Philoclis nomen reponendum est, cuius etiam in Hesiodis Teleclidem meminisse vidimus.

Quinta Teleclidae fabula, *Στερροὶ* inscripta, quod argumentum tractaverit pariter incertum est. Titulus fortasse ad virorum sterilitatem spectat, quorum unus mihi haec ab Athenaeo XIV p. 648 c servata dicere videbatur:

φιλῶ πλακοῦντα θερμόν, ἀχράδας οὐ φιλῶ,
χαίρω λαγῴοις ἐπ' ἀμύλῳ καθημένοις.

Vides *βρώματα*, ut cum Menandro loquar, *ὑποβινητιῶντα.* Nescio tamen an *στερρὸς* nisi de mulieribus dici non possit. Pathicos homines et moechos, in his etiam Cleomachum poetam, in hac fabula sugillatos esse docent fragmenta apud Athenaeum IX p. 399 c et XIV p. 639 a. Praeterea laudatur a Scholiasta Aristoph. Pac. 1040, ex quo loco Mercurium in scena praesentem adfuisse coniicias. Incertarum fabularum fragmenta supersunt triginta. [41]) Denique eidem Teleclidae fuisse qui *ἱστορίαν Τελχινιακὴν* ab Athenaeo VII p. 282 e laudatam tribuerent, frustra quaesivi quo auctore tradiderit Schweighaeuserus. Cfr. Lobeckium Aglaoph. p. 1183.

Teleclide paullo iunior, sed Eupolide et Aristophane prior fuit HERMIPPUS Atheniensis, Lysidis filius, testante

---

[41]) Cave his addas quae ex Teleclide affert Eustathius ad Hom. p. 1083 1 *Εὐριπίδης δέ, φασίν, καὶ Ἀθηνίων καὶ Τηλεκλείδης Κισσέως οἴδασιν αὐτὴν* (Hecubam) *ἐκγενέσθαι.* Derivata haec sunt ex Scholiasta Iliad. *π'* 718, ubi de Hecubae parentibus agitur: *Δύμαντος καὶ Εὐνόης νύμφης Φερεκύδης, Ἀθηνίων δὲ Κισσέως καὶ Τηλεκλείας.* Quo loco pro *Τηλεκλείας* Eustathius fortasse *Τηλεκλείτης* scriptum reppererat.

Suida v. *Μυρτίλος*, et Myrtili comici poetae frater. Suidas: *Ἕρμιππος — ἑτερόφθαλμος, ἀδελφὸς Μυρτίλου, δράματα διδάξας μ'*. Eadem fere habet Eudocia p. 167. Acrem Periclis obtrectatorem fuisse vel eo argumento intelligitur, quod Aspasiae impietatis litem intendit, teste Plutarcho Per. 32 *περὶ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον Ἀσπασία δίκην ἔφευγεν ἀσεβείας, Ἑρμίππου τοῦ κωμῳδιοποιοῦ διώκοντος καὶ προσκατηγοροῦντος, ὡς Περικλεῖ γυναῖκας ἐλευθέρας εἰς τὸ αὐτὸ φοιτώσας ὑποδέχοιτο.* Quod factum videtur Olymp. LXXXVI 4. Ipsum Periclem contumeliosissimis versibus perstrinxit apud Plutarch. Per. 33

Βασιλεῦ Σατύρων, τί ποτ' οὐκ ἐθέλεις
δόρυ βαστάζειν, ἀλλὰ λόγους μὲν
περὶ τοῦ πολέμου δεινοὺς παρέχει
ψυχὴν δὲ Τέλητος ὑπέστης;

Quae eo scripta sunt tempore quo Lacedaemonii primum Atticam invaserant, Pericles autem, quamquam praecipuus belli suasor et auctor extiterat, aciem tamen contra hostes instruere non sine magna civium offensione cunctabatur. Plane conveniunt Thucydidis verba lib. II 21 *Παντί τε τρόπῳ ἡ πόλις καὶ τὸν Περικλέα ἐν ὀργῇ εἶχον, καὶ ὧν παρῄνεσε πρότερον ἐμέμνηντο οὐδέν, ἀλλ' ἐκάκιζον ὅτι στρατηγὸς ὢν οὐκ ἐπεξάγοι.* Ex quo liquido intelligitur fabulam, ex qua hos versus Plutarchus attulit, quamque *Μοίρας* fuisse ex Athenaeo VIII p. 344 c et XV p. 668 a probabiliter efficias, actam esse Olymp. LXXXVII 1. Fabulas, Suida teste, scripsit quadraginta, actore usus Simermone, de quo vide Schol. Arist. Nub. 535. 537. 542. Tituli dramatum servati sunt novem: *Ἀθηνᾶς γοναί, Ἀρτοπώλιδες, Δημόται, Εὐρώπη, Θεοί, Κέρκωπες, Μοῖραι, Στρατιῶται, Φορμοφόροι.* Nam qui praeterea commemorantur *Κόθορνοι* apud Pollucem VII 202, non Hermippi, sed Philonidis esse fabu-

lam docet cod. Falckenb. ex cuius fide locus ita scribendus est: *Φιλωνίδης δὲ ἐν Κοθόρνοις καὶ πορνοτελῶναι, Ἕρμιππος δὲ ἐν Ἀρτοπώλισιν κτλ.* Nec magis *Θεσμοφόρους* Hermippi fabulis accenseam ex Polluce X 122, ubi Casaubonus ad Athen. XV p. 700 d corrigit *Φορμοφόροις*, quod praestat sine dubio Fabricii rationi, non comici poetae fabulam apud Pollucem laudari existimantis, sed Hermippi Smyrnaei opus de legislatoribus. Atqui Hermippus Smyrnaeus scripsit *περὶ Νομοθετῶν*, non *Θεσμοφόρους*, Athen. XIII p. 555 c et Origenes c. Cels. I p. 13. E *Φορμοφόροις*, ut Hesychius s. v. *Διὸς βάλανοι* et Antiatt. p. 82 docent, sumpta sunt longiora fragmenta apud Athenaeum I p. 27 a et 29 c, quorum utroque parodia Homericorum versuum continetur; ut non dubitem quin ad hanc ipsam fabulam respexerit Polemo apud Athen. XV p. 699 a *πεποίηκε δὲ παρῳδίας καὶ Ἕρμιππος ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής.* Quae Fabricius aliique ita intellexerunt, quasi Hermippus parodias proprie sic dictas singulari volumine complexus ediderit. Mihi Hermippus parodias istas fabulis suis intexuisse videtur, Epicharmi Cratini aliorumque exemplum sequutus. Praeterea *Φορμοφόροι* laudantur ab Athenaeo XV p. 700 d, Polluce VII 89. IX 71. X 122, Scholiasta Aristoph. Av. 750, Grammatico Bekk. Anecd. p. 419 26. De tempore fabulae coniecturam capere licet ex loco apud Athen. I p. 27 e, ubi Sitalces commemoratur Atheniensium socius. Occisus est enim Sitalces Olymp. LXXXIX 1, ad Atheniensium autem societatem sese applicuerat Olymp. LXXXVII 5. Cfr. Clintoni Fast. Hellen. p. 71 Kr. *Εὐρώπη*, qui fuit etiam Eubuleae fabulae titulus, semel ad partes vocatur a Photio Lex. p. 481 13, quem exscripsit Suidas s. v. *ῥυζεῖν.* Frequentior fabulae *Θεοὶ* inscriptae memoria, quippe decies laudatae, sed ita ut de argumento huius fabulae non magis

quidquam elicias, quam de eo quod in *Δημόταις* tractavit Hermippus, cuius item decem fragmenta supersunt. Aliquanto certiora tenemus de *Ἀθηνᾶς γοναῖς*, de qua infra, ubi de media comoedia agitur, dicendi locus erit.

In ea quam *Ἀρτοπώλιδες* inscripsit fabula maxime Hyperbolum eiusque matrem ludibrio habitos esse docet Aristophanes Nub. 547, ubi notat poetas comicos, qui

ὡς ἅπαξ παρέδωκεν λαβὴν Ὑπέρβολος,
τοῦτον δείλαιον κολετρῶσ' ἀεὶ καὶ τὴν μητέρα.

Commemoratis deinde Eupolide et Phrynicho vs. 553 ita pergit:

εἶθ' Ἕρμιππος αὖθις ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον
ἄλλοι τ' ἤδη πάντες ἐρείδουσιν εἰς Ὑπέρβολον.

Ubi Scholiasta ad vs. 548 haec scribit: *τὴν μητέρα: τὴν Ὑπερβόλου, τὴν δοκοῦσαν. ἐν ταῖς Ἀρτοπώλισι πολλὰ κατ' αὐτοῦ εἶπεν Ἕρμιππος.* Gloss. Victor. *μητέρα: ἀρτοπώλιδα.* Idem ad vs. 553 *Ἕρμιππος δρᾶμα μὲν οὐκ ἐποίησεν εἰς Ὑπέρβολον, ἔοικε δὲ τὸ πλείστας* [42] *Ἀρτοπώλιδας λεχθὲν κατ' αὐτοῦ σημαίνειν.* Ad matrem hominis haud dubie spectat versus a Polluce VII 202 servatus *ὦ πασιπόρνη καὶ κάπραινα καὶ σαπρά.* De alio fragmento apud Grammaticum Bekk. Anecd. p. 328 25 servato optime disputavit Fritzschius Actis Societatis graecae vol. I p. 138. Neque vero

[42]) Pro *πλείστας* Hermannus scripsit *εἰς τάς*, Fritzschius autem Actis Soc. gr. vol. I p. 133 *ἐπώλησε τάς* ipsumque hoc *ἐπώλησεν* ab Aristophane scriptum coniicit pro *ἐποίησεν*, sive ut libri habent *πεποίηκεν.* Sed *πωλεῖν εἰς Ὑπέρβολον* eo quo vir cl. sensu voluit non magis graece dici potest quam germanice dicas gegen den Hyperbolus verkaufen pro gegen den Hyperbolus die Brodverkaeuferinnen schreiben. Quae idem in Quaest. Arist. I p. 200 comparavit, diversi sunt generis, quod ne ipsum quidem negaturum credo.

omittendus Athenaeus III p. 119 c *ἰδίως ἐσχημάτισται* (*τὸ τάριχος*) *παρ' Ἑρμίππῳ ἐν Ἀρτοπώλισιν· καὶ τάριχος πίονα.* In qua dictione quum Casaubonus elegantem generis metalepsin videri sibi visus esset, verissime Schweighaeuserus apud comicum mulierem quandam aut aliam personam de infima plebe consulto soloece et improprie loquentem inductam fuisse monuit. Neque enim dubitari potest quin illa ab Hyperboli matre pronunciata fuerint, quam Hermippus barbare loquentem induxerat. Eodem refero glossam Hesychii, *Δοκηκῶ ἀντὶ τοῦ δοκῶ: ἔπαιξεν δὲ Ἕρμιππος ἐν Ἀρτοπώλισιν.* Quamquam haec aliter interpretatus est Th. Bergkius Actis Soc. gr. vol. I p. 134. Hermippi exemplum postea sequutus est Plato, de quo Scholiasta Aristoph. Ran. 693 *καὶ Πλάτων ἐν Κλεοφῶντι δράματι βαρβαρίζουσαν πρὸς αὐτὸν πεποίηκε τὴν μητέρα.* Qui praeterea e Pistricibus afferuntur versus a Scholiasta Aristoph. Av. 1555, de iis ad fragmenta dictum est.

In **Cercopibus** dubitari potest utrum Hermippus ipsos illos fraudulentos Herculis comites et scurras in scenam produxerit, an sub Cercopum nomine callidos impostores et dolosos fraudatores perstrinxerit. Tales enim fuisse constat fabulosos illos Cercopes, de quibus perdocta est dissertatio Lobeckii in Aglaophamo p. 1296 sqq. Eodem titulo fabulas docuerunt Plato et Eubulus, fortasse etiam Menippus. Sed de hoc infra dicetur. Hermippeae fabulae titulum ut figurato sensu accipiam, praeter versum apud Athenaeum XI p. 502 e *χρυσίδ' οἴνου πανσέληνον ἐκπιὼν ὑφείλετο*, movet me illud Hesychii: *Κολακοφοροκλείδης: Ἱεροκλείδης, ὃν ἐπὶ πονηρίᾳ κωμῳδοῦσιν, Ἕρμιππος μὲν ἐν Κέρκωψι Φρύνιχος δὲ ἐν Κωμασταῖς.* Dionysi quasdam in fabula partes fuisse docet Athenaeus XII p. 551 b. Ex ceteris fragmentis ab eodem Athenaeo III p. 123 f. XIV p. 650 e et Antiattic.

p. 88 29 allatis nihil efficias. Sequuntur *Μοῖραι*, quam fabula maxime in bello commendando versatam esse ex egregio loco apud Athenaeum XV p. 668 a. servato coniicere licet,

χλανίδες δ' οὖλαι καταβέβληνται
θώρακα δ' ἅπας ἐμπερονᾶται,
κνημὶς δὲ περὶ σφυρὸν ἀρθροῦται,
βλαύτης δ' οὐδεὶς ἔτ' ἔρως λευκῆς.
ῥαβδὸν δ' ὄψει τὴν κοτταβικὴν
ἐν τοῖς ἀχυροῖσι κυλινδομένην κτλ.

Quibus verbis describi belli apparatum omissis rebus voluptuariis perspecte adnotavit Casaubonus. Ad eam fabulae partem, in qua cottabus ludebatur, spectare videntur fragmenta apud Athenaeum XI p. 476 d et 486 b, ubi strenuum potatorem loquentem audimus:

Ἢν ἐγὼ πάθω τι τήνδε τὴν λεπαστὴν ἐκπιών,
τῷ Διονύσῳ πάντα τἀμαυτοῦ δίδωμι χρήματα.

Nothippi, poetae tragici, cuius *ὀψοφαγίαν* etiam Teleclides risit, aliquas in ea partes fuisse docet locus apud Athenaeum X p. 418 d, ubi perquam festive fingit poeta, si raia assa latusque suillum praeesset Lacedaemoniis, unum mitti contra hostes oportere Nothippum: hunc enim solum totam Peloponnesum esse devoraturum. Praeterea laudatur haec fabula ab Athenaeo X p. 418 d, Polluc. VII 200. X 136, Suida s. v. *Ἴακχος*, fortasse etiam Plutarcho Per. 33, de quo loco supra p. 91 admonui. Haud dissimile argumentum in *Στρατιώταις* tractasse videtur, certe eosdem quos ex Athenaeo adscripsi versus in ea positos fuisse docet Scholiasta Aristophanis Pac. 1241 *περὶ μὲν οὖν τῆς ῥάβδου* (in ludo cottabi) *Ἕρμιππος ἐν Στρατιώταις 'Ῥάβδον δ' ὄψει τὴν κοτταβικήν κτλ.* Nam in fabulae nomine erratum esse vix credibile est. Ad eandem fabulae partem spectare videntur haec ab Athenaeo XI p. 480 f servata: *Χία δὲ κύλιξ ὑψοῦ κρέμαται*

περὶ πασσαλόφιν, quibus iam non potandum esse significatur. Memorabilem fabulae locum habemus apud eundem Athenaeum XII p. 524 f, ubi nescio quis prae gaudio triumphat, quod maritimas copias collegerit ex hominibus mollibus et effeminatis, sed qui repente viri et fortes evaserint. Eosdem videmus in fragmento apud Hesychium s. v. πανικτόν,

> Ὥρα τοίνυν μετ' ἐμοῦ χωρεῖν τὸν κωπητῆρα λαβόντα
> καὶ προσκεφάλαιον ἵν' ἐς τὴν ναῦν ἐμπηδήσας ῥοθιάζῃς.
> B. ἀλλ' οὐ δέομαι πανικτὸν ἔχων τὸν πρωκτόν.

Hinc apertum est ad eandem fabulam pertinere quae ex Aristophane Byzantio attulit Eustathius ad Odyss. p. 1828 58

> ὥρα μάττειν ἐπὶ τοῖς ἱεροῖς καὶ τὴν ᾤαν περιδεῖσθαι
> περὶ τὴν ὀσφύν.

Cfr. Pollux X 181 ἐν Στρατιώταις Ἕρμιππος Νικᾷ δ' ᾤα λιθίνην μάκτραν. Cetera fragmenta vide apud Athenaeum III p. 77 a. X p. 423 a. XIV p. 649 c, Anecd. Cram. I p. 363, Zenobium II 23.

Praeter has novem fabulas laudantur Hermippi I a m b i, T r i m e t r i et T e t r a m e t r i, de quibus, ut brevi rem complectar, ita statuo ut Hermippum carminum probrosorum (ἰάμβων) volumen edidisse credam, quorum alia trimetris iambicis, alii tetrametris trochaicis composita essent. Quae res quo melius diiudicari possit, fragmenta operis cum ipsis scriptorum qui illa servarunt verbis adscribam.

I. Scholiasta Aristophanis Plut. 701 Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ Ἰάμβῳ τῶν Τριμέτρων Ἀσκληπιοῦ καὶ Λαμπετίας τῆς Ἡλίου λέγει Μαχάονα καὶ Ποδαλείριον καὶ Ἰασὼ καὶ Πανάκειαν καὶ Αἴγλην νεωτάτην. Eodem ordine Aesculapii filias proponi ab Aristide T. I p. 82 c adnotavit Hemsterhusius.

II. Athenaeus III p. 76 c. *λευκερινεὸς δέ τι εἶδός ἐστι συκῆς καὶ ἴσως αὕτη ἐστὶν ἡ τὰ λευκὰ σῦκα φέρουσα, μνημονεύει δ' αὐτῆς Ἕρμιππος ἐν Ἰάμβοις οὕτως·*

Τὰς λευκερινεὼς δὲ χωρὶς ἰσχάδας.

Quo versu nolim ita quemquam uti ut dorica dialecto in Iambis usum esse Hermippum opinetur; scribendum enim videtur *λευκερινέως*, a recto casu *λευκερίνεως*, quod comparare licet cum aliis plantarum et fruticum nominibus similiter formatis, veluti *κορώνεως*, *δαμαρίππεως*, *χελιδόνεως*, *φιβάλεως*, de quibus vide Theodosium Bekkeri p. 1197.

III. Scholiasta Aristophanis Av. 1150. *ὁ δὲ ὑπαγωγεύς, ὥς τινες, σιδηροῦν τι οἷον πτυΐδιον, ᾧ ἐχρῶντο οἱ κονιαταί, οἱ δὲ ἐργαλεῖον οἰκοδομικόν, ᾧ ἀπευθύνουσι τὰς πλίνθους πρὸς ἀλλήλας, τινὲς δὲ αὐτὸ παράξυστον καλοῦσιν· εἰ μὴ ἄρα πηλόν τινα ὑπαγωγέα καλοῦσι· τοιοῦτο γάρ τι καὶ Ἕρμιππος ἐν τοῖς Τριμέτροις ἐμφανίζει.* Hermippi verba ex integrioribus scholiis servavit Suidas III p. 531 *οἱ δὲ πηλόν τινα, καθὼς καὶ Ἕρμιππος· Ξύνεστι γὰρ δεσμῷ μὲν οὐδενί· τοῖσι δ' ὑπαγωγεῦσι τοῖς ἑαυτοῦ τρόποις* Quae ita fere emendanda sunt,

Ξύνεστι γὰρ δεσμῷ μὲν [οὗτος] οὐδενί,
τούτοισι δ' ὑπαγωγεῦσι τοῖς αὑτοῦ τρόποις.

Ὑπαγωγεὺς de luto quo utuntur caementarii ad lateres coagmentandos interpretatur etiam Hesychius, *Ὑπαγωγεύς: πρὸς πλίνθων οἰκοδομὴν πηλός.* Videtur id autem figurate dixisse Hermippus.

IV. Athenaeus XI p. 461 e. *οὐ τῶν Κυλικράνων εἷς ὤν, οὓς χλευάζων Ἕρμιππος ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν τοῖς Ἰάμβοις φησίν·*

Εἰς τὸ Κυλικράνων βαδίζων σπληνόπεδον ἀφικόμην·
εἶδον οὖν τὴν Ἡράκλειαν καὶ μάλ' ὡραίαν πόλιν.

De Cylicranibus, quos Cylicranos appellat Macrobius Saturn. V 21, Scythini et Polemonis testimonia attulit Athenaeus. In horum ditione sita erat Heraclea Trachinia, primum ab Hercule condita, postea a Lacedaemoniis novis colonis aucta, ut constat e Thucyd. III 92. Pro *σπληνόπεδον* Schweighaeuserus tentabat *σκληρόπεδον*. Mihi corruptae voci acerbius Cylicranum convicium subesse videtur. Ex eodem carmine sequens fragmentum petitum suspicor.

V. Scholiasta Venetus Aristophanis Vesp. 1164. *τρυφερόν τι διασαλακώνισον: ἔν τισι μὲν διαλυκώνισον, ἐν δὲ τῇ Ἀρτεμιδώρου σοναγωγῇ διαλακώνισον. αἰτία δὲ τοῦ λεξειδίου ἡ συνήθεια(?). μήποτε γὰρ καὶ πεποίηται ὑπ᾽ αὐτοῦ. εἰ δὲ μὴ ἐπεσχεδίασται τὸ διαλυκώνισον, τάχα ἂν λέγοιτο ἀπὸ Λύκου* (sic) *τοῦ πεντάθλου. φαίνεται γάρ τις καὶ μαλακώτερος γενέσθαι. Ἀμειψίας Εἰ μὲν θανοῦσίν ἐστί τις τιμή, καταβῶμεν. οἱ μὲν τὸν πένταθλον Αὐτόλυκον. ὁμοίως δ᾽ ἐστὶ καὶ παρ᾽ Ἑρμίππῳ ἐν τοῖς Τετραμέτροις* [43])

Ὕστερον δ᾽ αὐτὸν στρατηγὸν οὖσαν εἱλωτημένην
καὶ κασαλβάζουσαν εἶδον καὶ σεσαλωκισμένην.

Ita enim codicis lectionem *οὓς ἀνειλωτημένην* probabiliter correxit Fritzschius Quaest. Aristoph. I p. 287, qui vs. 2 cum Porto scribit *σεσαλακισμένην* et in Aristophanis loco *τρυφερόν τι σαλακώνισον*. Sed cum haec verba primam corripiant, ut praeter alia docet nomen meretricium *Σαλαβακχὼ* apud Aristoph. Thesmoph. 812 et Equit. 762, in Hermippi quidem loco aut *σεσαλακωνισμένην* aut *σεσαυλακισμένην*, apud Aristophanem autem fortasse *διασαικώνισον* scribendum est, quod

---

[43]) Ita Venetus: vulgo *διμέτροις*, quod ex *δ᾽ μέτροις* ortum est. Vice versa *τετραπλῇ* pro *διπλῇ* legendum esse apud Schol. Aristoph. Nub. 774 vidit Dobraeus.

recte interpretatur Scholiasta *ἁδρῶς*[44]) *καὶ μαλακῶς σαυτὸν διακίνησον*. Caeterum Hermippi verba, quae olim de homine effeminato et pathico interpretabar, nunc ita corrigenda. *ὕστερον δ' αὐτοῦ στρατηγῶν κτλ.* et de Cylicranum civitate intelligenda esse suspicor, quam ex quo tempore Lacedaemonii colonis auxerint (*οὖσαν εἱλωτημένην*) in luxum et mollitiem prolapsam esse dicit. Fortasse igitur hi versus cum quarto fragmento coniungendi sunt. Nisi Lepreatarum civitatem intelligere praestat, in quam Olymp. LXXXIX exeunte Helotas a Lacedaemoniis deductos esse docet Thucyd. V 34. Incolarum luxuriem notat Aristoph. Avib. 151.

VI. Scholiasta Aristophanis Av. 304 *κεβλήπυρις δὲ μήποτε οὐχ ἕν ἐστιν ἀλλὰ δύο, φησὶν ὁ Σύμμαχος. καὶ ἐν τοῖς Καλλιμάχου μὲν* (p. 219 Blomf.) *ἀναγέγραπται κέβλη, εἶτα μύρμηξ. [ἐν δὲ] Ἑρμίππου Τετραμέτροις καὶ Θεμιστοκλέους τὸν πρωνός τις ὢν κεβλήπυρίς τις ὀνομάζεται.* Nihil proficitur Dobraei coniectura, qui verba *τὸν πρωνός τις ὢν* ita emendare conabatur *ὥς τις ὢν κοπρώνης*.

VII. Athenaeus XV p. 667 d. *ὁμοίως διεξέρχονται* (scil. de cottabi ludo, in quo ova et bellaria victoribus praemia proponebantur) *Κηφισόδωρος ἐν Τροφωνίῳ καὶ Καλλίας ἐν Κύκλωψι καὶ Εὔπολις Ἕρμιππός τε ἐν τοῖς Ἰάμβοις.*

VIII. Athenaeus XV p. 700 d. *Ἕρμιππος δ' ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Ἰάμβοις τὸ στρατιωτικὸν λυχνεῖον σύνθετον οὕτως ὀνομάζει.* De lucerna militari cfr. Antiphanes Athenaei p. 699 c. *Σύνθετον* recte Schweigh. interpretatur de laminis corneis vel ligneis ex quibus eiusmodi lucernae compositae et coagmentatae erant.

---

[44]) Vulgo *ἁβρῶς*, pro quo *ἁδρῶς* praebuit Schol. Venetus. Hesychius, *Σαῦλον: ἁβρόν, κοῦφον, ἁβρόν, τρυφερόν* Ubi pro alterutro *ἁβρὸν* scribendum *ἁδρόν*.

Hermippi fratrem MYRTILUM fuisse, supra e Suida monuimus. Huius vitam utpote in cauponis et tabernis transactam tangi putant ab Athen. XIII p. 566 f, ex quo loco, quum minus integre scriptus esse videatur, nihil eiusmodi efficias. Fabulas Myrtili Suidas commemorat duas, alteram *Ἔρωτες* inscriptam, ex qua nihil fragmentorum superest, alteram *Τιτανόπανες*, passim a grammaticis sed fere corrupto fabulae titulo laudatam. Apud Scholiasten Aristoph. Av. 1490 *Μυρτίλος ἐν τῇ Τανοπάσῃ* legitur pro *ἐν Τιτανόπασι*. Minus recte Kusterus ad Suid. II p. 590 *Τιτανόπαισι*, seductus Meursii errore Bibl. Att. p. 1573, qui ex Aspasio ad Aristotelis Eth. Nicom. IV 2 fabulae titulum fuisse credidit *Τιτανόπαιδες*. Sed hic etiam scribendum *Μυρτίλος* (non *Μυρτῖλος*, quod etiam Suidas habet) *ἐν Τιτανόπασι*. In accentu peccat non Eudocia tantum p. 304, quae habet *Τιτανοπάνες*, sed etiam Suidas, apud quem legitur *Τιτανοπᾶνες*. Grammaticus apud Bekkerum Anecd. p. 1198 *τὰ εἰς αν λήγοντα εἰ — ὦσι σύνθετα, βαρύνονται — οἷον Ἑρμόπαν, Ἀντίπαν* (fort. *Αἰγίπαν*), *Τιτανόπαν*. Stephanus Byz. s. v. *Ἀκαρνάν, τὸ ἐθνικόν, ὡς Αἰνιάν, Ἀθαμάν, Αἰζάν, ἁπλᾶ γάρ. τὸ Τιτανόπαν σύνθετον.* [45]) De argumento ex paucis fragmentis nihil elici potest, nisi forte ex ipso titulo suspiceris, risisse poetam hac fabula increbescentem illis temporibus consuetudinem, qua diversa deorum numina in unum nomen coniungerent, cuius generis fuere Panapollo Hermopan Hermathene Hermerotes alia. Sic etiam Titanopan, quod nomen non male Berckelius ad Stephanum Byz. p. 74 de coniuncto Panis Solisque numine interpretari videtur. Rectius tamen argumentum fabulae ad *παιδεραστὰς*

[45]) Haec nunc pluribus persequutus est Lobeckius Paral. gramm. I p. 190.

spectasse dicas. Certe Titanes *ἀπὸ τοῦ τιταίνειν* dicti hanc coniecturam optime sustentant. Hesychius II p. 1392 *Τιτάν, ὁ παιδεραστής*, ubi confer Albertum. Vide eundem s. v. *Πᾶνες*, et Photium Lex. p. 592 1 *ἐνομίζοντο δὲ (οἱ Τιτᾶνες) τῶν Πριαπωδῶν θεῶν.* Omisso fabulae indicio duobus locis laudatur Myrtilus, vide Polluc. VI 40 et Phrynich. Ecl. Att. p. 433. Ceterum fallitur Fabricius Bibl. Gr. II p. 471 eundem hunc Myrtilum laudari putans a Suida s. v. *Λήμνιον.* Is enim historicus est Myrtilus, Lesbiacorum auctor notissimus, de quo cfr. Vossius de hist. Gr. III p. 391. Idem Myrsilus vocatur apud Plutarch. de Aquat. et terrestr. p. 984 E, ubi quae afferuntur, ex eius *ἱστορικοῖς παραδόξοις* ab Athenaeo XIII p. 610 a. laudatis desumpta sunt.

Eorum, de quibus adhuc disputavimus, poetarum aequalem fuisse suspicamur ALCIMENEM, cuius fabulam *Κολυμβῶσαι* inscriptam e Ptolemaeo Hephaestionis f. commemorat Photius Bibl. Cod. CXC p. 534 d *ὅτι τελευτήσαντος Δημητρίου τοῦ Σκηψίου τὸ βιβλίον Τέλλιδος* (fort. *Τέλληνος*) *πρὸς τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ εὑρέθη, τὰς δὲ Κολυμβώσας Ἀλκμάνους πρὸς τῇ κεφαλῇ Τυννίχου*[46]) *τοῦ Χαλκιδέως εὑρεθῆναί φασι, τοὺς δ' Ὑβριστοδίκας Εὐπόλιδος πρὸς τῇ Ἐφιάλτου, τοὺς δὲ Εὐνείδας Κρατίνου πρὸς τῇ Ἀλεξάνδρου.* Ubi corruptum *Ἀλκμάνους* nomen non in *Ἀλκμαίωνος*, ut voluit Welckerus Fragm. Alcm. p. 9, sed in *Ἀλκιμένους* mutandum esse docet Suidas s. v. *Ἀλκιμένης* T. I p. 117 *ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ἀλκιμένης Ἀθηναῖος, κωμικός.* Illud autem verissime monuit Welckerus, quas idem Suidas, sive suo ipsius sive aliorum errore deceptus, Alcmani lyrico tribuit *Κολυμβώσας*, non diversas putandas esse ab iis quas

---

[46]) Ita Valesius et Naekius Choer. p. 39. Vulgo *Τιτωνύχου*, pro quo Bekkeri codex habet *Τυρονίχου.*

nunc ipsum Alcimeni comico vindicavimus. Aetatis autem qua vixit Alcimenes certissimum, ni fallor, indicium Ptolemaei verba praebent, quippe qui *Κολυμβώσαις* fabula Tynnichum Chalcidensem impense delectatum fuisse significet. Iam quum Tynnichum, paeanis auctorem laudatissimum, Aeschyli aequalem fuisse constet e Porphyrio de Abstin. II p. 152, de quo loco disputavit Menagius ad Diogen. Laert. II 42, Aeschylus autem obierit Olymp. LXXXI, non incredibile quidem videri possit, Alcimenis aetatem vel Cratino fuisse superiorem: at quum tanta Alcimeneae fabulae praestantia fuisse videatur, quae non cadat in eos qui Cratinum praegressi sunt poetas comicos, Tynnichum autem nihil impediat quo minus vitam ultra Aeschylum produxisse statuamus; mihi quidem, temporum rationibus probabiliter subductis, vix dubitari posse videtur quin Alcimenes Cratini Teleclidis ceterorumque quos recensuimus poetarum aequalis fuerit.

PHILONIDES, Atheniensis, Nicocharis poetae comici pater, Suidas vol. II p. 526, initio sive fulloniam sive pictoriam artem factitaverat, prouti vel Suidae vel Eudociae fidem habeas, quorum ille vol. III p. 614 *πρότερον*, inquit, *ἦν γναφεύς*, Eudocia autem p. 428 *πρότερον ἦν γραφεύς*. Huius aetatem, expensis iis quae Hanovius Exercit. crit. I p. 2 sqq. disseruit, ita definire licebit ut eum Aristophane, cuius primam fabulam Daetalenses Olymp. LXXXVIII 1 suo nomine docuit [47]), paullo superiorem fuisse vitamque ultra

---

[47]) Scholiastes ad Aristoph. Nub. 531, ubi poeta primam quam pepererit fabulam alium quendam sustulisse dicit, haec annotavit: *Φιλωνίδης καὶ Καλλίστρατος· οὐ γὰρ δι' ἑαυτοῦ ἐδίδαξε τοὺς Δαιταλεῖς, πρῶτον αὐτοῦ δρᾶμα.* Quo loco quod olim legendum proposui *Φιλωνίδης ἢ Καλλίστρατος*, ipse dudum repudiavi, quamquam nec Hanovii rationem probandam duco. Omnino difficillima

Olymp. XCIII 3, quo anno Aristophanis Ranas docuit, produxisse statuamus. Quod enim Hanovius eum vel Olymp. XCVI superasse existimat propter *Φιλέταιρον* fabulam ab Suida commemoratam, quam ille ad mediae comoediae ingenium attemperatam fuisse ex titulo colligit, id quam incerta coniectura nitatur facile intelligitur. Dramata Philonidis praeter *Φιλέταιρον* a Suida et Eudocia commemorantur *Ἀπήνη* et *Κόθορνοι*. Quorum quod primo loco nominavi, Hanovius a poeta *Ἀπηνὴς* vocatum eaque in fabula hominem morosum et *Φιλεταίρῳ* contrarium descriptum fuisse suspicatur. Ego vero non video quid *Ἀπήνη* titulus magis miri habeat quam v. c. *Σφενδόνη* Amipsiae vel *Ἰπνὸς* Pherecratis vel *Βωμὸς* et *Λέβης* Alexidis, aliae denique aliorum. Cothurnorum argumentum ad Theramenem pertinuisse, quem propter summam in rebus civilibus inconstantiam *Κοθόρνου* cognomen meruisse constat, Ruhnken. de Antiph. Rhamn. in Opusc. p. 239, iusto timidius suspicatus est Hemsterhusius ad Polluc. vol. II p. 1293. Omnem dubitanti scrupulum eximet Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 100 1, *Θηραμένης: τὴν κλητικήν. Φιλιππίδης Κοθόρνοις*, ubi *Φιλωνίδης* scribendum est. Pluralis autem, quo in titulo usus est poeta, ad chorum fabulae spectare videtur, quem ex *Κοθόρνοις* h. e. mobilibus et ventosis hominibus constitisse consentaneum est. Praeterea Cothurnos commemorant Athenaeus II p. 47 e. VI p. 228 f. 247 e. XV p. 700 f, Pollux VII 202. IX 29. X 115, Grammaticus Bekkeri p. 83 17.

---

est de Philonidis opera Aristophani in fabulis docendis praestita quaestio, maxime propter didascaliam Vesparum, de qua neque Dindorfius ad Aristophanis fragmenta p. 65 sqq. neque Hanovius l. l. p. 24 ita disputarunt ut satisfaciat. Sed de his utpote cum praesenti nostro consilio minus coniunctis alio loco dicetur copiosius.

Incertarum fabularum fragmenta supersunt compluria, quorum quae servavit Stobaeus, antiquae comoediae poeta prorsus indigna et Philemoni potius vel Philippidae quam Philonidae tribuenda esse haud immerito statuit Hanovius l. l. p. 11. Stobaeum tamen in excerpendis poetarum sententiis Philonidae fabulis usum esse Photii constat testimonio Bibl. 167 p. 115.

EUPOLIS, Atheniensis, testante Anonymo de Com. p. XXIX fabulas Athenis docere coepit magistratum tenente Apollodoro Olymp. LXXXVII 4, quocum consentiunt fere quae Cyrillus ex antiquis chronologis tradidit c. Iulian. lib. I p. 13 B. *ὀγδοηκοστῇ ὀγδόῃ τὸν κωμῳδὸν Ἀριστοφάνην Εὔπολίν τε καὶ Πλάτωνα γενέσθαι*, quae non de natali anno, sed de eo tempore quo illi primas fabulas docuerunt, intelligenda esse verbo monuisse sufficiat. Eidem Olympiadi Eupolin et Aristophanem assignat Syncellus Chron. p. 257 c. Natalem annum Eupolidis facile e Suidae verbis cum Anonymi loco comparatis elicias. Is enim s. v. *Εὔπολις* hunc decimo septimo aetatis anno primam fabulam egisse diserte tradidit, quae si vera sunt, Eupolin Olymp. LXXXIII 3 natum esse apertum est. Nonnihil tamen dubitationis iniicere possit, quod legem fuisse perhibent, qua caveretur ne quis ante trigesimum sive, ut alii volunt, quadragesimum aetatis annum fabulas doceret. Cuiusmodi legem si vere fuisse Scholiastae ad Aristophanis Nub. 526 credimus [48]), ea certe non ad sequiora tempora valuit, siquidem Menander etiam, cum nondum ex ephebis excessisset, Antiphanes autem vigesimo aetatis anno fabulas docuit. Vide Proleg. ad Menandr. p. XXX et quae infra de Antiphane dicentur. Minus certa de anno quo mortuus est Eupolis pronunciari possunt. Ac

---

[48]) Vid. Clintonus Praef. Fast. Hellen. p. LX.

vulgaris quidem narratio si vera esset, qua eum ab Alcibiade in Siciliam navigante propter Baptas fabulam, de qua infra dicam, in mare deiectum esse ferunt [49]), obitus eius incideret in primum annum Olymp. XCI media aestate. Vid. Thucyd. VI 29 et Diodor. Sic. XIII 3. «Sed redarguit hoc», ut Ciceronis verba ad Attic. VI 1 mea faciam, «Eratosthe-«nes; affert enim quas ille post hoc tempus fabulas docue-«rit.» Idque verissimum esse vel e fragmentis effici potest, siquidem Eupolis in versu a Scholiasta Victor. ad Iliad. ν' 353 servato Aristarchum στρατηγὸν Atheniensium commemorat, quem imperatorio munere functum esse Olymp. XCII 1 infra docebimus. Itaque multo magis ad temporum rationes apposita sunt quae Suidas, alios auctores sequutus, de obitu Eupolidis narrat: ἀπέθανε κατὰ Ἑλλήσποντον ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ, καὶ ἐκ τούτου ἐκωλύθη στρατεύεσθαι ποιητήν. [50]) Quibus verbis quin aut celebris illa Atheniensium victoria de Lacedaemoniis ad Cynossema (Olymp. XCII 2) reportata aut proelium ad Aegospotamos commissum (Olymp. XCIII 4) significetur, dubitari non potest. Prius si accipimus, commode explicari potest, qui factum sit ut Eupolis ab Alcibiade in mare deiectus esse diceretur. Nam si Eupolis in ipso illo ad Cynossema proelio, in quo magnas Alcibiadis partes fuisse constat, interiit, non improbabile est extitisse qui id Alcibiade machinante, quem

---

[49]) Eodem fuerunt qui traherent Ovidii verba in Ibid. 593.

Comicus ut liquidis periit dum nabat in undis,
Et tua sic stygius strangulet ora liquor.

Quae rectius de Menandro capias. V. Proleg. ad Menandr. p. XXV.

[50]) De hac lege, inepta sane, si ita ut Suidas narrat concepta fuit, qui praeterea tradiderit scio neminem. Choreutas vacasse militia notum est. V. Petiti Legg. Att. p. 555.

Eupolidi iratum scirent, factum esse dicerent. [51]) Quem rumorem, ubi semel increbuit, non mirum est postea ad Siculam expeditionem translatum esse. Haec enim, ut infra docebimus, proxime Baptarum commissionem sequuta est. Sed vereor ne frustra coniecturis indulgeamus in re neque per se magna et multis diversisque narrationibus obscurata. Nam Aelianus H. A. lib. X 41 et Tzetzes Chil. IV 245 Eupolin in Aegina insula mortuum sepultumque [52]) tradunt, Pausanias autem lib. II 7 monumentum eius in agro Sicyonio se vidisse narrat. Itaque nihil quod ab omni parte certum sit tenemus, nisi quod vitam ultra Olymp. XCII 1 produxit. De domesticis viri rebus nihil quidquam memoriae proditum est, nisi quod patre usus est Sosipolide [53]) et servum habuit Ephialtem, qui, cum aliquot domini fabulas surripuisset, ab Augea, Eupolidis cane fidelissimo [54]), morsibus

---

[51]) Fabula de Eupolide Alcibiadis opera in mare deiecto fortasse ex iis orta est quae de Alcibiade iuniore leguntur apud Lysiam c. Alcib. I p. 541 Rsk. *οὐ πολλῷ δὲ χρόνῳ ὕστερον κατακυβεύσας τὰ ὄντα ἐκ Λεύκης ἀκτῆς ὁρμώμενος τοὺς φίλους κατεπόντιζεν.* Cuius loci indicium debeo Fr. Vatero.

[52]) Fortasse igitur cleruchus fuit Aegineticus, ut Aristophanes. V. Muelleri Aegin. p. 184 et Theogenes apud Scholiastam Plat. p. 331.

[53]) Suidas: *Εὔπολις, Σωσίπολις, κωμικός. οὗτος* etc. ubi Kusterus aut *ὡς Σωσίπολις* aut *Σωσιπόλεως* legendum suadet. Debebat *Σωσιπόλιδος*. Hac opportunitate invitatus moneo, ne quis Sopolin comicis graecis accenseat e Grammat. apud Bekk. Anecd. Gr. III p. 1192 *Σώπολις τοῦ Σωπόλιδος, ἔστι δὲ ὄνομα κωμικοῦ.* Corrigendum *Εὔπολις τοῦ Εὐπόλιδος.*

[54]) Mortuo Eupolide *λύπῃ καὶ λιμῷ ἑαυτὸν ἐκτήξας ἀπέθανεν ἐπὶ τῷ τροφεῖ καὶ δεσπότῃ λοιπὸν μισήσας τὸν βίον ὁ κύων. καὶ ὅ γε τόπος καλεῖται μνήμῃ τοῦ τότε πάθους κυνὸς θρῆνος.* Ita Aelianus l. c. Similia de Xanthippi cane narravit Plutarchus Them. 10, qui locum illum in Aegina insula *Κυνὸς σῆμα* vocatum fuisse scribit.

necatus est. Vid. praeter Aelianum et Tzetzen l. l. Anecdota Crameri III p. 357 28. Ac fortasse is idem Ephialtes est, ad cuius caput Eupolidis fabulam Ὑβριστοδίκαι inscriptam post mortem hominis repertam esse scribit Ptolemaeus apud Photium Bibl. CXC p. 534 d τοὺς Ὑβριστοδίκας Εὐπόλιδος πρὸς τῇ Ἐφιάλτου κεφαλῇ εὑρεθῆναί φασι Ubi ne celebrem illum Periclis amicum significari putemus, temporum rationes prohibent: eum enim iam Olymp. LXXIX 4 vel LXXX 1 interemptum esse e probabili temporum computatione efficitur. Itaque aut orator Ephialtes intelligendus est, de quo cfr. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 33, aut noster Eupolideus. Denique quae apud Apsinem in Walzii Rhet. graec. IX p. 484 leguntur, Εὔπολις ξενίας ἁλοὺς ἐπράθη δημοσίᾳ. πριάμενος αὐτὸν ὁ Λύκων ἐγχειρίζει τῷ παιδί, ὁ δὲ αὐτὸν προσαγγέλλει, nonnisi exempli causa a rhetoricae artis magistro ficta esse vix est ut moneam.

De poetica Eupolidis facultate fabularumque quas scripsit ingenio ita iudicat Platonius de divers. char. p. XXVI ut in argumentorum inventione et tractatione eum ingeniosissimum fuisse dicat: εὐφάνταστός ἐστιν εἰς ὑπερβολὴν κατὰ τὰς ὑποθέσεις. Quibus deinceps haec addit: καὶ ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποί, ταύτην ἐκεῖνος ἐν τοῖς δράμασιν, ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ ᾅδου νομοθετῶν πρόσωπα. Ubi φαντασίαν intellige quam Cicero de Orat. III 52 rerum quasi gerantur sub adspectum quasi subiectionem appellat. Cfr. Longinus Subl. XV p. 58. Similiter Quintilianus Instit. Orat. VI 2 29 «quas φαντασίας «Graeci vocant, nos sane visiones appellamus: per quas ima-«gines rerum absentium ita repraesentantur animo ut eas «cernere oculis ac praesentes habere videamur.» Itaque sensus verborum Platonii hic esse videtur: quas reliqui poetae visiones vel absentium rerum imagines in parabasibus exci-

tare soleant, eas Eupolin in ipsa actione spectatorum oculis subiicere, ut qui mortuos ex inferis excitatos in scenam producat et de rebus ad civitatis administrationem pertinentibus consilia conferre faciat. [55]) Quae ad *Δήμους* fabulam spectare infra docebimus. Ceterum illa mortuorum ab inferis excitatio non potuit quin sublimitatem quandam Eupolidis poesi impertiret, sed eam sublimitatem quae venustatis et elegantiae illecebris mirifice esset temperata. Platonius enim, *ὥσπερ ἐστὶν ὑψηλός*, inquit, *οὕτω καὶ ἐπίχαρις καὶ περὶ τὰ σκέμματα εὔστοχος*, qua quidem elegantiae laude ipsi adeo Aristophani palmam eum praeripuisse deinceps addit grammaticus. Ab eadem virtute commendat Eupolin Macrobius Sat. VII 5. Quod autem *περὶ τὰ σκέμματα εὔστοχος* fuisse dicitur, id quamquam haud inepte ad aptam et concinnam argumentorum dispositionem trahi posse videtur, collato Scholiasta Aristoph. Nub. 542, ubi habemus *κωμῳδίαν εὖ διεσκεμμένην* [56]), non dubitamus tamen quin Platonius *περὶ τὰ σκώμματα* scriptum reliquerit, ut in dicteriis et conviciis iaciendis concinnus et ingeniosus fuisse dicatur. Eius rei vel in fragmentis luculenta reperiuntur exempla, quorum afferre sufficiat inprimis memorabile ab Athenaeo XIV p. 646 f servatum:

Ὅς χαρίτων μὲν ὄζει,
καλλαβίδας δὲ βαίνει,
σησαμίδας δὲ χέζει,
μῆλα δὲ χρέμπτεται.

---

[55]) Haec Platonii verborum interpretatio quibus difficultatibus laboret nunc ipse probe intelligo. Probabiliorem qui eruere volent, ante omnia quae corrupta sunt emendare debebunt.

[56]) Eodem sensu Scholiastae Aristoph. Pac. 794 restituo *διαβάλλει δὲ αὐτὸν* (Xenoclem tragicum) *ὡς νωθρὸν περὶ τὰ σκέμματα* pro edito *νόθον περὶ τὰ κλέμματα.*

Idem tamen ab Anonymo de Comoedia p. XXIX Cratini exemplo immodicus in conviciis et ineptus fuisse perhibetur, ζηλῶν Κρατῖνον πολύ γε λοίδορον καὶ σκαιὸν ἐπιφαίνει [57]), quorum prius indicat etiam Persius Sat. 1 124 iratum Eupolin dicens, et Lucianus Iove Acc. vol. II p. 832 Wetst. qui Eupolin et Aristophanem vocat δεινοὺς ἄνδρας ἐπικερτομῆσαι τὰ σεμνὰ καὶ χλευάσαι τὰ καλῶς ἔχοντα, quae maxime ad Socratis irrisionem spectare puto, quem paucis quidem, sed tam virulenta acerbitate exagitavit, ut ne Aristophanes quidem in Nubibus eum aequasse videretur. V. Scholiasta Nub. 97. 180, Etymol. M. p. 18 10 et Lucianus Pisc. I p. 595. Eandem maledicendi intemperiem, ut Calliam Alcibiadem Melanthium alios omittam, ostendisse videtur in cavillando Autolyco, adolescente innocentissimo et nullius ut videtur criminis convicto. Ac ne mortuis quidem pepercisse docent versus a Plutarcho Cim. 15 et Schol. Aristidis p. 515 servati, quibus Cimonem, quem summis laudibus Cratinus extulerat, crudelissime vexavit. In tanta conviciandi libidine non mirandum est, fuisse etiam ubi ne foeditatis quidem crimine ingeniosissimum poetam liberes, ex quo genere sunt ea quae apud Scholiastam Ven. ad Aristophanis Pac. 1142 leguntur:

> ἐν τῇδε τοίνυν τῇ πόλει φρουρῶν ἐγώ ποτ' αὐτὸς
> γυναῖκ' ἐκίνουν κολλύβου καὶ παῖδα καὶ γέροντα,
> κᾆξῆν ὅλην τὴν ἡμέραν τὸν κύσθον ἐκκορίζειν.

Quae non dubitari potest quin principem aliquem virum di-

---

[57]) Malim πολύ γε τὸ λοίδορον — ἐμφαίνει. Sed fortasse praestat Dobraei (si recte memini) ratio ἀποφαίνει scribentis, ut hoc dicat Anonymus, Eupolidem, quamquam Cratinum imitantem, hunc tamen propter nimiam et ineptam conviciandi libidinem notasse.

centem fecerit Eupolis. Denique *τὸ σκαιὸν* [58]), quod Anonymus cum Cratini exemplo ostendisse dicit, spectat ni fallimur ad ea quae refert Scholiasta ad Aristophanis Nub. 296, ubi Eupolin et Cratinum *χέζοντάς τε καὶ ἕτερα αἰσχρὰ ποιοῦντας* in comoediis suis induxisse dicit, et ad Pac. 741, ubi ridet poeta alios comicos qui *ῥακοφοροῦντας* in fabulis induxerint: *αἰνίττεται δὲ καὶ εἰς Εὔπολιν.* Cfr. Scholiast. Nub. 541.

Quod Aristophanem aliosque poetas comicos fecisse scimus, ut fabulas suas non suo omnes docerent nomine, sed passim aliis docendas traderent, idem Eupolin fecisse intelligitur ex Athenaeo V p. 216 d *Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας διὰ Δημοστράτου χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου.* Quo loco ita olim abusus sum ut Demostratum histrionem fuisse dicerem, quod ex Athenaei verbis minime efficias, quae in eundem sensum accipienda sunt quo Aristophanes e. g. Ranas *διὰ Φιλωνίδου*, Acharnenses Aves aliasque *διὰ Καλλιστράτου δεδιδαχέναι* dicitur. [59]) Demostratus autem, cuius nomine Autolycum aliasque fortasse fabulas inscripserat Eupolis, num, quod olim existimabam, idem sit cuius *Δημοποίητον* laudat Suidas vol. III p. 656 *Δημόστρατος Δημοποιήτῳ· οἱ μὲν προσέφερον τὸν χάρακα πρὸς τὴν ἄκραν*, de eo nunc tanto magis dubitaverim, quo facilius Demostrati nomen in Timostrati locum, qui novae comoediae poeta fuit, succedere potuit. Sed de hoc infra dicendi locus erit. Histrione Eupolin usum esse Aristophane, unus omnium narravit Kannegiesserus in libro de Comoedia Att. p. 427. Nam

---

[58]) Pro *σκαιὸν* Geelius Bibl. crit. IV p. 13 malebat *αἰσχρόν.*

[59]) Rarius hoc sensu dicitur *εἰσάγειν δρᾶμα*, qua loquutione usus est auctor argumenti Lysistratae, *εἰσῆκται διὰ Καλλιστράτου.*

in Scholiis Aristophanis Equ. 528. 539, ad quae ablegat lectorem, nihil eiusmodi reperias. Omnino falsissima sunt quae vir ingeniosissimus de Aristophane et Eupolide narrat, quorum hunc Aristophanis doctorem et magistrum, cui omnia sua debeat, fuisse fabulatur p. 433. 436. 438. Quae e literarum monumentis effici possunt, eo redeunt, ut, qui mos fuit comicorum graecorum, alterum alterius versibus tanquam suis usum esse statuamus. Eupolin in Marica imitatum esse Equites, ipse testis est Aristophanes Nub. 549. Contra Aristophanem in Equitibus Eupolidis opera usum esse, tum hic ipse in Baptis rettulit apud Scholiastam Nub. l. l. et Equit. 1288, tum Cratinus testatus est apud Scholiastam ad Equ. 528, ubi Aristophanem perstringit *ὡς τὰ Εὐπόλιδος λέγοντα*. Cuius rei quam causam comminiscitur Kannegiesserus l. c. p. 428, ea nulla est, cum ipse Eupolis passim Cleonem riserit; neque profecto is erat Eupolis, ut quemquam extimescendum sibi putaret. Quo accedit quod ipsi illi versus, quos Aristophanes Equ. 1288 sqq. ab Eupolide sumpsisse dicitur, nihil in Cleonem dictum continent. Porro Eupolin tangit Aristophanes Pac. 762, ubi Schol. *αἰνίττεται δὲ εἰς Εὔπολιν καὶ τοὺς περὶ αὐτον ὡς παίδων ἐρῶντας καὶ παλαίστρας περιερχομένους*, quod ipsum in Aristophanem iecerat Eupolis in Autolyco apud Schol. Vesp. 1020, qua in fabula etiam illud cavillatus erat, *ὅτι τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα*, Schol. Platon. Bekk. p. 331, quae ad Pacem Aristophanis spectare vidit Dindorfius. Denique ad simultatem hanc utrique intercedentem spectare videntur elegantissimi versus Eupolidis apud Stobaeum Serm. IV p. 53, in quibus conqueritur poeta, quod peregrinis tantum poetis aures praebeant Athenienses:

ἢν δέ τις τῶν ἐνθάδ' αὐτοῦ μηδενὸς χεῖρον φρονῶν
ἐπιτιθῆται τῇ ποιήσει, πάνυ δοκεῖ κακῶς φρονεῖν,

et quae sequuntur, quibus praeter alios etiam Aristophanem, genere Rhodium, tangi, haud temere opinor affirmamus. [60])

Fabulas Eupolidis multis magnisque eluxisse dicendi virtutibus, tum fragmenta fidem faciunt tum ex ea Aristophanis Equitum parte intelligitur quam Eupolidem fecisse Scholiastae constat indicio ad vs. 1263. Dictionis genere usus est puro, eleganti, ad summum nitorem elaborato. Novorum vel audacius compositorum verborum exempla reperio fere haec: *Ἀμφιπτολεμοπηδησίστρατος* apud Scholiast. Dionysii Thr. p. 702 5, *ταγηνοκνισοθήρας* apud Suidam vol. II p. 126, *δαμασικόνδυλος* apud Hesychium vol. I p. 882, *ἀναγχιππεῖν* apud Suidam vol. I p. 162, *κιθαραοίδατος* apud Schol. Aristoph. Vesp. 1269, nisi id ab Aristophane mutuatus est; *ἀνδραποδιστικώτατα* apud Polluc. III 77, *μουσοδονήματα* apud Priscian. 18 p. 1186, *ἀμβλυστονῆσαι* apud Suidam vol. I p. 158, *ἀφαδία* ad analogiam voc. *αὐθαδία* formatum apud Etymol. M. p. 174 52, *ἀπρασία* apud Antiattic. p. 83 14, *ἥσθημα* ibid. p. 98 27, *πλοῦταξ* apud Polluc. III 109 aliosque; *βδελυρεύομαι*, quo postea etiam alii usi sunt, dixisse videtur apud Suidam vol. I p. 193 *ἀνεκάς τ' ἐπήρω κἀβδελυρεύσω τὸ σκέλος.* Porro *ἀπλήγιος* pro *ἁπλοῦς* apud Suidam vol. I p. 268, *μαστιγιᾶν* apud Polluc. III 79, *νεανισκέω* apud Photium Lex. p. 291 4 *αὕτη νεανισκοῦντος ἐπεθύμησέ μου*, nisi id *νεανίσκου ὄντος* scribendum, ut voluit Raspius; *σμηκτρὶς* apud Polluc. VII 40. Sed *δάμαρ ἱππέως*, quod comice finxisse Eupolidem volunt interpretes Hesychii vol. I p. 882, in *δαμαρίππεως* mutandum est; ita enim ficuum genus quoddam vulgari sermone dictum esse apertum

---

[60]) His nunc adde ea quae ingeniose Fritzschius Quaest. Aristoph. I p. 145 de Aristophanis versu ex Anagyro disseruit, *ἐκ δὲ τῆς ἐμῆς χλανίδος τρεῖς ἀπληγίδας ποιῶν.*

est ex Grammatico Bekk. p. 1197. Addere his licet novatarum significationum exempla, cuiusmodi est *ὤμιλλα ἡ ἐκ Κυκλώπων* (leg. *ἡ ἐν κύκλῳ*) *κατάκλισις* apud Schol. Platonis p. 320, *κρὲξ* h. e. *ἀλαζὼν* apud Photium Lex. p. 177 11, *ἤθεος* de virgine apud Etymol. M. p. 422 44, *εἰλίπους* de muliere crissante apud Athenaeum VII p. 286 b aliosque, *πρόβατα* de capris apud Eustath. ad Iliad. p. 1063 44, *ἀσελγὴς* de vento apud Grammat. Bekk. p. 451, *ὁ κωμικὸς Ὥσπερ ἀνέμου 'ξαίφνης ἀσελγοῦς γενομένου*, quem Eupolidis versum esse coniicio ex Polluce III 111. Porro *ἀνωφέλητος*, quod de homine aliorum auxilium aspernante *ἰδίως* dixisse Eupolin tradit Phrynichus Bekk. p. 4 24. Denique *ἀποφρὰς* ad hominem transtulit in fragmento apud Etymol. M. p. 131 20 *ἄνθρωπος ἀποφρὰς καὶ βλέπων ἀπιστίαν*, cfr. Phrynichus l. l. p. 5, 12. In verborum formis vix quidquam reperias quod a genuinorum Atticorum usu alienum sit. Quod enim Scholiasta Aristoph. Thesm. 162 narrat, Eupolin aliquoties *στρατιὰ* et *στρατεία* inter se confudisse, id vereor equidem, ne, si integros locos haberemus, aliter se habere reperiatur; *χρέῃ* autem apud Suidam s. v. *χρή* Kusteri est *παραδιόρθωσις*; legendum enim *ὅντιν' ἄν με χρῇ*. Porro *ἐλελήθεισαν* qui Eupolin dixisse scribit Antiattic. p. 91 29 pro attico *ἐλελήθεσαν*, fortasse vitioso codice usus est. Singulare est quod affert Scholiasta Iliad. ξ 241 *πεπαγοίην*. An forte a *πήγνυμι* aoristum formavit *πέπαγον*? Minus haereo in *λελάβηκα* apud Grammaticum Crameri Anecd. I p. 268 20, quod ita abhorret ab usu Atticorum, ut non dubitem quin eo Ionicum hominem utentem fecerit; ex quo genere est etiam quod apud Eustathium ad Odyss. p. 1680 28 habemus, *μὴ τρηχὺς ἴσθι*, et quod Photius Lex. p. 273 3 ex Eupolide affert *μνήσατο* a *μνᾶσθαι* ambire. Rarioribus adnumerandus est usus verbi

πίω h. e. *ποτίζω* vel *πιπίσκω* apud Eustathium ad Odyss. ζ p. 1554 46: *ὅτῳ δ᾽ ἂν οἶνος ᾖ πολύς, πίσει.* Neque *κατακλιεῖ*, quod pro *κατακλείσει* Eupolin dixisse scribit Choeroboscus Bekkeri p. 1299, adducor ut corruptum putem, de quo dicam ad fragmenta. Denique non indigna memoratu est forma verbi *ὡραΐζεσθαι* quadrisyllaba, quae *ὡρᾴζεσθαι* scribenda videtur, apud Phrynichum Bekk. p. 43 15. In syntactica ratione nihil memorabile reperio nisi quod *ἐνεῖναι* genitivo iunxisse videtur apud Photium Lex. p. 47 7 *καὶ τῆς λοπάδος ἔνεισιν ἑψητοί τινες*, et singularem quendam numerandi modum in fragmento apud Scholiastam Ven. ad Iliad. κ′ 252, de quo alio loco dicetur. His adde quod nota dignum censuit Scholiasta Theocriti Idyll. V 1. *τῷ αὐτῷ ἁμαρτήματι περιπέπτωκε καὶ Εὔπολις ἐν Αἰξίν.* Scilicet Theocritus dixit *Δαμοίτας καὶ Δάφνις ὁ βουκόλος* pro eo quod exspectabas *οἱ βουκόλοι.* In verborum quantitate hoc unum novavit, quod *τορύνη* penultima brevi dixit contra constantem usum aliorum. Vid. Scholia Aristophanis Equ. 980. Nam quod in *ἡμὶν* ultimam corripuit apud Athenaeum I p. 17 e. non caret exemplis comicorum.

De numero fabularum quas scripsit Eupolis ita dissentiunt Suidas et Anonymus, ut ille septendecim, Anonymus autem quattuordecim eum dramatum auctorem perhibeant. Tituli tamen fabularum commemorantur aliquanto plures, quamquam in his haud pauci, qui multum dubitationis moveant. Ac *Δραπέτας* ab Etymologo M. p. 174 50 laudatam removit iam Gaisfordius ad Hesiod. p. 112 ad codicis ductum verissime refingens: *Εὔπολις Ἀνδρογύναις.* Neque rectius *Πρόδαμος* tanquam fabulae titulus receptus est e Quintiliano Inst. Orat. I 10 17. «Eupolis, apud quem Pro-«damus et musicam et literas docet,» quae ad *Αἶγας* spectare docet Theodosius p. 11 sive apud Bekkerum Anecd. III

p. 1168 *τοὺς αὐτοὺς εἶναι διδασκάλους καὶ μουσικῆς καὶ γραμματικῆς, ὡς ὁ Εὔπολις εἰσάγει ἐν Αἰξί.* Porro *Πύλαι* apud Scholiastam Aristophanis Av. 1297 *Εὔπολις ἐν Πύλαις*, ubi certissima est Fabricii coniectura *Πόλεσι* pro *Πύλαις* reponentis. *Στεφανοπώλιδας* apud Athenaeum IX p. 384 c recte Eubulo vindicavit Casaubonus. *Σφίγγες* uno Suidae loco nituntur s. v. *νεανισκεύεται.* Legendum, ni fallor, *Εὔπολις Αἰξίν.* Porro corrupti sunt tituli *Διὰς Κλοπαὶ* et *Λάκωνες* Pollux IX 27 *τὸν ἀστὸν Εὔπολις ἐν τῇ Διάδι ἔμπολιν εἴρηκεν, οἷον ἐγχώριον*, ubi verba *ἐν τῇ Διάδι* a MS absunt. *Κλοπαὶ* laudantur ab Erotiano Gloss. Hippocr. p. 172 *Ἡδύσμασι: τοῖς χλωροῖς καὶ ξηροῖς ἀρτύμασιν. Ἀττικὴ δὲ ἡ λέξις, ὡς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Ἱππεῦσι* (675) *καὶ Εὔπολις Κλοταῖς* (*Κλοπαῖς*) *καὶ Μένανδρος ἐν Δαρδάνῳ.* Legendum videtur *Κόλαξιν*, quod fuit qui eidem scriptori restitutum vellet p. 246. *Μυττωτόν: οἱ μὲν Ἀττικοὶ ὑπότριμμα — Εὔπολις δὲ ἐν Λάκωσι τὸ ἄμυλον λέγων φησί Τὰ συκάρι᾽ ἐποίησε μυττωτὸν πολύν.* Sed hoc loco malim *Εὔβουλος*, cuius Lacones passim laudantur. Nonimum *Εὔπολις* et *Εὔβουλος* commutatorum exemplum modo vidimus apud Athenaeum IX p. 384 c. Eundem errorem Quaest. scen. III p. 23 sustuli ex Eustathio. Neque dubito equidem quin etiam apud Suidam s. v. *χαίρειν* scribendum sit, *πρῶτον Κλέωνα φησὶν Εὔπολις ὁ κωμικὸς οὕτως ἐπιστεῖλαι τοῖς Ἀθηναίοις ἀπὸ Σφακτηρίας*, pro edito *Εὔβουλος*, a quo aliena est irrisio Cleonis. Locum ipsum servavit Moeris Attic. p. 418. His igitur remotis quindecim supersunt fabulae, quas deinceps enumerabimus.

Αἶγες, notissima fabula, in qua capras chori partes sustinuisse constat ex Plutarchi Symp. IV 1. Macrobii Saturn. VII 5 et Eustathio ad Iliad. p. 1063 44. Fragmenta

supersunt satis multa, in his etiam non nulla omisso vel poetae vel fabulae nomine allata, velut a Grammatico Bekkeri p. 353 26 *Αἰγιάζειν: σὺ δ' αἰγιάζεις ἐνθαδὶ καθήμενος*, quae eidem homini dicta esse videntur, quem apud Photium s. v. *νεᾶν* haec de se loquentem audimus, *ἐπίσταμαι γὰρ αἰπολεῖν, σκάπτειν, νεᾶν, φυτεύειν.* De argumento fabulae nihil habeo quod dicam, nisi quod rei publicae statum aut parce aut plane non in ea attigisse videtur Eupolis. Leviter perstringit Phaeacem apud Athenaeum III p. 106 b et Archedemum apud Scholiastam Aristophanis Vesp. 897 gravius Hipponicum apud Hesychium s. v. *ἱερεὺς Διονύσου*, unde de tempore, quo acta fuerit, coniectura fieri potest, siquidem Hipponicus Olymp. LXXXIX 1 obiit. Eandem fabulam fortasse commemorat Stephanus Byz. v. *ἄντρον* p. 89 *εὕρηται καὶ ἀντραῖος ὡς Εὐριπίδης Αἰξίν*, ubi legendum esse puto *Εὔπολις*. Similiter erratum apud Scholiastam Aristoph. Pac. 740. Contra apud Marium Vict. p. 2527 Euripidis nomen pro Eupolide reponendum est; cfr. Gaisford. Hephaest. p. 513.

Ἀστράτευτοι ἢ Ἀνδρογύναι pleno titulo ab uno Suida laudatur s. v. *Εὔπολις*, reliquis eam simpliciter *Ἀστράτευτοι* vocantibus; semel Etymol. M. *Ἀνδρογύναι.* De argumento fabulae dixit quaedam Arnaldus ad Hephaest. p. 99. Ante Aristophanis Pacem actam esse docet Scholiastes Pac. 808 *ὅτι ὁ Μελάνθιος ὀψοφάγος προείρηται καὶ παρ' Εὐπόλιδι Ἀστρατεύτοις*, de quo admonuit Clintonus Fastis Hell. p. 77 Kr. Quamquam Scholiastae verba etiam in alium sensum accipere licet.

Sequitur *Αὐτόλυκος*, in qua fabula non illum Mercurii natum, ut T. Hemsterhusius ad Polluc. X 161 et Kiesslingius ad Lycurgi fragm. p. 35 putabat, sed Lyconis et Rho-

diae filium [61]) perstrinxit, puerum corporis venustate praestantem, Xenoph. Conv. I, 9 et Athen. V p. 188 a. Calliae, Hipponici filii, amores et delicias, Maxim. Tyr. XXVI 8. eamque ob causam, opinor, tanquam muliebria passum ab Eupolide traductum, cuius rei tenue quidem sed idoneum tamen indicium habemus apud Etymol. M. p. 399 17 *Εὐτρήσιος, παρὰ τὸ τετρῆσθαι τὸν Αὐτόλυκον ὁ Εὔπολις σκώπτει. Εὔτρησις πόλις Ἀρκαδική.* Is quum Olymp. LXXXIX 3 in magnis Panathenaeis [62]) quinquertii victoriam consequutus esset, cfr. Plinius H. N. XXXIV 17, Callias in honorem dilecti pueri lautum et opipare convivium apparavit, quod descripsisse constat Xenophontem. Postea Autolycum captis Athenis triginta virorum iussu occisum esse memoriae prodidit Plutarchus Lys. 15 p. 110. Quo anno fabulam hanc docuerit Eupolis ex Athenaeo perspicitur lib. V p. 216 e *ἐπὶ τούτου* (Aristionem archontem dicit) *Εὔπολις τὸν Αὐτόλυκον διδάξας χλευάζει τὴν νίκην τοῦ Αὐτολύκου*, h. e. Olymp. LXXXIX 4, igitur anno postquam Autolycus pancratii victor evaserat, falliturque adeo Scholiasta Aristophanem Vesp. 1020 ad Eupolidis Autolycum respexisse dicens, cum Vespae iam Olymp. LXXXIX 2 actae fuerint. Duas fuisse fabulae recensiones constat e citationibus Pollucis VII

---

[61]) V. Schol. ad Aristoph. Lysistr. 270 et Platon. Bekk. p. 466, ubi paupertatem Lyconis in Pytine notasse Cratinum legimus, quod ne quis componat cum loco Grammatici Bekk. Anecd. p. 466 6 *Αὐτόλυκοι: πένητες, οἷον αὐτοδιάκονοι*, hoc ipsum in *αὐτολήκυθοι* mutandum est.

[62]) Magna Panathenaeo tertio quoque cuiusque Olympiadis anno mense Hecatombaeone acta esse docuit Boeckhius Oecon. Athen. II p. 165. cfr. Clintoni Fastos Hell. p. 338.

202, Scholiastae Platonis p. 332, Aristophanis Nub. 110, Thesmoph. p. 941. Quibus adde Galenum vol. V p. 38 B. *παράδειγμα δ' εἰ βούλει τούτου* (agit de repetitis et emendatis librorum editionibus) *σαφηνείας ἕνεκα τὸν δεύτερον Αὐτόλυκον Εὐπόλιδος ἔχεις ἐκ τοῦ προτέρου διεσκευασμένον.* [63]) Altera dramatis actio cui anno assignanda sit, certo definiri non potest; licebit tamen coniecturam periclitari. Nam cum in versu eius fabulae in Scholiis Victorianis ad Iliad. *ν'* 353 Aristarchi mentio iniiciatur, *ἤδη γὰρ Ἀρίσταρχον στρατηγοῦντ' ἄχθομαι,* Aristarchus autem imperatoris munere functus sit Olymp. XCII 1, Thucydid. VIII 98 et Xenoph. Hell. II 3 40, probabile est hunc versum ex altera Autolyco, quae eodem anno in scenam prodierit, petitum esse. Ex ceteris fabulae fragmentis nihil ad eius argumentum elicias, nisi quod Leagoram Andocidis patrem, Myrrhinae meretricis amatorem impotentissimum, in ea vexatum esse ex Scholiasta Aristoph. Nub. 110 intelligitur. Quem Grammaticus apud Cramerum Anecd. I p. 446 17 servavit versum, *ἆρα σφόδρ' ἂν ἐούρησεν* (vel *ἐνεούρησεν*) *ἐξώλης γέρων,* fortasse de Lycone, Autolyci patre, intelligendus est. Erotianum Gloss. Hippocr. p. 88 memoriae errore fabulam nostram tribuisse Aristophani iam ab aliis monitum est. [64]) Ceterum Autolycum Eupolin non suo sed Demostrati nomine in certamen commisisse constat ex Athenaeo V p. 216 d. quo de loco supra diximus p. 110.

---

[63]) Eodem fortasse spectant haec incerti auctoris verba apud Suidam vol. I p. 567 *Εὔπολις ἔγραψε τόσα καὶ ἄλλα διασκευαζόμενος.* Nisi haec potius eo sensu quem supra p. 32 indicavi accipienda sunt, ut Eupolis praeter eas quas ipse scripsit fabulas etiam aliorum poetarum comoedias *διασκευάσασθαι* dicatur.

[64]) Simili errore Cicero Brut. 9 Eupolin nominavit pro Aristophane, de quo ipse admonuit Epist. ad Attic. XII 6.

De ea quam *Βάπτας* inscripsit fabula memorabilis Platonii locus est de Com. p. XXXIII Lips. *ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνων εἰς οὓς καθῆκε τὸ δρᾶμα.* Qui fuerint ii in quos hanc fabulam scripsit poeta, praeter Ciceronem Epistol. ad Attic. VI 1 docet Themistius Orat. VIII p. 110 B. *Ἀλκιβιάδης δὲ ὁ Κλεινίου καὶ ταῦτα στρατηγὸς ὢν αἱρετὸς οὐχ οὕτως ἀπεμνημόνευσεν Εὐπόλιδι τῷ κωμῳδοδιδασκάλῳ τοὺς Βάπτας*, et Scholiasta Iuven. II 92. «Baptae ergo molles, quo titulo Eupolis comoediam scri«psit, ob quam ab Alcibiade, quem inprimis perstrinxerat, «necatus est.» Quae postrema paullulum immutata et insigni additamento aucta Georgius Valla ita exhibet: «ob «quam Alcibiades — necuit ipsum in mare praecipitando, «dicens, ut tu me in theatris madefecisti, nunc ego te in «mari madefaciam.» Quae Vallam ex integriore Scholiasta hausisse, probabilis est coniectura Buttmanni de Sacris Cotyttiis in Mythologo vol. II p. 159, quamquam nihil impedit quominus ea Vallam ex Scholiasta MS Aristidis [65]) duxisse statuamus, cuius hunc locum e codice protulit Creuzerus ad Plotinum de Pulcr. p. 465 *κωμῳδηθεὶς* (Alcibiades) *παρὰ Εὐπόλιδος ἔρριψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ — εἰπών·*

Βάπτες μ' ἐν θυμέλῃσιν, ἐγὼ δέ σε κύμασι πόντου
βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτέροις.

Sic enim legendum pro *βάπτε με ἐν θυμέλῃσιν.* Denique Libanius apud Cramerum Anecd. IV p. 158 *ἀπολύων δὲ* (Alcibiadem dicit) *συνεχεῖς ὕβρεις καὶ τοὺς τῶν πενήτων προπηλακισμούς, τὸν Ἀγάθαρχον τὸν δεδεμένον, τοὺς ἄλλους, ὑπὲρ ὧν ἐροῦμαι* (lege *αἱροῦμαι*) *σιωπᾶν. Τί τοῦ-*

---

[65]) Vide nunc Aristidem Dindorfii vol. III p. 444.

τον οὐκ εἴ (fort. *οὐκ οἶδε*) *δρᾶμα; τίς οὐκ Εὔπολις; τίς οὐκ Ἀριστοφάνης; διὰ τούτων* (lege *τοῦτον*) *εὐδοκίμησε κωμῳδία· ὅμως δὲ καὶ κωμῳδοὶ κεκμήκασι τὰ τούτου γράφοντες.* Quibus verbis ad Baptas maxime respici apertum est. Certum igitur est traduxisse hac in fabula Eupolin maxime Alcibiadem. Quod qua ratione fecerit si quaerimus, respondet nobis Scholiasta Iuvenalis «Baptae titulus libri [66]), «quo impudici describuntur ab Eupolide, qui inducit viros «Athenienses ad imitationem feminarum saltantes lassare «psaltriam. Baptae ergo molles» etc. Quibus similia e codd. Lugd. Bat. protulit Geelius Bibl. crit. IV p. 18. Haec si quis cum ipso Iuvenalis loco, Romanorum turpem nequitiam, qui clandestinis conventibus mulierum habitu orgia peragerent, acerbissime taxantis, contenderit:

Talia secreta coluerunt orgia taeda,
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto, [67])

intelliget profecto, Eupolin hac in fabula Alcibiadem eiusque socios ita in scenam produxisse, ut nocturnis conviviis

---

[66]) H. e. comoediae, de quo usu dubitabat Spaldingius ad Quintil. I 10 18. Aristophanes non uno libro sic institui pueros antiquitus solitos esse demonstrat. Ita etiam Propertius IV 21 28 librorumque tuos, docte Menandre, sales. Cfr. Macrobius Sat. V p. 566 ed. Zeun.

[67]) Lassare Cotytto Buttmannus cum aliis interpretatur frequenti prece invocare, ut Horatius Vestam prece fatigare dixit. Fortasse rectius ad cymbalorum tympanorumque strepitum trahas, quibus Baptae illi deam suam obtundebant. Ac fortasse spectant huc loci apud Athenaeum IV p. 183 f et Schol. Apollonii Rh. I 1139 et IV 144, ad quae respexit Photius: *Ῥόμβος* (leg. *ῥύμβος*), *ὃ ἔχουσιν οἱ ἐπιθειάζοντες ὡς τύμπανον. οὕτως Εὔπολις.* Saxa voce vel strepitu fatigare eodem sensu dixit Ovidius Metam. I 573 et Trist. V 1 62. [Vide nunc Lobeckium Aglaoph. p. 1012 9 et Fritzschii Quaest. Arist. I p. 210.]

Cotyttiorum sacrorum turpitudinem imitarentur et, accedente noctis licentia, nihil facinoris nihil flagitii praetermitterent. Hinc Lucianus adversus indoct. p. 122 ἀνέγνως τοὺς Βάπτας; τὸ δρᾶμα ὅλον; εἶτ' οὐδέν σου κἀκεῖ καθίκετο, οὐδ' ἠρυθρίασας γνωρίσας αὐτά; Cum his si Hesychii locum coniunxeris, in quo diserte Eupolin odio erga Corinthios permotum Cotytto deam in scena exhibuisse testatur, vol. II p. 331 Κοτυττὼ ὁ μὲν Εὔπολις κατ' ἔχθος τὸ πρὸς τοὺς Κορινθίους φορτικόν τινα δαίμονα διατίθεται [68]), haud levis oboritur suspicio, Eupolidi praeter Alcibiadis irrisionem etiam hoc fuisse propositum, ut flagitiosam Corinthiorum, apud quos summa fuit Cotyttiorum sanctimonia [69]), libidinem taxaret, eoque ipso Cotyttia sacra in contemptum adduceret, et ne Athenis reciperentur caveret. Prorsus enim assentior Buttmanno, nulla dum Eupolidis aetate Cotyttia ab Atheniensibus recepta fuisse statuenti. [70]) Deam ipsam, quo magis Cotyttiorum religionem in contemptum adduceret poeta, meretricis habitu in scenam fuisse inductam, haud inepte e Scholiastae ad Iuvenalis locum adnotatione coniicias: inducit viros lassare psaltriam. Quae nescio

---

[68]) Similiter hoc verbo usus est Dio Chrysost. Or. XXXI p. 631 Ἀθηναῖοι ἐν τῷ θεάτρῳ θεῶνται — ὑπ' αὐτὴν τὴν ἀκρόπολιν, οὗ τὸν Διόνυσον ἐπὶ τὴν ὀρχήστραν διατιθέασι. Strato XIV p. 951 Alm. de Alexandro Lychno τὰ οὐράνια διατίθεται. Cfr. Wyttenbachius ad Plutarchum p. 379 a. Lobeckium Aglaoph. p. 332 et quae monuit vir perelegantis ingenii multisque nominibus pia mente mihi colendus Ad. Gottl. Langius Vindic. Trag. Rom. p. 25. Ceterum Eupolidis illud erga Corinthios odium non de privata aliqua simultate intelligendum esse, vix est quod historiae peritos admoneam.

[69]) Cfr. Lobeckii Aglaoph. p. 1009 5.

[70]) Cfr. Lobeck l. l. p. 1010 6 et Fritzschium Quaest. Aristoph. I p. 204.

an non recte Buttmannus e Scholiastae errore fluxisse statuat. Iam vero in explicando Baptarum nomine viros doctos in diversas partes abire videas. Ac Tib. quidem Hemsterhusius ad Aristoph. Plut. 884 *Βάπτας* de tinctoribus interpretatus est, quod, si etymon vocabuli spectes, non potest non rectissime factum videri. Grammaticus apud Eustathium ad Iliad. δ′ 412 *ὥσπερ βάπτω βαπτίζω βάπτης, οὕτως τέττω τεττίζω τέττης.* Cyrillus Gloss. p. 44 *Βάπτης* tinctor. Hemsterhusium nuper Fritzschius Quaest. Aristoph. I p. 202 ita sequutus est, ut drama Eupolidis *Βάπτας* propterea ita appellatum esse censeret, quod isti Cotyttus cultores huius deae fortassis etiam suas ipsorum vestes in orchestra tingerent. Cuius permirae sane opinionis eximium firmamentum sibi repperisse visus est in versu ex incerta Eupolidis fabula allato ab Etymol. M. p. 486 48 *βάπτειν τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ θεῷ*, quem versum etiam alii ad Baptas referendum esse suspicati sunt. Sed tales coniecturas quamquam non damno equidem, non ita tamen iis utendum censeo ut deperditarum fabularum argumenta iis superstruantur, id quod Fritzschius fecit, qui eo progressus est temeritatis, ut versum illum nisi in Baptis nusquam legi potuisse affirmaret eiusque ductu totam fabulae formam et oeconomiam enuclearet. Porro Casauboni et Gesneri opiniones iam diu est quod confutavit Lobeckius dissert. de morte Bacchi II p. 12, qui ipse Baptarum nomen a sacris immersionibus et baptismis denominatos existimat, quam sententiam vir egregius postea in Aglaoph. lib. II p. 1004 sqq. ubi totam de Cotyttiis quaestionem recognovit, copiosius explicuit. Neque negari potest, si baptismis locum in fabula Eupolidis concedemus, iam etiam epigrammatis sensum evadere acutiorem, in quo marini fluctus, quibus se Eupolin immersurum esse minatur Alcibiades, iis opponuntur, quos

ipse in Eupolidea fabula subierat. Non dissimulandum tamen, ne ita quidem omnem sublatam esse difficultatem. Nam si *Βάπται* vulgaris fuit et communi usu recepta istorum Cotyttus cultorum denominatio, non intelligo equidem qui factum sit, ut horum potissimum sacrorum sive antistites sive cultores a lavationibus nominati fuerint, quas omnium omnino mysteriorum sive publicorum sive privatorum communes fuisse constat; sin Eupolis ad mollitiem istorum hominum et luxuriem significandam finxit Baptarum nomen, difficile dictu est quid invidiae et ignominiae hoc nomen habere potuerit. Itaque in eam delatus sum sententiam, ut Baptarum nomine Eupolin illud hominum genus significasse credam, de quibus incertus auctor apud Suidam vol. II p. 426 agit: *τοὺς ἄνδρας ἀποσκώπτειν, τοὺς ἑταιρικῶς τὰς ὄψεις ὑπογράφοντας καὶ β ά π τ ο ν τ α ς τὰς τρίχας.* Neque simplex *βάπτεσθαι* omissa crinium commemoratione offensioni esse posse docet Menandri locus p. 127

οὐδὲ μύρον εἶχον, ἀλλὰ νῦν· καὶ βάψομαι
καὶ παρατιλοῦμαι, νὴ Δία, καί γενήσομαι
Κτήσιππος, οὐκ ἄνθρωπος.

Quae omnia ignominiosa habebantur et extremae mollitiei indicia. Recte igitur Baptas Scholiasta m o l l e s interpretatur. Sed ut verum fatear vereor equidem, ne haec quoque interpretatio falsa reperiatur. Fortassis igitur acutioribus continget ut ex Scholio MS Parisiensi ad Aeschinem c. Tim. §. 126 2. quod Bekkeri comitati debeo, aliquid extundant. Est autem hoc: *δοκεῖ δέ μοι λελέχθαι ὁ βάταλος παρὰ τὸ Εὐπόλιδος σκῶμμα· ἐκεῖνος γὰρ ὑπὸ τῶν βαπτῶν ὀνόματα κεῖσθαι τοῖς αἰσχρῶς* (leg. *αἰσχροῖς*), *καὶ Τιγράνην Βάταλον ὑπ᾽ αὐτῶν καλεῖσθαι.* Quae si minus vitiose scripta legerentur, vix dubitari potest quin ad perspiciendum fabulae argumentum haud exigui forent momenti.

Denique non possum quin paucis Buttmanni de Eupolidea fabula sententiam attingam qui l. l. p. 164 non Cotyttia sacra ab Eupolide exhibita fuisse statuit, sed nocturnas illas Alcibiadis eiusque sociorum commissationes, in quibus illi Eleusinia sacra scurrilem in modum ita imitabantur, ut Theodorus quidam praeconis, Pulytio daduchi, Alcibiades hierophantae, ceteri denique socii mystarum partibus fungerentur. Vide praeter Plutarchi Alcibiadem a Buttmanno laudatum eiusdem Sympos. p. 621 c et Libanium apud Cramerum Anecd. IV p. 159. Quorum hominum impietati quo maiorem conciliaret invidiam, Eupolin deam illorum orgiorum praesidem Cotyttus nomine appellasse atque Eleusiniae Cereri opposuisse. Die Göttin, inquit, welche solchen Mysterien vorstand, nannte der Komiker, zum Gegensatz gegen die attische Demeter, Cotytto. Quae quamquam ingeniosa est coniectura, multum tamen vereor ut accuratius pensitata probari queat.[71]) Nam si impietatem Alcibiadis perstringere voluisset Eupolis, quis non multo aptius poetam facturum fuisse videat, si rem suo nomine appellasset, neque quasi per vela ex longinquo ostendisset. Ipsa mysteria totamque earum rationem et ceremonias in istis conventibus ab Alcibiade eiusque sociis scurrili imitatione expressas fuisse diserte testatur Andocides Orat. de Myst. p. 88 Bekk. Itaque vix aliquam vim habiturum fuisse crediderim, si Cotytto Cereri substituisset eoque criminis invidiam praeter consilium suum imminuisset et quasi obfuscasset. Sed aliud etiam est, quod Buttmanni opinionem minus probabilem efficiat. Scilicet expressis veterum constat testimoniis, istam mysteriorum violationem in ipsum

---

[71]) Vide quae nunc uberius disseruit Lobeckius l. l. p. 1029.

illud tempus incidere, quo Atheniensium in Siciliam expeditio parabatur, id est Olymp. XCI 1 mensibus Munychione et Thargelione. Cuius impietatis rumorem iam ante ipsam reorum delationem, quae sequentis demum mensis initio Hermarum mutilationem sequuta est, Thucyd. VI 27, Diod. Sic. XIII 2, plane nullum inter cives percrebuisse, nemo non concedat necesse est, qui attento animo legerit Thucyd. l. l. Andocid. Orat. de Myst. p. 88 Bekk. Plutarch. Alcib. 19 cll. Aristide Oratt. vol. II p. 54 13. Neque dubium est, si vel levissimam eius rei suspicionem populus Atheniensis habuisset, quin obtrectatores Alcibiadis violatae religionis litem in recenti facto ei intenturi nec quidquam intentatum relicturi fuissent, quo minus praetor exercitus in Siciliam mittendi crearetur, quod iam Munychione mense factum esse e Thucydide constat lib. VI 8. poterantque profecto Alcibiadis inimici tanto certius quem vellent accusationis contra Alcibiadem motae eventum exspectare, quo maiorem esse scirent religiosissimi populi superstitionem et in ulciscendis divinarum rerum violatoribus iracundiam. Ex his liquido mihi constare videtur, eiusdem anni Dionysiis fabulam, in qua Alcibiadis mysteriorum profanatio sive aperte sive occulte taxaretur, exhiberi nullo modo potuisse. Itaque sequentis anni Dionysiis hoc factum ab Eupolide dices, praesertim quum sequentis demum anni initio, absente Alcibiade, in eius causam inquisitum fuisse constet. Atqui id iam primis secundi Olymp. XCI anni mensibus factum esse, docet narratio Thucyd. VI 30—54 cll. Diod. Sic. XIII 5. Damnato autem iam Alcibiade et per populi decretum exilii poena multato, Eupolidis fabulam committi non potuisse, quis est qui non intelligat? Itaque nihil relinqui video, nisi ut Eupolidis fabulam Olymp. XCI 1. ludis Liberalibus urbanis, tribus ante Siculam expeditionem mensibus, actam esse,

eiusque argumentum non in mysteriorum violatione, sed in Cotyttiorum sacrorum et Alcibiadis eiusque sociorum irrisione positum fuisse statuamus.

Non multo minorem celebritatem adepta est fabula *Δήμων* nomine inscripta, cuius argumentum quale fuerit e fragmentis quodammodo cognosci poterit. Nam mortuo Pericle Olymp. LXXXVII 4 cum pessimorum hominum consiliis civitatem misere afflictam videret poeta, cfr. Valcken. Diatr. p. 253. nobiles illos, quorum olim ductu felicissime civitas floruerat, publicarum rerum antistites et propugnatores Solonem Miltiadem Aristidem et Periclem ex inferis excitatos in scenam produxit, eosque de rebus ad rei publicae administrationem spectantibus interrogatos respondentesque exhibuit. Scholiasta Aristidis MS apud Valckenar. Diatr. p. 252 [72]) *Εὔπολις ἐποίησεν ἀναστάντα τὸν Μιλτιάδην καὶ Ἀριστείδην καὶ Γέλωνα καὶ Περικλέα,* ubi pro Gelone Valckenarius Solonem, Elmsleius ad Eurip. Med. 389. Cimonem reposuit. Recte Valckenarius. Nam Aristides Orat. Plat. II T. III p. 374 c (ed. Cant. a. 1604) *τῶν κωμικῶν τις,* inquit, *ἐποίησε τέτταρας τῶν προστατῶν ἀνεστῶτας, ἐν οἷς δύο τούτων ἔνεισιν* i. e. eorum, pro quibus tota ista Aristidis oratio contra Platonis criminationes in Gorgia §. 151 p. 515 d (cfr. Plutarch. Arist. 25) dicta est, Miltiadis Themistoclis Cimonis Periclis. Quo accedit Platonii, qui ad hanc ipsam fabulam respexit, auctoritas in scripto de Comoedia p. XXVII, ubi de Eupolide haec verba posuit: *ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ ᾅδου νομοθετῶν πρόσωπα καὶ δι' αὐτῶν εἰσηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως,* vix ille legislatores ab Eupolide excitatos fuisse dicturus, nisi Solonem etiam in iis a poeta commemoratum esse meminis-

---

[72]) Apud Dindorfium vol. III p. 672.

set. Ad eandem fabulam respexit etiam Aphthonius Prog. p. 37 Cam. *εἰδωλοποιία ἡ πρόσωπον μὲν ἔχουσα γνώριμον, τεθνεὸς δὲ καὶ τοῦ λέγειν πανσάμενον, ὡς ἐν Δήμοις Εὔπολις ἔπλασε.* Quod Eupolin Cratini exemplo fecisse, qui et ipse Solonem ex inferis excitaverat, docet locus apud Diogenem Laert. lib. I 62. Periclis ex Orco adscensum iterum tetigit Aristides T. III p. 433 B. *οὐδεὶς ἦν ὅστις οὐκ ἂν εὔξατο ἀναστῆναι* (Periclem), *ὥστε κἂν τοῖς δράμασιν ὡς ἀνεστῶτα ὁρῶντες εὐφραίνοντο*, et Valerius Max. VII 2 ext. 7. «Aristophanis quoque — praeceptum, qui in Co-«moedia introduxit remissum ab inferis Atheniensem Peri-«clem vaticinantem, non oportere in urbe nutriri leonem.» Qui respexit quidem ad Ranas Aristophanis, sed remissum ex inferis Periclem dicens Eupolidis fabulam cum Aristophanis Ranis confudit. Similis fortasse error in argumento Sophoclis Oedipi Col. p. 5 Elmsl. *Ἀριστοφάνης ἐν τοῖς βατράχοις ἐπὶ Καλλίου ἀνάγει τοὺς στρατηγοὺς ὑπὲρ γῆς*, cuiusmodi nihil in Ranis legitur. [73]) Sed de Pericle, cuius etiam eloquentiam hac in fabula praeclaris laudibus ornavit, v. Leopardus Emend. V 14. XVI 14 et Wyttenbachius ad Plutarch. S. N. V. p. 7. de Periclis igitur hac in fabula partibus unus omnium maxime insignis est Plutarchi locus Pericl. 3 et 24. ex quo etiam Myronidem, celebrem illum proelii apud Oenophyta commissi victorem, in scena adfuisse discimus, ad Periclis interrogationem de filio, quem ex Aspasia susceperat, respondentem; ad quem fabulae locum respexere etiam Schol. Platon. p. 139 et Harpocr. p. 79. Ex Miltiadis oratione, monente etiam Elmsleio ad Eurip. Med. 389 servavit aliquot versus Longin. de Subl. 16 3.

---

[73]) Nunc accedo Clintono Fast. Hell. p. XXXVI Kr. pro *στρατηγοὺς* corrigenti *τραγικούς*.

Οὐ γάρ, μὰ τὴν Μαραθῶνι τὴν ἐμὴν μάχην,
χαίρων τις αὐτῶν τοὐμὸν ἀλγυνεῖ κέαρ.

Neque ad aliam fabulam hos ego versus rettulerim a Stobaeo Serm. XLIII 9 allatos:

καὶ μὴν ἐγὼ πολλῶν παρόντων οὐκ ἔχω τί λέξω·
οὕτω σφόδρ' ἀλγῶ τὴν πολιτείαν ὁρῶν παρ' ὑμῖν.

Vide cetera, in quibus gravissime de funesta reipublicae condicione conqueritur, cuius rei culpa maxime in exercitus duces transfertur, quorum pravitatem et nequitiam exagitat etiam in loco apud Schol. Aristidis l. l.

μειράκια κινούμενα
ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν,

et apud Harpocr. s. v. *μειαγωγός* p. 240. Nec dubitandum quin de aliquo eorum hos versus ab eodem Harpocr. s. v. *καθάρσια* p. 264 servatos poeta posuerit:

ὃν χρῆν ἔν τε ταῖς τριόδοις κἀν τοῖς ὀξυθυμίοις
προστρόπαιον τῆς πόλεως καίεσθαι τετριγότα.

Ita enim haec emendavit Porsonus Adv. p. 253. Indidem haec ducta suspicor apud Villois. Anecd. II p. 88 *καὶ λέγουσί γε Τὰ μειράκια προϊστάμενα τοῖς ἀνδράσιν*, quae omisso fabulae titulo afferuntur. Neque iam ambiguum est, quo sensu dicta fuerint verba *μὴ παιδὶ τὰ κοινά*, apud Photium et Suidam servata. Cuiusmodi *παῖδες τοῖς κοινοῖς ἐπιθέμενοι* fuere Hippocratis filii, Telesippus et Demophon, acerbissime taxati in fragmento apud Suidam vol. III p. 514, Schol. Arist. Nub. 999. et Demostratus, vid. Aristid. T. III p. 215 c et Schol. Aristoph. Lys. 398. Salsissimo dicterio perstringuntur imperatores Laespodias et Damasias in versibus apud Schol. Arist. Av. 1568.

ταδὶ τὰ δένδρα Λαισποδίας καὶ Δαμασίας
αὐαῖσι ταῖς κνήμαισιν ἀκολουθοῦσί μοι,

ad quae respicit Eunapius Liban. p. 99, ubi vide Boissonadum cll. Plutarch. Symp. VII 8 p. 712 A.

Ex ea fabulae parte in qua emendandae reipublicae et melioribus legibus regundae consilia inita esse videntur, non inepte, ut equidem opinor, hunc versum petitum esse suspiceris:

ἀμβλυστονῆσαι καὶ χλοῆσαι τὴν πόλιν,

quem non addito fabulae indicio servavit Etym. M. p. 200 50. At Suidas s. v. *ἀναβλυστανῆσαι, τὸ ἀναβλύσαι. Εὔπολις Δήμοις.* Cfr. Eustath. ad Iliad. *ρ'* p. 1095 Rom. Denique in fine fabulae, heroum umbris ad inferos redeuntibus, hosce versus locum habuisse coniicias:

Ἀναθῶμεν νῦν χἠμεῖς τούτοις τασδὶ τὰς εἰρεσιώνας,
καὶ προσαγήλωμεν ἐπελθόντες. — χαίρετε πάντες. —
[illegible] *δεχόμεσθα.*

Quae servavit Suidas s. v. *ἀγῆλαι* et Lex. Seguer. I p. 328 emendante Porsono apud Gaisfordium ad Heph. p. 278. De tempore quo acta sit fabula, nihil habeo quod pro certo afferam. At cum Demostratus, quem hac fabula perstrinxisse Eupolin vidimus, unus omnium maxime Siculam expeditionem, funestissimorum malorum caussam, commendaverit, Aristoph. Lysistr. 398 et Plut. Nic. 12 Alcib. 18, eoque ipso Eupolidis omniumque prudentium et patriae amantium virorum odium excitasse videatur, haud inani, opinor, coniectura quartum annum Olymp. XCI fabulae commissioni adsignabimus. Quam suspicionem etiam Laespodiae commemoratio confirmare videtur, quem Olymp. XCI 3 imperatorio munere functum esse, e Thucydide VII 105 intelligitur. [74])

---

[74]) Proximo tempore post Siculam cladem Olymp. XCII 1 fabulam actam esse suspicatur Raspius l. l. p. 11.

Quae deinceps sequuntur fabulae *Διαιτῶν* et *Εἵλωτες*, earum paucissima fragmenta servata sunt. *Διαιτῶν* laudatur ab uno Polluce VII 168, ubi Anaxila, mediae poeta comoediae, commemorato, ita pergit: *τῶν δὲ ἔτι νεωτέρων τις Εὔπολις καὶ τὴν πύελον τὴν ἐν τῷ βαλανείῳ μάκτραν ὠνόμασεν ὡς οἱ νῦν. λέγει γοῦν ἐν Διαιτῶντι, Εἰς βαλανεῖον εἰσελθὼν μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντά σοι εἰς τὴν μάκτραν.* In his verba *τῶν δὲ ἔτι νεωτέρων τις* Fabricium adeo deceperunt, ut *Διαιτῶντα* iuniori Eupolidi, qui nullus unquam fuit, tribueret. Recte haec verba absunt a MS Iungermanni inserta post Eupolidis nomen particula *δέ*. Vulgatam lectionem qui servare volent, Eupolidis nomen corruptum esse statuant necesse est. Neque negari potest, verba ipsa ita esse comparata, ut ex prosaico scriptore potius quam ex poeta petita esse videantur. Sive enim Eupolidei metri speciem restituas,

εἰς βαλανεῖον ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑
εἰσελθὼν μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντά σοι
εἰς τὴν μάκτραν,

sive ad anapaesticos numeros locum revoces,

εἰς βαλανεῖον δ᾽ ἐλθὼν μὴ ζηλοτυπήσῃς
τὸν συμβαίνοντά σοι εἰς μάκτραν,

utrumque habet quod displiceat. Itaque omnia incerta sunt, meliorumque librorum auxilium expectandum. Porro Helotes laudantur Athenaeo IV p. 138 e et Polluci IX 7. X 98, ubi legebatur olim *Ἁλιεῦσιν*, pro quo quum libri habeant aut *Ἡλιῶσιν* aut *Ἵλωσιν*, recte *Εἵλωσιν* correctum est. Incerto auctori eadem, ut videtur, fabula assignatur ab Athenaeo XIV p. 638 e et Herodiano de dict. solit. p. 10 34. 26 29. Qua de re pluribus exponam ad fragmenta.

Multo frequentior apud veteres scriptores eius fabulae mentio iniicitur quam *Κολάκων* nomine inscripsit, cuius ar-

gumentum cum in Callia maxime, Hipponici filio, exagitando versatum sit, primum de huius vita moribusque paullo accuratius exponendum videtur. [75]) Callias igitur noster Eupolideus, Melitensium pago adscriptus, Schol. ad Luciani Iovem Trag. vol. II p. 696 cll. Schol. Arist. Ran. 504, patrem habuit Hipponicum, cuius tantae fuerunt opes, ut quum eas in privatis aedibus, quarum magnificentiam praedicat Himerius Or. XVIII 3, satis tuto asservari posse desperaret, veniam in acropoli habitandi sibi concedi voluerit, Heraclid. Pont. apud Athen. XII p. 573 b, Apostol. XI 74 p. 139. Huius uxor postea Pericli (Plutarch. Per. 24), filia autem Hipparete Alcibiadi nupsit, quod factum esse Olymp. XCI docuit Dodwellus Annal. ad Thucyd. VI 30, ex quo intelligitur non Hipponicum, ut nonnulli voluerunt, sed, mortuo Hipponico, Calliam Alcibiadi sororem in matrimonium dedisse, Plutarch. Alcib. 8. Post Periclis obitum Hipponicus una cum Eurymedonte capitali proelio Tanagraeos fudit, testibus Thucyd. III 91 et Athen. V p. 218 b, quod factum est Olymp. LXXXVIII 2. Idem Olymp. LXXXIX 1 proelio ad Delium interfuit, in quo eum occubuisse tradit Andocides. Vid. Schneideri Quaest. de Xenoph. Conv. p. 136. Ita igitur immensae patris divitiae hereditario iure Calliae nostro obtigere, qui proximis post aditam hereditatem temporibus omnium Atheniensium opulentissimus fuisse perhibetur, adeo quidem, ut Calliae opes vel in proverbii con-

[75]) De nobili Hipponicorum familia egerunt Palmerius Io. Fr. Gronovius aliique, quos vide apud Sluiterum Lect. Andoc. p. 95, Boeckhium Oecon. Att. II p. 15 et Dahlmannum Quaest. historic. vol. I p. 11. De nostro Callia complura veterum scriptorum loca cumulavere Sluiterus l. l. p. 94 et Heindorfius ad Platonis Prot. 5 p. 465, sed explicatius qui eius historiam tractaverit novi neminem.

suetudinem abirent. Cfr. Libanius Orat. X p. 205 B. Plutarch. de Am. divit. p. 527 B. [76]) Sed Callias quum secus ac pater fecerat, cuius σωφροσύνην laudat Andocides de Myst. p. 121 Bekk. [77]), omni voluptatum generi liberrime indulgeret, acceptas hereditate divitias tam strenue dilapidavit, ut suo merito inter ἀσώτους numeretur ab Athen. IV p. 169 a, summoque iure quidam quasi ἀλιτήριος Hipponici fuisse dicatur ab Andocide de Myst. p. 121 Bekk Immanes hominis profusiones maximeque insanum scortorum amorem tangunt Aristophanes Ran. 432 cum scholiis et Heraclides Pont. apud Athenaeum XII p. 537 b, puerorum amores et adulteria praeter Eupolin in Autolyco Aristophanes Av. 284 et Cratinus apud Scholiasten Luciani vol. II p. 696, periurium Andocides de Myst. p. 119, bibacitatem Aelianus V. H. IV 16. Tanquam muliebria passum a Meleto eum commemorat Aristophanes apud Scholiasten Platonis p. 330. Denique effeminatum hominis ingenium arguit immodicus

---

[76]) *Λακκόπλουτος* dicitur Themistio Or. XXIII p. 294, quod cognomen ceteri scriptores rectius secundo Calliae tribuunt. Vid. Boeckh. Oecon. Athen. II p. 16. Alcibiadem ei, ut ipse opibus potiretur, necem intendisse narrant Andoc. c. Alcib. p. 150, Plutarch. Alcib. 8, Schol. Luciani Iove Confut. p. 638 vol. II, quam rem ut anteverteret, populum opum suarum heredem scripsit si absque liberis obiisset. Quae res eventum nec habuit nec habere potuit, tum quod filium postea genuit, tum vero etiam quod opes suas iam Olymp. XCIII 3 haud mediocriter attritas (Arist. Av. 284) decem annis post eo usque abligurrierat, ut ab Iphicrate per ludibrium *μηναγύρτης* appellaretur. Vid. Boeckh. l. l. p. 17.

[77]) Eundem tamen *οὐδὲ ὀβολοῦ ἄξιον* dicit Lucian. Tim. 24 et *Ἱππόβινον* vocat Arist. Ran. 432, ubi vide scholia. Rubicundum oris colorem, nimio vini usu ductum, indicat Eupolis apud Hesychium s. v. *ἱερεὺς Διονύσου. Εὔπολις Αἰξίν, Ἱππόνικον σκώπτων, ὡς ἐρυθρὸν τῇ ὄψει.*

unguentorum usus, de quo cfr. Xenophontem Conv. II in. Aedes suas, quarum alteras in Melitensium pago, Schol. Luciani Iov. Trag. vol. II p. 696, alteras in Piraeeo omni deliciarum genere instructas habuit, Xenophon Conv. I 2, non scurris tantum et tibicinibus aliisque id genus hominibus, Xenoph. Conv. I 11. II 1, verum etiam sophistis, in quos incredibili fuit munificentia, aperuerat, Heindorfius ad Platonis Theaet. p. 358, quorum hominum consuetudinem iam ante patris obitum avidissime eum expetiisse ex Aeschinis Socratici dialogo Calliae nomine inscripto apud Athenaeum V p. 220 b perspicitur, qua ex re nonnihil simultatis ipsi cum patre extitisse ibidem legimus. Mortuo autem Hipponico quum neminem voluptatibus suis impedimento esse videret, vix dici potest quantam adulatorum parasitorumque multitudinem in domum suam receperit, Heraclides Pont. l. l. p. 537 b. Ex eo genere fuerunt Gorgias Prodicus Protagoras Antimoerus ceterique Protagorae discipuli, quibus capiendis quum aedes quamvis amplissimae non sufficerent, *ἐκκενώσας τὸ ταμιεῖον τοῖς σοφισταῖς ξενῶνα κατεσκευάσατο*, ut est apud Themistium Or. XXIX p. 347 c, quae ducta sunt e Platonis Prot. p. 482. 484 Heind. Haec tot et tanta vitia nullis ille animi vel ingenii bonis compensabat. Nam quod tibiis scite cantasse dicitur a Chamaeleonte Heracl. apud Athenaeum IV p. 184 d, id valde vereor ut magnae laudi ei ducendum putaverint Athenienses. Doctissimum autem qui eum dicit Macrobius Sat. VII 1 haud dubie ipsam illam cum sophistis consuetudinem spectavit, ex qua non mirum est si aliquem eruditionis cultum literarumque amorem concepit. Scurrile hominis ingenium et vanitatem cum pari insolentia coniunctam optime cognoscas e Xenophontis Conv. II 20. III 10. IV in. et Hellen. VI 3 6, ubi generis nobilitatem a Triptolemo ducti intolerabili iactat ar-

rogantia. Ex his qualem in domestica vita se praebuerit facile intelligitur. Matrimonio iunctam sibi habuit Glauconis filiam, ex qua Hipponicum suscepit, Andocides de Myst. p. 119, quem ut Aspasiae erudiendum traderet auctor ei fuit Socrates, teste Maximo Tyr. XXVIII 4. Mortua uxore Ischomachi et Chrysiadis filiam duxit, annoque interiecto eo nequitiae processit, ut socero mortuo etiam Chrysiadem duceret adeoque simul et matrem et filiam haberet. V. Andocides l. l. Chrysiadi iunctus, ex qua quem susceperat filium [78]) primo eiuravit, Epilyci filiam sibi uxorem petiit, cui rei cum Andocides intercederet, huic adeo mortem intendit. V. Sluiteri Lectt. Andoc. p. 95. In re publica tractanda quas partes sequutus sit, ex eo satis intelligitur, quod Lacedaemoniorum proxenus fuisse perhibetur apud Xenophontem Conv. VIII 39 et Hellen. V 4 22. VI 3 4. Quo factum est ut aliquoties Spartam pacis conciliandae causa missus sit, qua de re ipse magnifice gloriatur apud Xenophontem Hell. VI 3 4. Quas legationes quo tempore obierit ignoramus, nisi quod postrema in Olymp. CII 2 incidit. Eundem priori tempore cum Iphicrate in bello Corinthiaco exercitus praetorem fuisse constat e Xenophonte Hell. IV 5 13 et Harpocr. s. v. *ξενικόν*. Daduchi munere in Calliarum familia prope hereditario functum esse docent Andocides l. l. p. 119, Xenophon Hell. VI 3 3, Conviv. VIII 40. De tempore quo obierit, nihil certi constat, nisi quod vitam eum ultra Olymp. CII 2 produxisse e Xenophonte vidimus, unde praegrandem natu hominem obiisse intelligitur, quod in tanta

---

[78]) Praeter duos istos etiam alium eius filium commemorat Theopompus apud Schol. Aristoph. Vesp. 1260 (1216) *Ὦ πολῖται, δεινὰ πάσχω. Τίς πολίτης δ᾽ ἐστὶ . . πλὴν ἄρ᾽ ἢ Σάκας ὁ Μυσὸς καὶ τὸ Καλλίου νόθον.*

flagitiosissimae vitae turpitudine mirari liceret, nisi corpore usum esse sciremus robusto et ad omnia ferenda idoneo. Cfr. Xenophon Conv. VIII 40. Mortis rationem unus tradidit Aelianus V. H. IV 23, cuius tamen narratio parum habet ad persuasionem probabilitatis.

Huius igitur Calliae luxuriem et adsentatores impudentissimos Eupolis hac in fabula exagitandos sibi sumpserat, qua in re ita versatus est ut nulla fere eius fabula maiorem laudem sit consecuta. De tempore quo eam docuit omnem dubitationem eximit auctor didascaliae Aristophanis Paci praefixae: *ἐνίκησε δὲ τῷ δράματι ὁ ποιητὴς ἐπὶ ἄρχοντος Ἀλκαίου, ἐν ἄστει. πρῶτος Εὔπολις Κόλαξι, δεύτερος Ἀριστοφάνης Εἰρήνῃ, τρίτος Λεύκων Φράτορσι.* Consentit Athenaeus V p. 218 c Hipponicum obiisse dicens *πρὸ τῆς ἐπ' Ἀλκαίου διδασκαλίας τῶν Εὐπόλιδος Κολάκων.* Acta igitur Olymp. LXXXIX 3 Liberalibus urbanis, duobus annis post Hipponici obitum. Asperrimis autem conviciis Calliam a poeta exagitatum esse, tum per se probabile est, tum vero ex fragmentis intelligitur. Nam quod Athenaeus XI p. 506 f dicit, gravius etiam quam ab Eupolide factum sit Calliam notasse Platonem in Protagora, id qui Protagoram legerit nemo facile concedet. Scholiasta Aristoph. Av. 284 *ὁ Ἱππονίκου Καλλίας ἐδόκει τὰ πατρῷα διεσπαρκέναι εἰς ἀσέλγειαν, ὡς ληφθεὶς μοιχεύων καὶ ἀποτίσας χρήματα. κεκωμῴδηκε δὲ αὐτὸν ἱκανῶς Εὔπολις ἐν τοῖς Κόλαξιν.* Ad eandem fabulam spectant haec Philostrati V. Soph. II 25 Hermocratem dicentis opes consumpsisse *εἰς ἄκρατον καὶ ἑταίρους, οἵους παρασχεῖν καὶ κωμῳδίᾳ λόγον, οἷον παρέσχον οἱ Καλλίαν ποτὲ τὸν Ἱππονίκου κολακεύσαντες*, ad quem locum diversos Callias confundentem Olearium notavit iam Hemsterhusius ad Lucianum vol. I p. 121, ubi de Eupolidis fabula rectius statuit ac fecerat ad Polluc. vol. II p. 1151. Extre-

mam hominis mollitiem tetigisse videtur Eupolis versibus apud Athen. XIV p. 630 a servatis. Contra Hipponici parcitatem et sobrietatem, quamquam non sine quodam ironiae colore indicat fragmentum apud Athenaeum VII p. 328 e. Alcibiadem etiam, qui sororem Calliae Hipparetam in matrimonium duxerat, male habitum esse, docet locus ibid. XII p. 535 a cll. Libanio apud Cramerum Anecd. IV p. 158 *τί δὲ μὴ* (leg. *με*) *δεῖ λέγειν τὸν οἶκον τὸν Καλλίου καὶ τὴν Ἱππονίκου οὐσίαν, ἣν κατατέτριφεν* (Alcibiades) *ἐν μέθαις*, quae ex Eupolide derivata esse sequentia docent. Sed praeter ipsum Calliam maxime omnium, quantum quidem e fragmentis fabulae intelligitur, Protagoram, Diogen. Laert. IX 50. Athen. I p. 22 f. V p. 218 c. Plutarch. Symp. 7 p. 699 A. ceterosque Calliae assentatores et parasitos *κοιλιοδαίμονας καὶ ταγηνοκνισοθήρας*, Athen. III p. 100 b et Suid. vol. II p. 126, insectatus est, quos nec ferro nec igni ab epulis removeri posse dicit in fragmento apud Plutarchum de Amic. et Adul. p. 50 D et de princ. vir. philos. p. 778 E cll. de Amic. et Adul. p. 54 B, ubi qui affertur Eupolidis versus:

τῶν περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον φίλων,

ex eadem fabula ductus videtur. Chorum dramatis ex ipsis illis adulatoribus constitisse ex Athenaeo VI p. 237 intelligitur, ubi munia sua totamque agendi vivendique rationem festivissimis versibus describunt. Cfr. Hephaest. XIII p. 73. Lautissimis Calliae epulis, in quibus scorta et pocula assentationis praemia proponebantur, Maximus Tyr. XX 7 *ἀλλὰ Καλλίαν μὲν ἐν Διονυσίοις ἐκωμῴδει Εὔπολις ἰδιώτην ἄνδρα ἐν συμποσίοις κολακευόμενον, ὅπου τῆς κολακείας τὸ ἆθλον ἦν κύλικες καὶ ἑταῖραι καὶ ἄλλαι ταπειναὶ καὶ ἀνδραποδώδεις ἡδοναί*, cfr. Athen. VII p. 286 b, lautissimis igitur epulis excepti adsentatores rapacissimi, denique, ut est in loco apud Pollucem IX 90,

φοροῦσιν ἁρπάζουσιν ἐκ τῆς οἰκίας
τὸ χρυσίον, τἀργύρια πορθεῖται,

bonisque regem suum spoliant. Praeter Protagoram aliosque Sophistas adfuisse etiam Chaerephontem et Melanthium poetam tragicum gulositate infamem, docent Scholiasta Platonis Bekk. p. 331 et Aristoph. Pac. 803. Orestem, nocturnum grassatorem, Aristoph. Av. 712, et Marpsiam, turbulentum demagogum, Aristoph. Acharn. 701 cum scholiis, inter Calliae adulatores commemorat Aelianus apud Suidam s. v. *βομβοῦσιν*, ut hos etiam in scenam introductos fuisse coniicias. Nomen fabulae, ut hoc addam, praeter Phrynichum Ecl. p. 139 attigit Athenaeus VI p. 236 e *κόλακας* ab Eupolide dictos esse admonens, quos sequiori aetate *παρασίτους* appellaverint, qui quo habitu, certe quo vestium colore in scenam prodierint, docet Schweighaeuserus ad Athenaeum vol. III p. 391.

Celebris itidem multisque scriptoribus memorata est fabula *Μαρικᾶς* inscripta, quo Hyperbolum, turbulentissimi hominem ingenii, ab Eupolide significatum esse diserte testantur Aristophanes Nub. 547 sq. Quintil. I 10 17. Scholiasta Aristophanes Ran. 577 aliisque locis. Nomen non graecae sed barbarae originis esse indicat Hesychius: *Μαρικᾶν, κίναιδον. οἱ δὲ ὑποκόρισμα παιδίου ἄρρενος βαρβαρικοῦ*, quo loco qui usi sunt ad Aristophanis Nubes Berglerus et Brunckius, non viderunt legendum esse *βαρβαρικόν*. Ex persica lingua deduxit Bernardus ad Hesychium, admonens ille etiam Etymologi M. p. 221 41. *Γαρίμας ἐκ τοῦ Μαρίκας, ἢ ἐκ τοῦ γαρίκας καὶ μαρίκας. βάρβαρον δὲ τὸ ὄνομα καὶ ἡ κλίσις καὶ ὁ τόνος.* Quae non uno nomine corrupta sunt. Compara Hesychium, *Γαριμάντας: τοὺς βαρβάρους*, quod non recte in *Γαράμαντας* mutari puto. Hinc apertum est apud Lucianum Lexiph. vol. II p. 326 pro

Καριμάντων legendum esse *Γαριμάντων*. [10]) Cfr. Hemsterhusius Anecd. I p. 70. Sed utcunque de origine vocis statuatur, non inepte comparaveris vocem *μαρίχη*, qua *τὸ τῆς γυναικὸς μόριον* indicari auctor est Theognostus apud Bekkerum Anecd. Gr. p. 1396. Flexum nominis attigit Herodianus apud Eustathium ad Hom. Iliad. *β′* p. 300 22 *ὁ δὲ Ἡρωδιανὸς τοῖς εἰρημένοις παραπηγνὺς καὶ τὸν παρὰ τῷ κωμικῷ* (Aristoph. Nub.) *Μαρικᾶν τὸ βάρβαρον ὄνομα διὰ τοῦ ντ κλιθῆναι λέγει παραφέρων χρῆσιν ταύτην· ἀλλ' οὖν ἔγωγέ σοι λέγω Μαρικᾶντα μὴ κολάζειν.* Quo loco usus est Blomfieldius ad Aeschyli Pers. 65, sed duplici errore lapsus, tum quod incerti auctoris versum Aristophani tribuit, tum vero quod etiam apud Aristophanem Nub. 549 formam *Μαρικᾶντα* pro *Μαρικᾶν* reponi voluit, contra Eustathii admonitionem, qui verbis *τὸν παρὰ τῷ κωμικῷ Μαρικᾶν* perspicue ostendit, Herodianum etiam in suo Aristophanis codice editam lectionem repperisse. Itaque Herodiani admonitio hanc vim habet, ut *Μαρικᾶς*, quod parisyllabum fecerit Aristophanes, etiam *Μαρικᾶντος* flexum fuisse edoceamur. Idque ille deinceps incerti poetae versu, quem Eupolidis esse putamus, confirmavit. Rem conficit Grammaticus Crameri Anecd. IV p. 335 32 *τὸ δὲ Μαρικᾶς Μαρικᾶντος πέπλεκται* (fort. *κέκλιται*) *ἀλλὰ καὶ ἰσοσυλλάβως.* Itaque probabile est in Eustathii verbis ante *διὰ* excidisse *καί*. Cfr. Lobeck apud Wolfium Anal. III p. 50 sqq. ad Phrynich. p. 434 et Bekkeri Anecd. III p. 1186. Apud Schol. Aristoph. Nub. 545 semel flectitur *τοῦ Μαρικοῦ*. Quo anno docuerit fabulam Eupolis, constat e Scholiasta ad Nub. 549, ubi ex didascaliis tertio post primas Nubes anno

---

[10]) Hoc nunc non necessarium esse intelligo. Vid. Lobeckii Aglaoph. p. 1037 48.

h. e. Olymp. LXXXIX 4 actam esse docemur, mortuo iam Cleone et Hyperboli auctoritate in dies crescente. Didascaliarum fidem qui haudquaquam idoneis argumentis elevare conatus erat Callimachus, satis iam refutatus est ab Eratosthene apud Schol. l. l. sive apud Bernhard. p. 212. Titulus fabulae passim miris modis corruptus est, ut apud Erotian. p. 396 *ἐν Μαρίᾳ*, Lex. Seguer. p. 467 *ἐν Μακαρικάσῃ* et Antiatt. p. 111 *Μακαρισμῷ*. De argumento non est quod dubius haereas, quamquam quae ratio fuerit irrisionis fabulaeque oeconomia ignoramus. Adscribam tamen Aristophanis locum ex Nub. 549.

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν,
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς,
προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην, τοῦ κόρδακος οὕνεχ',[80]) *ἣν*
Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν.

Ex quibus hoc certe ad argumenti rationem colligi posse videtur, ut quemadmodum Cleonem ab Aristophane, ita fere Hyperbolum ab Eupolide irrisum fuisse intelligamus: cuius imitationis luculentum exemplum monstravit Spaldingius ad Quintil. I 10 18. Sed Eupolis etiam matrem hominis, temulentam mulierem, deridendam spectatoribus propinavit. Cfr. Scholiastam Aristophanis Plut. 1038.

Νουμηνίαι fabula ab uno laudatur auctore argumenti Aristophanis Acharnensium: *ἐδιδάχθη ἐπ' Εὐθυδήμου ἄρχοντος ἐν Ληναίοις διὰ Καλλιστράτου, καὶ πρῶτος ἦν. δεύτερος Κρατῖνος Χειμαζομένοις· οὐ σώζεται· τρίτος Εὔπολις Νουμηνίαις.* In his Elmsleius Auct. ad Aristoph. Acharn. p. 113 verba *οὐ σώζεται* post *Νουμηνίαις* transpo-

---

[80]) Verba *τοῦ κόρδακος οὕνεκα* ad sequentia traxit Scholiastes. Formulam ipsam ex Aristophane mutuatus est Aristides Orat. vol. III p. 708 B.

nenda suspicatur, ut neque Cratini *Χειμαζόμενοι* nec Eupolidis *Νουμηνίαι* superesse indicetur. Titulus fabulae Eupolideae ad novilunii sacra spectare videtur, de quibus haec leguntur apud Porphyrium de Abstin. II p. 129 *θύειν ἐν τοῖς προσήκουσι χρόνοις κατὰ μῆνα ἕκαστον ταῖς νουμηνίαις στεφανοῦντα καὶ φαιδρύνοντα τὸν Ἑρμῆν καὶ τὴν Ἑκάτην καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἱερῶν, ἃ δὴ τοὺς προγόνους καταλιπεῖν, καὶ τιμᾶν λιβανωτοῖς καὶ ψαιστοῖς καὶ ποπάνοις.* Cfr. Theopompus apud Bekkerum Anecd. p. 328 29 et Aristoph. Vesp. 96 ibique Scholia. Fabularum a sacrorum solennibus denominatarum exempla habemus compluria, v. c. *Δωδεκάτην* Philyllii, *Χαλκεῖα* Menandri, alia aliorum. Cfr. Lobeckii Aglaoph. p. 437. Minus Rankii placet ratio, qui Comment. de vita Aristoph. p. 374 aut solis defectu aut pavonibus *Νουμηνίαις* ostensis pro comoediae argumento Eupolidem usum esse suspicatur.

Quam *Πόλεων* nomine inscripsit fabulam, eius argumentum haud dissimile fuisse videtur ei quod in *Δήμοις* poeta tractaverat [81]; certe graviter traducit Atheniensium ducum pravitatem apud Athenaeum X p. 425 b et Scholiastam Aristophanis Nub. 588, item Demum Pyrilampis filium apud Scholiastam Vesp. 48 et Adimantum apud Scholiastam Ran. 1561, ubi pro *Λευκολόφου* scribendum *Λευκολοφίδου*, de quo homine vide T. Hemsterhusium ad Lucian. I p. 157 et Heindorfium ad Platonis Protag. p. 486. Neque lenioribus conviciis exagitavit Amyniam apud Scholiastam Vesp.

---

[81]) Recte, ut videtur, Raspius l. l. p. 83 Eupolin in *Δήμοις* eas res tractasse statuit quae pertinerent ad rei publicae domesticam disciplinam, in *Πόλεσι* vero exhortatum esse Athenienses, ne diutius avare crudeliterque in socios consulerent. Ipsas Civitates personatas in scenam prodiisse fragmenta fidem faciunt, quode admonui etiam Dobraeus ad Aristophanis Plut. 718.

1263, Simonem apud Scholiastam Nub. 350, Autolyci matrem apud Scholiastam Lysistr. 270 multosque de eodem genere alios. Eiusdem fabulae versum auctoris nomine celato servavit Dio Chrysost. Orat. XXXII p. 655 Rsk. *τοιαῦτα ἐν ταῖς κωμῳδίαις λέγεσθαι δῆμος πνυκίτης δύσκολον γερόντιον ὑπόκωφον, καὶ τί δ' ἔστ' Ἀθηναῖος, τὸ πρᾶγμ' ἀπώμοτον.* Ubi frustra laborare videas interpretes. Prior sane notissimus Aristophanis est versus ex Equitibus petitus, alter autem, qui ita scribendus est:

τί δ' ἔστ' Ἀθηναίοισι πρᾶγμ' ἀπώμοτον;

ad eam de qua agimus fabulam referendus est, ut intelligas e Lexico Seguer. p. 441. De tempore quo commissa sit fabula si quaeris, haud sane post Chiorum defectionem ab Atheniensibus Olymp. XCI 4 doceri potuit, ut ostendit locus apud Scholiastam Arist. Av. 881:

αὕτη Χίος, καλὴ πόλις, * * *

πέμπει γὰρ ἡμῖν ναῦς μακρὰς ἄνδρας θ', ὅταν δεήσῃ.

Aliud temporis indicium praebet fragmentum apud Scholiastam Pac. 1031.

ὡς αὖ τίν' ἔλθω δῆτά σοι τῶν μάντεων;

πότερος ἀμείνων ἀμφοτέρων; ἢ Στιλβίδης;

Stilbides vates nobilissimus et Niciae familiaris, ut e Plutarchi narratione in vita Nic. 23 probabiliter efficias, supremum diem obiit Olymp. XCI 3, quod quum in ipsa Sicilia evenerit, quo ille una cum Nicia profectus erat, Stilbides autem in Eupolidis loco ita commemoretur ut tum Athenis fuisse videatur, vix dubitari potest quin fabula nostra ante Siculam expeditionem h. e. Olymp. LXXXVIII vel LXXXIX in certamen commissa fuerit.

Προσπαλτίων quod argumentum fuerit haud difficile est ad indicandum, si quidem Prospaltios non secus ac Thymoetadas tanquam *δικαστικοὺς* h. e. litium et causarum iu-

dicialium cupidissimos a comicis poetis irrisos fuisse Suidae constat testimonio s. v. Δρυαχαρνεῦ. Cfr. Etymol. M. p. 288 18 ἐκωμῳδοῦντο γὰρ οἱ Ἀχαρνεῖς ὡς ἄγριοι καὶ σκληροί, Ποτάμιοι δὲ ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράφους, Θυμοιτάδαι δὲ καὶ Προσπάλτιοι ὡς δικαστικοί. Hinc fortasse explicandus est locus fabulae ab Athenaeo VII p. 326 a servatus,

Μήτηρ τις αὐτῷ Θρᾷττα ταινιόπωλις ἦν,

quae dici videntur ab aliquo Prospaltio, qui ut adversarium servilis condicionis hominem ideoque tribu movendum esse doceret, eodem utitur argumento quo Eubulides apud Demosth. p. 1309 in Euxithei causa usus erat: *εἰ δέ γε πλούσιοι ἦμεν,* inquit Euxitheus, *οὔτ' ἂν τὰς ταινίας ἐπωλοῦμεν, οὔτ' ἂν ὅλως ἦμεν ἄποροι. ἀλλὰ τί ταῦτα κοινωνεῖ τῷ γένει;* Euthyphronem qui hac fabula maxime exagitatum fuisse scribit Th. Bergkius Epist. ad Schillerum p. 148, Euthyphronem haud dubie intelligi voluit Platonicum illum, qui eo impietatis progressus erat ut suo ipsius patri caedis litem intenderet. V. Plato Euthyphr. p. 4 A et ubi tecte eandem rem significare videtur de Republ. II p. 378 B. Quae etsi ingeniosa est coniectura, in fragmentis tamen nihil quod ei fidem faciat reperio. Fabulam ante Olymp. LXXXIX 1 actam esse docet Aristophanes Nub. 533 frigidos et ineptos aemulorum poetarum iocos exagitans, ad quem locum Eupolidis Prospaltios significari testatur Scholiastes. Ac nescio an vel hinc viri cl. suspicio labefactetur, quum Platone teste Euthyphronis cum patre contentio in illud tempus inciderit quo Meletus Socratem accusaverat, h. e. in Olympiadem XCIV ultimam vel XCV ineuntem.

Sequitur *Ταξίαρχοι* fabula, passim *Ταξιάρχαι* nominata, quae minus attica forma fuit. Eodem nomine inscriptam fabulam Dionysio, qui mediae poeta fuit comoediae

tribuunt Meursius et Fabricius, Suidam attestantes qui haec scribit: *καὶ παροιμία Φορμίωνος στιβὰς ἐπὶ τῶν εὐτελῶν· οὗτος γὰρ ὁ Φορμίων ἀγαθὸς ἐγένετο στρατηγός· καὶ ἐν τοῖς Ταξιάρχαις δὲ φαίνεται* (scribe *φέρεται*) *ὡς ἐπίπονος. Φιλοπόλεμος γὰρ καὶ αὐστηρός. στιβάδες δὲ ἐπειδὴ οἱ στρατιῶται χαμαικοιτοῦσιν. Ἀναγράφεται δὲ ὁ Φορμίων δυσὶ ναυμαχίαις νικήσας Λακεδαιμονίους· λιτὸς δὲ ἦν καὶ στρατιωτικός· οἱ δὲ τὰ πολεμικὰ ἐξησκημένοι ὑπὸ γυμνασίων καὶ πόνων εἰώθασι χαμαικοιτεῖν. καὶ Διονύσιος ἐν Ταξιάρχαις Ὡς οὐκ ἔτ' ἂν φάγοιμι στιβάδας ἐξ ὅτου φύγον.* In his quae de Phormionis virtute et in ferendis belli laboribus patientia traduntur, e Dionysii Taxiarchis petita esse prorsus incredibile est. Quid enim mediae auctori comoediae cum Atheniensium duce, cuius virtus rerumque bellicarum peritia in ipsis belli Peloponnesiaci initiis eluxit? Eam ob causam ego in Quaest. scen. III p. 56 non dubitandum esse dicebam, quin omnia illa, quae ex integrioribus Scholiis ad Aristophanis Pac. 347 conflata esse, ad Eupolidis Taxiarchos pertineant. In his enim magnas fuisse Phormionis partes docere Pollucis locum IX 102 *ἐν γὰρ Ταξιάρχοις Εὔπολις, τοῦ Φορμίωνος εἰπόντος,*

οὐκοῦν περιγράψεις ὅσον ἐναριστᾶν κύκλον;

ἀποκρίνεται,

τί δ' ἔστιν; εἰς ὤμιλλαν ἀριστήσομεν;
ἢ κόψομεν τὴν μᾶζαν ὥσπερ ὄρτυγα;

Ac quum priora illa Scholiastae verba manifesto ad Eupolin spectent, ne cetera quidem, quae ex Dionysii Taxiarchis afferre Suidam, ad alium auctorem referenda esse suspicatus sum. Neque vanam fuisse nostram suspicionem docet editus postea a Bekkero Scholiastes Venetus ad Pacem l. l. ubi ita scriptum est: *καὶ Διονύσιος ἐν Ταξιάρχοις παρ' Εὐπόλιδι· «παρὰ Φορμίωνι μανθάνω τοὺς τῶν στρατηγιῶν τε*

«καὶ πολέμων νόμους,» φησίν, «ὡς οὐκέτ' ἂν φύγοιμι «στιβάδας ἐξ ὅτου 'φαγον.» Apertum igitur est Dionysium, sive potius, ut suspicor, Dionysum deum ab Eupolide ita introductum fuisse, ut in ferendis militiae laboribus mollissimus deus magistro uteretur Phormione; quae res multiplicem risus iocique materiem praebere debebat. Ac nescio an eodem spectet locus ex Polluce allatus, in quo Bacchus colloquitur cum Phormione, qui quum prandentibus triclinii mensaeque loco circulum sufficere dixisset in telluris humo ducendum, offensus tam simplici coenae apparatu deus respondet: τί δ' ἔστιν; εἰς ὥμιλλαν ἀριστήσομεν; Prandium ipsum apparatum fuisse intelligas ex fragmento apud Athenaeum II p. 52 d.

Δίδου μασᾶσθαι Ναξίας ἀμυγδάλας,
οἶνόν τε πίνειν Ναξίων ἀπ' ἀμπέλων.

Quae Bacchi verba esse suspicor; ad quae Phormionem poeta ita respondentem facit, ut militem decere dicat

ἐπιφαγεῖν μηδὲν ἄλλ' ἢ κρόμμυον
λέποντα καὶ τρεῖς ἁλμάδας.

Ita enim legenda haec, quae ab eodem Athenaeo servata sunt IV p. 170 d. De vestis squalore et illuvie militiae aerumnis contracta querentem deum audire mihi videor in loco apud Pollucem VII 108. IX 58. Ex ea fabulae parte, in qua Phormio imperitum deum armorum tractandorum artem docuisse videtur, petitus est locus apud Photium Lex. p. 658

οὐκ ἢν φυλάττῃ γ' ὧδ' ἔχων τὴν ἀσπίδα.

Ad palaestricas dei exercitationes spectare videntur quae leguntur apud Grammatic. ar. Bekkeri p. 327. In pugnam autem quomodo ingressus sit docet fragmentum a Polluce X 63 servatum,

ὅστις πύελον ἥκεις ἔχων καὶ χαλκίον,
ὥσπερ λεχὼ στρατιῶτις ἐξ Ἰωνίας.

Hinc eum *σκευοφοριώτην* appellat nescio quis apud eundem Pollue. X 17 solennem dei appellationem *εἰραφιώτης* ludibrii causa in *σκευοφοριώτην* immutans. De ceteris fragmentis suo loco dicetur.

Ὑβριστοδίκαι non commemorantur nisi a Ptolemaeo Photii Biblioth. 190 p. 151 10 de quo loco supra p. 101 dictum est. Ad nomen fabulae interpretandum facit Pollux VIII 126 *ὑβριστοδίκαι δὲ ἐκαλοῦντο, εἴ τι χρὴ Κρατερῷ πιστεύειν τῷ τὰ ψηφίσματα συνάγοντι* (MS *συναγόντι* h. e. *συναγαγόντι*), *οἱ μὴ βουλόμενοι τὰς δίκας εἰσαγαγεῖν. ἐπεπόλασε δὲ τὸ τοιοῦτον ἐν Σικελίᾳ.* Postrema quorsum spectent obscurum est. Hesychius vol. II p. 1442 *Ὑβριστοδίκαι: οἱ μὴ θέλοντες εἰσάγειν τὰς δίκας παρὰ Ἀττικοῖς.* Itaque *ὑβριστοδίκαι* dicebantur qui causas in iudicium introduci nolebant. Cum Polluce et Hesychio consentit Photius Lex. p. 614 9 *Ὑβριστοδίκαι: οἱ ἐπὶ τῶν μὴ ἐθελόντων εἰσάγειν τὰς δίκας*, ubi *οἱ* ante *ἐπὶ* delendum esse monuit ad Hesychium Albertus. In *Φίλοις* quod argumentum tractaverit plane incertum est; Lyconem Autolyci patrem et Aspasiam in ea exagitatos fuisse docet Scholiastes Platonis Bekk. p. 332. 391. Ex ceteris fragmentis nihil efficias.

Agmen claudit fabularum Eupolidarum ea quam *Χρυσοῦν γένος* inscripsit, cuius formam et descriptionem etsi ignoramus, ex fragmentis tamen ipsoque fabulae titulo poetam aureae aetatis reditum Atheniensibus vaticinatum esse intelligitur. Eo prae ceteris spectant versus ab Hephaestione p. 108 servati,

ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,
ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' ἦσθα, νῦν δὲ μᾶλλον ἔσει.

Ex quibus fabulam ante Cleonis obitum in certamen commissam esse perspicitur. Cfr. Fritzschius Quaest. Aristoph.

I p. 145. Ad Cleonem fortasse etiam alius versus referendus est apud Scholiastam Aristoph. Vesp. 641

ἀτεχνῶς μὲν οὖν τὸ λεγόμενον σκύτη βλέπει

In eadem fabula Lamponis partes fuisse docet Antiattic. p. 96. Quem si vaticinia fundentem a poeta inductum esse coniicere licet, non male eidem versum a Zenobio II 19 servatum assignaveris,

αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.

Praeter Cleonem et Lamponem risit Didymiam apud Athenaeum XIV p. 658 d, Pantaclem apud Schol. Aristophanis Ran. 1068, Dionysium tonsorem apud Polluc. X 31, Archestratum apud Schol. Iliad. κ' 252, aliosque eodem loco commemoratos. Cyclopum autem ne mentionem factam colligas e Schol. Platon. p. 320 *Εὔπολις Χρυσῷ γένει μεταφέρων ἐπὶ τὴν ἐκ Κυκλώπων κατάκλισιν τοὔνομα (ὤμιλλα) οὕτως φησίν*

κἄπειτ' εἴσειμ' ἐνθάδε μείνας
εἰς ὤμιλλαν κἂν μὴ μετίῃς,

verbo monere liceat scripsisse Scholiastam *ἐπὶ τὴν ἐν κύκλῳ κατάκλισιν.*

PHRYNICHUS, Atheniensis, si Suidae s. v. *Φρύνιχος* fides, quamquam Schol. Aristoph. Ran. 14 eum ob peregrinam (patris, ut videtur) originem a comicis irrisum tradit: *κωμῳδεῖται δὲ ὡς ξένος.* Phradmonis filium qui eum fuisse perhibet Anonymus de Com. p. XXIX Lips. fortasse cum tragico eiusdem nominis poeta confudit, quem Polyphradmonis filium vocat Schol. Aristoph. Av. 750. [82]) Rectius

---

[82]) Ita etiam Suidas s. v. *Φρύνιχος*, addens ille eundem ab aliis Minyrae, ab aliis denique Chloroclis filium perhiberi; quibus quartum nomen accedit Melanthas (*Μελανθᾶς*) a Scholiasta Aristoph. Vesp. 1481 servatum. Ex his Polyphradmon verum et genuinum, cetera prae-

igitur Scholiastae ad Ran. 14 fidem habebimus, nostrum poetam Eunomidae filium fuisse tradenti. Aetatem Phrynichi his verbis indicat Suidas: *κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. ἐδίδαξε γοῦν ἐπὶ πς' Ὀλυμπιάδος.* Eadem Eudocia p. 428, nisi quod minus recte *ἐπὶ δευτέρων* habet. Primam igitur fabulam docuit Olymp. LXXXVI, non LXXVI ut calami errore scripsit Fabricius Bibl. gr. II p. 483, quem securus repetiit Baehrius ad Plutarchi Alcib. p. 173. Sed apud Suidam fortasse in numeris erratum est scribendumque *ἐπὶ πζ'.* [83]) Certe Anonymus de Com. l. l. *Εὔπολις ἐδίδαξεν ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου, ἐφ' οὗ καὶ Φρύνιχος,* h. e. Olymp. LXXXVII 3. Obiit in Sicilia, teste Anonymo: *Φρύνιχος ἔθανεν ἐν Σικελίᾳ,* nisi hoc etiam de Polyphradmonis filio intelligendum est. De ceteris viri rebus nihil compertum habemus. Nam quod Scholiastes ad Aristophanis Ran. 700 Phrynichum, poetam comicum, postea praetorem factum esse narrat, inane est veterum enarratorum commentum, explosum illud iam a Bentleio Respons. ad Boyl. p. 295 Lips. Ac fortasse ne scripsit quidem Scholiastes quod vulgo fertur. Aristophanis haec sunt verba:

Κεἴ τις ἥμαρτε σφαλείς τι Φρυνίχου παλαίσμασιν,
ἐγγενέσθαι φημὶ χρῆναι τοῖς ὀλισθοῦσιν τότε
αἰτίαν ἐκθεῖσι λῦσαι τὰς πρότερον ἁμαρτίας.

His igitur praeter alia haec adscripta legimus: *στρατηγοῦντος αὐτοῦ* (Phrynichi) *ἡττήθησαν Ἀθηναῖοι καὶ πολλοὶ αὐτῷ προσεκρούσθησαν ὡς προδόντι τὸν πόλεμον. τινὲς δὲ τοῦτον [τὸν] κωμικὸν ποιητὴν λέγουσιν, ὅς κινουμένους*

ter Choroclem, de quo infra dicam, ficta et allegorica nomina videntur.

[83]) Idem nunc etiam apud Clintonum video Fastis Hellen. p. 67 Kr.

τοὺς χοροὺς εἰσῆγε καὶ παλαίοντας. ἐγένετο δὲ στρατηγός, ἐφ' οὗ πολλοὶ ἥμαρτον τῶν τραγικῶν [84]) καὶ ἄτιμοι ἐγένοντο. Cum his si comparaveris Aeliani narrationem Var. Hist. III 8, qui Phrynichum tragicum ab Atheniensibus imperatoris munere ornatum fuisse scribit, ἐπεὶ τοῖς πυρριχισταῖς ἔν τινι τραγῳδίᾳ ἐπιτήδεια μέλη καὶ πολεμικὰ ἐξεπόνησε, haudquaquam improbabile videtur etiam Scholiastam scripsisse τὸν τραγικὸν ποιητήν. Idque etiam ea quae deinceps addita leguntur confirmant: motorii enim et luctantes chori pyrrhichistis quam maxime conveniunt. Cfr. Scholiastes Ran. 153, ubi Cinesias pyrrhichae auctor ἐν τοῖς χοροῖς πολλῇ κινήσει κεχρῆσθαι dicitur. Sed de hoc utcunque statuas, Φρυνίχου παλαίσματα neque ad tragicum neque ad comicum poetam spectant. Recte Phrynichum praetorem Atheniensium celeberrimum Stratonidis filium (Schol. Aristoph. Ran. 313) intellexit iam vetus interpres Aristophanis Lysistr. 313 et Av. 750. Alius item Phrynichus est is quem inter Philocleonis adulatores recenset Aristophanes Vesp. 1293, ubi quum veteres quidam enarratores comicum poetam perstringi sibi persuasissent, Symmachus rectissime tragicum histrionem sive choreutam, quem Choroclis filium dixit Scholiastes Av. 750, intelligendum esse monuit. Is idem est qui Andocidi Orat. de myster. p. 24 Rsk. dicitur Φρύνιχος ὁ ὀρχησάμενος. [85]) Eundem propter mollitiem

---

[84]) Suidas s. v. παλαισμάτων non minus inepte τῶν στρατηγῶν, quamquam probatum Perizonio ad Aeliani V. H. III 8. Scripsisse videtur Scholiastes πολιτῶν.

[85]) Ὁ ὀρχησάμενος quod dixit, non ὀρχηστής documento est Phrynichum eo tempore quo habuit illam orationem Andocides, aut iam mortuum fuisse aut certe histrioniam facere desiise. Similiter ἄρξας dicitur qui ἄρχων esse desiit. Nihil igitur caussae est cur aut corrupta putentur verba (Droysen de Avibus Aristoph. p. 54)

figurarum orchesticarum illudi crediderunt ab Aristophane Nub. 1092 *τί δαί; τραγῳδοῦσ' ἐκ τίνων; ἐξ εὐρυπρώκτων,* ubi Scholiastes: *εἰς Φρύνιχόν φασιν αὐτὸν ἀποτείνειν τὸν τραγικὸν χορευτήν, ἐπεὶ διεβάλλετο ἐπὶ μαλακίᾳ σχημάτων.* [86]) Sed haec incerta sunt. Apertius idem Vesp. 1481

πλήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ
σκέλος οὐράνιόν γ' ἐκλακτίζων,

et 1515

καὶ τὸ Φρυνίχειον
ἐκλακτισάτω τις, ὅπως
ἰδόντες ἄνω σκέλος
ὤζωσιν οἱ θεαταί.

Quibus locis qui tragicum poetam, quem et ipsum *σχημάτων ὀρχηστικῶν* inventio nobilitavit, rideri credidit Bentleius Resp. ad Boyl. p. 300 non cogitavit, opinor, tragicum poetam nunquam nisi honorificentissime commemorare Aristophanem (v. c. Ran. 911 1290, Thesm. 164, Av. 749, Vesp. 220 269) atque veterem illam saltandi artem, qualem Phrynichus tragicus excoluit, honestiorem et vero venustiorem fuisse, quam quae ab Aristophane sic illudi potuerit. Recte igitur in illis quos adscripsi locis saltatorem Phrynichum commemorari statuit Sluiterus Lect. Andoc. VI p. 120.

De poesi viri satis honorifice sensisse veteres criticos vel illud documento est, quod *τοῖς ἀξιολογωτάτοις* veteris comoediae auctoribus accensetur ab Anonymo de com. p. XXVIII. Neque repugnat illi iudicio fragmentorum indoles, singulari

---

aut exempla huius dictionis requirantur cum Wyttenbachio Bibl. crit. III 3 p. 93. Cfr. tamen Aeschines c. Ctesiph. p. 483 Rsk. *Διόδωρος ὁ δολιχοδρομήσας.*

[86]) Itaque *τραγῳδεῖν* etiam choreutae dicebantur. Respicit ad hunc locum Photius Lex. p. 598 4 *Τραγῳδεῖν: χορεύειν Ἀριστοφάνης,* quod inter fragmenta posuit Dindorfius p. 239.

elegantia et eximio vigore conspicua. Cuius rei si quis exempla desiderat, is adeat Athen. II 49 d. IV p. 165 b, Argum. Sophocl. Oed. Col. p. 5 et Plutarch. V. Alcib. 20. Perstrinxit tamen eum Aristophanes Ran. 14 utpote *φορτικὸν* et obsoletis comicorum poetarum artibus, ut baiulantium inficetis facetiis lusibusque utentem. Cfr. Suidas s. v. *Λύκις* Scholiasta autem ad Aristophanis locum nihil eiusmodi in superstitibus Phrynichi comoediis legi adnotat: *εἰκὸς δὲ ἐν τοῖς ἀπολωλόσιν εἶναι αὐτοῦ τοιοῦτό τι.* Fuisse etiam qui metrorum imperitiam ei obiicerent, idem docet Scholiastes: *κωμῳδεῖται δὲ — ἐπὶ φαυλότητι ποιημάτων καὶ ὡς ἀλλότρια λέγων καὶ ὡς κακόμετρα.* Cuiusmodi crimina vix aliunde nisi ex mutua antiquorum comicorum aemulatione obtrectandique libidine repetenda esse, non est quod moneam. De plagiis quae dicit Scholiastes, spectavit haud dubie Hermippum, quem Schol. Aristoph. Av. 750 in *Φορμοφόροις* fabula Phrynichi tamquam *ἀλλότρια ὑποβαλλομένου ποιήματα* meminisse refert. Contra Phrynichi opibus Eupolin in Marica usum esse testatur Aristophanes Nub. 553. De metrorum autem inscitia quae refert, ea quorsum spectent, ut nunc res est, diiudicari non potest. Metrum Phrynichium, compositum illud ex ionico a minori tetrametro catalectico, quod copiosum apud Phrynichum auctorem veteris comoediae fuisse dicit Marius Victor. p. 2542 et cuius exemplum ex nostro poeta attulit Hephaestio cap. 12 p. 67 *ἃ δ' ἀνάγκα 'σθ' ἱερεῦσιν καθαρεύειν φράσομεν,* a tragico potius quam a comico Phrynicho denominatum esse crediderim. Suidas certe s. v. *Φρύνιχος*, ubi de tragico agit, hunc *τοῦ τετραμέτρου εὑρέτην* appellat, quod non videtur de alio metri genere intelligi posse. Cfr. M. Servium Cent. p. 1823 et Hephaestionem l. l. Quod idem Servius p. 1821 commemorat metrum Trinicium, a San-

tenio in Phrynichum mutatum, constans illud versu anapaestico monometro, fortasse et ipsum a tragico nomen duxit. Dictione usus est, quantum quidem ex fragmentis intelligitur, tersa et ad atticam elegantiam composita, quamquam in singulorum verborum usu plus sibi indulsit, quam ab huius aetatis scriptore expectes. Ita ille *ἀφήλικα* virginem impuberem dixit apud Polluc. II 17 contra bonorum scriptorum usum. V. Lobeckium ad Phryn. p. 84. *Κατακοιμίζειν λύχνον* pro *ἀποσβεννύναι* dixit loco apud Athen. XV p. 700 f et Polluc. VII 178, *κεκτημένος* de servi domino apud Polluc. III 73. Eodem pertinet usus vocabuli *ἀπελεύθερος*, de quo Athen. III p. 115 b *ὁ δ᾽ ἀπελεύθερος παρὰ τίνι κεῖται; εἰπόντος δέ τινος καὶ δρᾶμα ἐπιγράφεσθαι Φρυνίχου Ἀπελευθέρους, Μένανδρον δ᾽ ἐν Ῥαπιζομένῃ καὶ ἀπελευθέραν εἰρηκέναι κτλ.* Medium *τευτάζεσθαι*, quo usus esse videtur loco apud Phot. Lex. s. v. *τευτάζειν* ex emendatione Ruhnkenii, infimae graecitatis est, v. Bastii Epist. crit. p. 152. Rarius porro apud poetas comicos nec tamen exemplis destitutum est *ὗμιν* pro *ὑμῖν*, quo utitur in fragmento apud Eustath. ad Iliad. ρ´ 415 *ἐβουλόμην ἂν ὗμιν ὥσπερ καὶ πρὸ τοῦ. Κεῖνος* autem, quod habes loco ab Erotiano Lex. Hipp. p. 376 servato, manifesto corruptum est. Vocabula quibus aut primus aut solus usus est, reperio fere haec: *συβαριασμὸς* de strepitu tibicinum apud Scholiastam Aristophanis Pac. 344 *πολὺς δὲ συβαριασμὸς αὐλητῶν [τότ᾽] ἦν. ἀλεκτρυοπωλητήριον* apud Polluc. VII 136, *γναθοῦν* apud Antiatt. p. 87, *ὑπερηλιάζομαι* apud Schol. Arist. Vesp. 299, nisi scribendum *τριωβόλων ὅσων ὕπερ ἡλιάζομαι. ἀπρόσοδος* pro *ἀπρόσιτος* apud Grammat. Bekkeri p. 344, *αὖξις* quod piscis nomen est ibidem p. 464, *αὐχμᾶν* pro *αὐχμεῖν* apud Polluc. II 34. Sed horum quidem aliorumque his similium quae afferre possim, non certa

est omnium ratio. Interpretem Phrynichus nactus est Didymum Alexandrinum, cuius in *Κρόνον* fabulam commentarii laudantur ab Athenaeo lib. IX p. 371 f.

Fabulas docuit numero decem, teste Anonymo de poetis com. p. XXXIV Beck. Neque plures enumerat Suidas: *δράματα δὲ αὐτοῦ ἐστι ταῦτα. Ἐφιάλτης, Κόννος, Κρόνος, Κωμασταί, Σάτυροι, Τραγῳδοὶ ἢ Ἀπελεύθεροι, Μονότροπος, Μοῦσαι, Μύστης, Ποάστριαι, Σάτυροι.* Postremum nomen utpote temere ex praecedentibus repetitum litura delendum. Ac deest apud Eudoc. p. 428. Ex his fabulis inscite Harlesius ad Fabricii Bibl. Gr. II p. 484 praeeunte Kustero Ephialtem Cronum et Satyros ad tragicum Phrynichum rettulit. Contrario errore Kannegiesserus de Theatro Att. p. 447 Tyronem, quae ne fuit quidem Phrynichi fabula, comico nostro attribuit, quod vel ob Suidae et Anonymi de numero fabularum Phrynichiarum consensum fieri non debebat. Eodem argumento etiam Lessingii et Hermanni sententiae satis convelluntur, quorum ille in Vita Sophoclis p. 44 ex male intellecto loco Athenaei II p. 44 d *Λάρους*, hic autem e corruptissimo Scholio Aristophanis Nub. 552 *Ὑπεύθυνον* Phrynichi fabulis addi voluit. Videamus iam de singulis.

Ἐφιάλτης laudatur Athen. IV p. 165 b. VI p. 184 f, Polluci VII 103 et Schol. Aristoph. Av. 1297, ubi *Ἐπιάλτης* editur, quod Iungermannus ad Pollucem l. l. in *Ἐφιάλτῃ* mutatum voluit, non facturus, opinor, si praeter *Ἐφιάλτης* etiam *Ἐπιάλης* et *Ἠπιάλης* in usu fuisse meminisset. Hesychius: *Ἐπιαλῆς* (*Ἐπιάλης*) *ὁ Ἐφιάλτης.* Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 1189 31 *Ἐπιάλης Ἐπιάλητος.* Phrynichus App. Soph. p. 42 1 *Ἠπιάλης: ὁ ἐπιπίπτων καὶ ἐφέρπων τοῖς κοιμωμένοις δαίμων.* Eundem *Ἐπίαλον* dixisse Alcaeum tradit Etymol. M. p. 434 12, nisi is scripsit

Ἐπιάλτης, quam formam Alcaeo tribuit Eustathius p. 1687 51. [87]) Sed Iungermannus fortasse grammaticorum quoddam praeceptum sequutus est. Sic enim Suidas vol. I p. 801. *Ἐπιάλτην Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος καὶ οἱ Ἀττικοὶ τὸν δαίμονα, διὰ δὲ τοῦ φ τὸν ἄνδρα Ἐφιάλτην.* Similia Eustathius, cuius testimonia collegit Boeckhius Explic. Pind. p. 271. Quorum si verum est praeceptum, non daemon ille Homericus vel Incubo fabulae nomen dedisse censendus est, sed notus quidam istis temporibus homo. Quem ne inclytum illum Periclis in administranda re publica adiutorem fuisse putemus, prohibent temporum rationes. Nec magis orator Ephialtes, qui in decem illis ab Antipatro postulatis commemoratur apud Plutarchum V. Demosth. p. 856 E, intelligi potest. Itaque fuit cum de Eupolidis servo cogitarem, qui cum fabulas aliquot domino surripuisse dicatur, haud ineptum sane fabulae argumentum praebere potuit. [88]) Sed grammaticorum illud praeceptum magnopere vereor ne temere excogitatum sit atque hactenus tantum verum esse reperiatur, ut *Ἐπιάλτης* nunquam in viri nomen abierit: Incubum autem si denotare vellent vel daemonem istum Homericum, quem eundem cum Pane habitum esse tradit Artemidorus Onirocr. II 37, utraque forma promiscue usi videntur non reliqui tantum Graeci, sed ipsi etiam Athenienses. Ni-

---

[87]) Formam *Ἰφιάλης* unus Suidas servavit: *Ἰφιάλου, τοῦ Ἐφιάλτου.* Eiusdem formae vestigia reperio apud Pollucem VII 103, ubi libri *Ἰφιάλτῃ* habent, quod Casaubono auctore in *Ἐφιάλτου* mutatum. Denique *Ἐπωφέλης*, quod bene ominatum malefici daemonis nomen fuisse videtur, non nisi ex Hesychio innotuit, *Ἐπωφέλης· ὁ καλούμενος Ἐφιάλτης.*

[88]) Ephialtem Philocratis patrem fabulae Phrynichiae nomen dedisse suspicatus est G. Droysen Comment. de Avibus Arist. p. 35.

hil igitur obstat, si quid iudico, quo minus Phrynichiae fabulae titulum de Incubone interpretemur, qui eodem iure Phrynicho, quo Lamia Crateti aliisque, fabulae vel argumentum vel nomen praebere potuit. Ac coniungitur cum ipsa illa Lamia aliisque terriculamentis apud Strabon. I p. 19 (p. 15 Lips.) παισὶ προσφέρομεν — εἰς ἀποτροπὴν τοὺς φοβεροὺς (μύθους). ἥτε γὰρ Λάμια μῦθός ἐστι καὶ ἡ Γοργώ, καὶ ὁ Ἐφιάλτης. καὶ ἡ Μορμολύκη. Neque defuisse in fabula de Ephialte quae comice exornari possent, vel Sophronis locus docet apud Demetr. de Elocut. §. 154, ubi Ephialtem habemus ab Herculo suffocatum. Sed omnem de argumento et nomine fabulae Phrynichiae dubitationem recideret quod e cod. Veneto scholion Bekkerus edidit ad Aristophanis Vesp. 1339, nisi foedius corruptum esset quam ut certus inde sensus elici possit. Sic autem habet: φιαλεῖς] τῷ ἔργῳ ἐπιβαλεῖς. Ὅμηρος (Odyss. χ' 49) αὐτὸς γὰρ ἐφίηλεν τάδε ἔργα. ἀντὶ τοῦ ἐπεβάλετο. Φρύνιχος Ἐπιάλτῃ· ὄνομα δέ τῳ τοῦτ' ἦν ἔσωθεν γῆν τε μὴ ἔστω φιάλτης ἀνδραγαθίας οὕνεκα ἔτι ἐπιαλὰς χρηστὰ λε ἀπωλόμην.

Sequitur *Κόννος*, quo nomine etiam Amipsias fabulam inscripsit, de qua vide quae infra notabimus. Laudatur Hesychio s. v. *ἀεί*, ubi pro *Φρύνιχος Κοννώῃ* recte corrigunt *Κόννῳ*. Male alii *Κρόνῳ*. Eiusdem fabulae titulum apud Etymol. M. p. 340 5 restituit Gaisfordius ad Hesiod. p. 112. Apud Antiatticistam p. 79 2: *ἀμάθητος ἀντὶ τοῦ ἀμαθής. Φρύνιχος Κόνῳ*, dubius haereas, utrum *Κρόνῳ* an *Κόννῳ* scribendum sit. Sed alterum probabilius. *Κρόνον* habes apud Erotianum Gloss. Hipp. p. 376 Athenaeum IX p. 371 f Pollucem VII 136 Hesychium s. v. *Σεσέλλισαι* et Schol. Aristoph. Av. 989, ubi Diopithes vates commemoratur. Ex loco apud Hesychium Dionysi partes aliquas fuisse intelligitur.

Κωμασταί laudantur Athenaeo IX p. 474 b Polluci IV

54 Schol. Aristoph. Av. 1568 et Hesychio s. v. *Κολακοφορο-κλείδης*. Eodem titulo Amipsiae fabula commemoratur in argumento Aristoph. Avium, Olymp. XCI 2 simul cum Monotropo Phrynichi et Aristophanis Avibus commissa: cuius fabulae ingeniose Th. Bergkius apud Fritzschium Quaest. Arist. I p. 322 non Amipsiam verum fuisse auctorem coniicit, sed ipsum Phrynichum, qui cum duas fabulas composuisset, Monotropum et Comissatores, lege autem vetitum esset ne quis comicus poeta duas simul committeret fabulas, alteram tradidisse Amipsiae, ut suo nomine doceret: hinc in didascaliis quidem istam comoediam consignatam esse Amipsiae nomine, sed verum auctorem statim innotuisse; unde grammaticos quae ex Comissatoribus proferant ea Phrynicho tribuere. Si recte coniecit vir doctissimus, non dubitandum videtur quin fragmentum Phrynichi a Plutarcho Alcib. 20 servatum ex iisdem *Κωμασταῖς* derivatum sit. Est autem hoc:

Ὦ φίλταθ' Ἑρμῆ, νῦν φυλάττου, μὴ πεσὼν
αὑτὸν περικρούσῃ καὶ παράσχῃς διαβολὴν
ἑτέρῳ Διοκλείδᾳ βουλομένῳ κακόν τι δρᾶν.
Ε. φυλάξομαι· Τεύκρῳ γὰρ οὐχὶ βούλομαι
μήνυτρα δοῦναι τῷ πολαμναίῳ ξένῳ.

Quae nisi proxime post flagitium ab Hermocopidis commissum scribi non potuisse apertum est. Itaque fuit quum illos versus ex Monotropo ductos putarem; sed melius conveniunt Comastis, de quorum argumento verissime statuit G. Droysen in Commentat. de Avibus Aristophanis et caussa Hermocopidarum p. 69. Videtur enim in convivio a comissatoribus instituto praesens adfuisse Mercurius, qui quum vino madidus titubanti incederet gressu ipsis illis versibus monetur, ne pronus cadat in terram et membra frangat eoque malevolis hominibus novam accusandi opportunitatem praebeat.

Frequentior *Μονοτρόπου* mentio, quae Chabria archonte una cum Aristophanis Avibus et Amipsiae Comastis acta est Olymp. XCI 2. Vide argum. Avium et Scholiastam ad vs. 997, ubi pro *χωρίου* Chabriae nomen iam supra p. 34 restitui. Nomen fabulae inditum ab homine tristi et moroso, qui Timonis instar solitariam vitam sequeretur et hominum lucem adspectumque fugeret. Ita Plutarchus Moral. p. 479 c coniunxit *μονότροπον ἄμικτον ἄφιλον*, et Pollux III 47 *μονότροπον καὶ μισογύνην*. Cfr. Casaub. ad Athen. VI p. 248 c et Toup. Emend. Suid. I p. 859. Sed quidni ipsum audiamus in loco apud Grammat. Seguer. p. 344 haecce dicentem:

*Ὄνομα δέ μοὔστι Μονότροπος * **
** * * * ζῶ δὲ Τίμωνος βιόν,*
ἀπρόσοδον, ὀξύθυμον, ἄγαμον, ἄζυγον,
ἀγέλαστον, ἀδιάλεκτον, ἰδιογνώμονα.

Ac fortasse ex eadem fabula petita sunt haec a Polluce III 48 servata: *Ἀριστοφάνης δὲ ἄγυνον τὸν ἀγύνην, Φρύνιχος δέ·*

Τηλικοῦτος ὢν
γέρων ἄπαις ἀγύναικος.

Falleretur tamen, me iudice, qui ideo moratam sive *ἠθικὴν* fuisse hanc fabulam putaret, qualis fuit fortasse Ophelionis comoedia eodem nomine insignita. Sed ab antiquae comoediae ratione tale argumentum fere alienum fuerit. Herculis in ea partes quasdam fuisse coniicias e loco apud Athen. VI p. 248 c. Acerrime in eadem perstringuntur Syracosius, Execestides, Pisander, Teleas similisque generis homines. V. Schol. Aristophanis Av. 11 1297. Obiter commemorantur Nicias et Meton Leuconoensis locis ab eodem Scholiasta Av. 362. 998 servatis. Cfr. Suidas III p. 538, ubi pro *σύμμαχος* restitue Symmachi grammatici nomen. Praeterea laudatur Athen,

III p. 74 a, Grammat. Bekkeri p. 87. 99. 447, Polluci VII 22 et Photio s. v. *Παρθένοι*.

Μοῦσαι una cum Aristophanis Ranis et Platonis Cleophonte Olymp. XCIII 3 in certamen commissa et secundo praemio ornata (argum. Ran. et Sophocl. Oedip. Col. p. 6 Herm.) in quo argumento versata fuerit, tum ex titulo fabulae tum e fragmentis quodammodo divinare licet. Videntur enim nescio qui (Sophocles fortasse et Euripides) de poesios principatu inter se concertasse, Musis litem dirimentibus. Quo spectant fortasse versus apud Harpocr. p. 203 et Suid. s. v. *καδίσκος*:

ἰδού, δέχου τὴν ψῆφον. ὁ καδίσκος δέ σοι
ὁ μὲν ἀπολύων οὗτος, ὁ δ' ἀπολλὺς ὅδε.

Praeclarum Sophoclis encomium ex hac fabula servavit argum. Sophocl. Oed. Col. l. l. Hinc suspiceris ex eadem fabula desumptum esse locum apud Athenaeum II p. 44 d, in quo Lamprus Sophoclis in musica arte magister ridetur, et versum a Diogene Laert. IV 20 servatum, ubi refert Polemonem iis maxime locis Sophocleorum carminum delectatum esse, *ἔνθα ἦν κατὰ τὸν Φρύνιχον*

οὐ γλύξις, οὐχ ὑπόχυτος, ἀλλὰ πράμνιος.

Nec male, opinor, coniicias quod Scholiasta ad Sophoclis Oed. Col. 17 dicit: *ἐκράτησε δὲ (Σοφοκλῆς) μεγάλως τῇ φράσει, ὥστε μέλισσαν αὐτὸν ἐκάλεσαν οἱ κωμικοί*, [89]) ad

---

[89]) Vita Sophoclis p. III *μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου (ποιητοῦ) τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει, καθὸ καὶ μέλιττα ἐλέγετο.* Scholiasta Aristophanis Vesp. 460 *ὁ Σοφοκλῆς γὰρ ἡδύς, διὸ καὶ μέλιττα ἐκαλεῖτο.* Suidas III p. 349 *προσηγορεύθη δὲ μέλιττα διὰ τὸ γλυκύ.* Denique *Σοφοκλέους τοῦ μέλιτι κεχρισμένου στόμα* habemus apud Aristophanem fragm. 231. Etiam Phrynicho tragico apis cognomen fuisse constat ex Aristophanis Av. 750.

eandem hanc Phrynichi fabulam referendum esse. Sed haec omnia etiam in **Tragoedis** fabula locum habere potuisse fateor.

Μύσται laudantur a Photio et Suida s. v. *τευτάζειν*. Sed idem s. *Φρύνιχος* singulari numero *Μύστης* vocat, cui concinit Eustathius ad Iliad. *ρ'* 415. *Ποαστρίας*, quo titulo etiam Magnetis fabula ferebatur, laudant Athenaeus III p. 110 e. X p. 424 c, Pollux VII 23. X 159, Harpocratio s. v. *ἐξούλης*, Priscianus XVIII p. 71 et Schol. Aristoph. Av. 1297, cll. Schol. Luciani vol. II p. 696. *Σάτυροι*, quam satyricam fabulam fuisse statuebat Eichstaedt de Dram. Comico-satyr. p. 36, tum aliis locis (Athen. III p. 87 b, Phrynich. Ecl. p. 266, Schol. Aristoph. Av. 1463, Vesp. 82, Nub. 1157) laudatur, tum fortasse etiam ab Antiattic. p. 102 *κυρίαν οὔ φασι δεῖν λέγειν, ἀλλὰ κεκτημένην. τὸν δὲ κεκτημένον μὴ λέγεσθαι ἀντὶ τοῦ δεσπότου. Σατυρικοῖς κεκτημένον λέγει, Φιλήμων κυρίαν.* Corrigendum videtur: *ἀντὶ τοῦ δεσπότου. Φρύνιχος δὲ Σατύροις κεκτημένον λέγει, Φιλήμων κυρίαν.* Cuius coniecturae fideiussorem habeo Polluc. III 73. *Φρύνιχος γὰρ ἐν Σατύροις τὸν δεσπότην κεκτημένον ὠνόμασεν.*

Denique *Τραγῳδοὶ ἢ Ἀπελεύθεροι*. Is enim plenus est fabulae titulus ab uno Suida servatus, quem exscripsit Eudocia. Ad alterum titulum, qui fortasse ad iteratam fabulae recensionem spectat, respiciunt Athenaeus III p. 115 b *εἰπόντος τινὸς καὶ δρᾶμα ἐπιγράφεσθαι Φρυνίχου Ἀπελευθέρους*, et Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 421 3 *Ἀπελεύθερος: Ἑλληνικὸν τὸ ὄνομα, καὶ δράματα ἄττα οὕτως ἐπιγέγραπται.* Argumentum dramatis ad tragicam artem spectasse vix est quod moneam. Ac nescio an hinc locus a Prisciano servatus intelligendus sit lib. XVIII p. 246 *Φρύνιχος Τραγῳδοῖς*

[illegible] *Αἰτίαν ἔχει*
πονηρὸς εἶναι τὴν τέχνην.

Ita enim emendandam esse editam lectionem *Φρύνιχος γράσω ἴδοις αἰτίαν* etc. docui Comment. Miscell. I p. 18. Neque alio spectant verba apud Harpocrationem p. 57 16 *Φρύνιχος Τραγῳδοῖς. τῇ διαθέσει τῶν ἐπῶν.* Reliqua fabulae fragmenta fere ad convivii apparatum pertinent. Vid. Athenaeus VI p. 229 2. VII p. 287 b. XIV p. 654 b, Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 464 7, Pollux VII 195. Apud Athenaeum IX p. 389 a. ridetur Cleombrotus quidam propter impudicitiam.

Incertarum fabularum fragmenta satis multa servata sunt, quorum quae uno duobusve vocabulis comprehenduntur non certo semper definias utrumne ad comicum an ad tragicum an denique ad grammaticum spectent. Ex hoc genere est quod apud Antiatticistam legitur p. 116 26 *Ψέλια: τὰ τοῖς πήχεσιν, οὐ μόνον στρεπτά. Φρύνιχος*, quod ad tragicum rettulit Blomfieldius Praef. ad Aeschyli Persas p. IV. Eundem intelligo apud Scholiastam ad Iliad. γ′ 219 *ὁ Σοφοκλῆς ἴδριδα ἔφη τὴν αἰτιατικὴν ὅ τε Φρύνιχος τὴν εὐθεῖαν ἴδριδες*, ac fortasse etiam apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 406 9. *Ἄνοις: ἀντὶ τοῦ ἀνόοις. Φρύνιχος.* At quae Photius habet Lex. p. 599 12 *Τριάκοντα: πρῶτοι μὲν οἱ κατὰ πόλεις δικασταί, δεύτεροι οἱ κατὰ δήμους τριάκοντα τῆς ἐκκλησίας ἐπιμελούμενοι μετὰ τῶν ληξιάρχων. οὕτως Φρύνιχος*, porro p. 639 2 *Φανόν: λευκόν, λαμπρόν· οὕτως Φρύνιχος*, denique p. 655 16 *Ψόθος: ἀκαθαρσία. οὕτως Φρύνιχος*, plane incertum est utrum ad grammaticum an comicum referri debeant. Idem dicendum de loco Grammat. Bekker. Anecd. p. 371 22 *Ἀκίβδηλος ἀνήρ: ὁ μὴ κίβδηλος, ἀλλὰ δόκιμος καὶ πολλοῦ ἄξιος. οὕτω Φρύνιχος.* Sed quae idem habet p. 367 18 *Ἀκροσφαλές: ση-*

μαίνει τὸ ἄκρως σφαλερὸν καὶ μὴ δυνάμενον παγίως ἐν ἀσφαλεῖ εἶναι. οὕτω Φρύνιχος, ea totidem verbis leguntur in Phrynichi Praep. soph. p. 20 4. Neque alia ratio eorum quae idem habet p. 368 31. *Ἄκομψον καὶ φαῦλον: οἷον κομψείας καὶ πανουργιας ἀπηλλαγμένον: οὕτω Φρύνιχος*, et p. 369 22 *Ἀκρατὴς γάμων: σεμνὸς καὶ εὐπρεπὴς ὁ λόγος ἐπὶ γυναικὸς τιθέμενος ἀκολάστου καὶ μοιχικῆς. οὕτω Φρύνιχος.* Ad quae compara Phrynichi Praep. p. 6 19 et 28 24, ubi pro *γάμος* legendum *γάμου* vel *γάμων*. Neque ex alio fonte fluxisse videntur haec apud eundem Grammaticum p. 369 31. *Ἀκροτελεύτιον ἔπος: τὸ ἔσχατον κεφαλαίον τινὸς ποιητικῶς* (leg. *ποιητικοῦ*). *κυρίως γὰρ ἀκροτελεύτια ἐπὶ ποιημάτων τιθέασιν Ἀττικοί. οὕτω Φρύνιχος.*

PLATO, Atheniensis, de quo Suidas et Eudoc. p. 358 ita scribunt: *Πλάτων Ἀθηναῖος, κωμικός, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ Ἀριστοφάνην, Φρύνιχον, Εὔπολιν καὶ Φερεκράτην.* Primam fabulam docuit Olymp. LXXXVIII teste Cyrillo adv. Iulian. I p. 13 B, cuius verba supra, ubi de Eupolide agebatur, adscripsimus. Non recte igitur Eusebius Chron. Olymp. LXXX 3 adscripsit: Cratinus et Plato comici hac aetate occurrebant, sive ut est apud Syncell. p. 247 d *Κρατῖνος καὶ Πλάτων οἱ κωμικοὶ ἤκμαζον.* Aetatis ultra Olymp. XCVI productae haud ambiguum testimonium praebet Schol. Aristoph. Plut. 179 *ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ* (Hemst. *Παιδαρίῳ*) *ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθέντι ἐπὶ Φιλοκλέους* (h. e. Olymp. XCVII 1) *ὡς μηκέτι οὔσης αὐτῆς.* Ita enim recte Hemsterhusius hunc locum emendavit. Hinc verissime Thucydidis aequalem dicit Marcellinus Vit. Thucyd. p. XI Bekk. quem mortuum esse constat Olymp. XCVII 2. Sed Platoni etiam longiorem quam Thucydidi vitam obtigisse, docet insignis eius locus apud Plutarchum Praec. reipublic. ger.

p. 801 B, ubi *Δῆμον* Aristophanis exemplo ita loquentem inducit:

λαβοῦ λαβοῦ τῆς χειρὸς ὡς τάχιστά μου·
μέλλω στρατηγὸν χειροτονεῖν Ἀγύρριον. [90])

Nam quum Agyrrhium populus Olymp. XCVII 3, Thrasybulo ab Aspendiis interfecto, Lesbiaci exercitus praetorem creaverit (Xenoph. Hellen. IV 8 31, Diod. Sic. XIV 99 cll. Schol. Eccles. 102, ubi recte Meursius Lectt. Att. VI 4 *Λέσβῳ* pro *Λήμνῳ* restituit), satis apparet, fabulam, in qua istos de Agyrrhio versus poneret Plato, ante Olymp. XCVII 3 doceri non potuisse. Atque hinc factum esse videtur ut Plato a nonnullis mediae comoediae poeta diceretur. Vide Anonymum de Com. p. XXI, Schol. Dionysii Thracis apud Bekk. Anecd. II p. 749 et Andron. ib. III p. 1461. Quae res movit Fabricium Bibl. Gr. II p. 485 ad Sext. Empir. adv. Rhet. II p. 296, Ionsium de Script. histor. Philos. I 7 5, Eichstaedt de Dramate Com. satyr. p. 76 et Creuzerum ad Olympiod. in Platon. Alcib. I p. 157 ut duos Platones poetas comicos comminiscerentur. Recte unum tantum commemorat Diogenes Laert. III 109. De domesticis Platonis rebus nihil compertum habemus, nisi quod Suidas vol. I

---

[90]) Agyrrhium, turpissimum demagogum, fortasse etiam aliis locis vexaverat Plato. Ac nescio an apud Aristot. Rhet. 1 16 *οἷον Εὔβουλος ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐχρήσατο κατὰ Χάρητος, ᾧ Πλάτων εἶπε πρὸς Ἀρχίβιον, ὅτι ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηροὺς εἶναι*, in hoc igitur loco, quem recte Ruhnk. Hist. crit. Orat. p. LXVII de Platone comico intellexit, nescio an pro Archibio Agyrrhii nomen reponendum sit. Similiter Agyrrhius in Archini nomen abiit apud Schol. Arist. Ran. 367. Optime autem conveniunt in Agyrrhium ista: *ἐπιδέδωκεν ἐν τῇ πόλει τὸ ὁμολογεῖν πονηροὺς εἶναι*, ad quae etiam Proculum in Hesiod. Opp. et Dies vs. 198 respexisse pulchre vidit Gaisfordius.

p. 330 eum penuria adductum aliis comoedias scripsisse tradit: *'Αρκάδας μιμούμενοι: παροιμία ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων — ταύτῃ τῇ παροιμίᾳ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ, διὰ γὰρ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν 'Αρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.* Haec Platonem de semet ipso dixisse quum olim recte indicassem, nescio quo mentis errore ablatus fortasse tamen de alio poeta e. c. de Aristophane Platonem loquutum esse adieceram. Qui profecto mirus error erat et eandem ob causam explodendus, ob quam Rankii nostri rationem improbo, qui in Comment. de Vita Aristoph. p. 211 apud Suidam *ἐπὶ Πεισάνδρῳ* unice veram lectionem esse statuit et Platonis verba in hanc sententiam interpretatur, ut is Pisandrum sui commodi causa in usum aliorum comoedias condidisse dixerit.[91]) Is si verborum sensus esset, necessario *αὐτὸν ποιοῦντα* scribendum fuisset. Itaque de semet ipso loquitur Plato, qui ut Aristophanes Philonidi et Callistrato, Amipsias Phrynicho, alii itidem aliis, ita ipse quoque fabulas quasdam suas aliis docendas tradiderat: quae quum egregie placuissent et primum, si forte, praemium meruissent, postea in parabasi Pisandri verum causae statum exposuerat. Sic vos non vo-

---

[91]) De Pisandro poeta comico mira item narrari video a Valesio ad Hesychii glossam: *Νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροισιν. παροιμιῶδες. ἔστι δὲ Πεισάνδρου κομμάτιον ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων ταττόμενον*, quae ex Heraclea Pisandri Camirensis derivata existimo. Mirus item error Eustathii ad Odyss. p. 1630 3: *ἐν γοῦν τοῖς ὕστερον κατ' ἄνδρα τοιοῦτοι (γαστρίμαργοι) διαβέβληνται καί τις Χαρίλας κατὰ 'Αρχίλοχον καὶ κωμῳδοὶ Κλεώνυμος καὶ Πείσανδρος.* Nimirum legerat haec Athenaei XIV p. 415 *'Αρχίλοχος — Χαρίλαν εἰς τὰ ὅμοια διαβέβληκεν ὡς οἱ κωμῳδιοποιοὶ Κλεώνυμον καὶ Πείσανδρον.* Qui lapsus tam immanis est, ut Epitomes auctori potius quam Eustathio imputandus sit.

bis, inquit, vellera fertis oves! Ac ne quid dubitationis resideat, adscribam Arsenii locum ex pleniore, ut videtur, Suidae exemplari derivatum in Violeto nuper ab Walzio edito p. 76. *Ἀρκάδας μιμούμενος: ταύτῃ κέχρηται Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ ἐπὶ τῶν ἄλλοις ταλαιπωρούντων· μαχιμώτατοι γὰρ ὄντες αὐτοὶ μὲν οὐδέποτε ἰδίαν νίκην ἐνίκησαν, ἄλλοις δὲ αἴτιοι νίκης πολλοῖς ἐγένοντο. καὶ ὁ Πλάτων οὖν διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις παρέχειν διὰ πενίαν, Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.* [92]) Ceterum in poetis illis, quibus de suis opibus impertivit Plato, fuisse suspicor Cantharum, cuius quae ferebatur fabula *Συμμαχία* ab aliis ad Platonem auctorem referebatur; eadem *Μυρμήκων* fuisse videtur ratio, quae a Suida in utriusque poetae fabularum recensu exhibetur, fortasse etiam Mammacythi et Laconum.

De indole poesios Platonicae ita iudicarunt veteres, ut *λαμπρὸν χαρακτῆρα* ei tribuerent. Vide Andronicum in Bekk. Anecd. III p. 1461 et Suidam s. v. *Πλάτων*. Ean-

---

[92]) His scriptis Naekium video in Prooemio Lect. Acad. Bonn. a. 1833 p. III eandem sequutum esse interpretationem, cui firmandae attulit inter alia Eustathium ad Iliad. p. 302 30 *ὅθεν καὶ Πλάτων ὁ κωμικὸς διὰ τὸ τὰς κωμῳδίας φησὶν αὐτὸς ποιῶν ἄλλοις ἐκδιδόναι διὰ πενίαν Ἀρκάδας μιμεῖσθαι ἔφη.* «Illud non facile «credam (inquit vir egregius) *διὰ πενίαν* Platonem «aliis scripsisse fabulas. Ac fortasse ex ipsa Arcadum «comparatione, quos grammatici pro mercede saepe «militasse nossent, infelix nata coniectura est, Platonem «quoque mercedis caussa fabulas scripsisse aliis.» Quod idem non satis se intelligere dicit, unde Pantinus ad Mich. Apostolium p. 297 proverbium illud hac conformatione, *Ἀρκάδας μιμήσομαι*, protulisse, derivavit illud Pantinus haud dubie ex Arsenio, apud quem l. l. haec verba leguntur, *Ἀρκάδας μιμήσομαι: ἐπὶ τῶν ἑτέροις πονούντων.*

dem igitur illi, quam Cratino, laudem tribuerunt veteres critici; quamquam horum iudicium magis ad dicendi virtutes quam ad poesios praestantiam, quae prorsus divina in Cratino eluxit, spectare crediderim. Quo sensu nostrum poetam *κεραμικώτατον* dicat Anonymus apud Cramerum Anecd. III p. 195 non apparet. Verba grammatici haec sunt: *Πλάτων, οὐχ ὁ φιλόσοφος, ἀλλ' ὁ κεραμικώτατος, ᾧ καὶ Κρατῖνον οἶδα συνᾴδοντα, ἀορίστως.* Non puto tamen singularem quandam laudem in corrupta voce delitescere; scribendum enim videtur *ὁ κωμικώτατος.* Ita idem p. 194 *Ἀριστοφάνης οὐχ ὁ τὰς κωμῳδίας συγγράψας, ἀλλ' ὁ γραμματικώτατος.* Orationis ea est indoles ut in universum atticae dictionis elegantiam et nitorem diligenter servet; non desunt tamen quae a communi usu paullo longius recedere videntur. Ex eo genere est adverbium *μανάκις* pro *παυράκις* apud Zonaram Lex. p. 1334, *ἑψανός* i. e. *μαλακός* apud Suidam vol. I p. 931, *ἔξπους* apud Etymol. M. p. 346 16, *κολλοπεύω* apud Stobaeum Ecl. phys. II p. 26, *ἀργύριον* numero singulari apud Antiattic. p. 79 20, *αὐτοσχεδίασμα* damnatum a Polluce VI 142, *ἐλεῖτον* futurum apud Athenaeum X p. 456 a, *ὄμφαξ* et *φάλαγξ* (de araneae tela) genere feminino apud Schol. Aristoph. Acharn. 351 Etymol. M. p. 786 50 aliosque, *πρὸ χειρὸς ἔχειν* apud Athen. XV p. 665 b, *αἰκῶς* (quo Sophocles usus est) apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 360 et alia id genus plurima, quae sciens praetereo. Nec tamen eo referendus est nominativus *ἐμαυτός,* quem comice finxit teste Apollonio de Pron. p. 348 c. Idem dicendum est de barbaris formis *ᾆσμός* pro *ᾆσμα, πρόσωπος* pro *πρόσωπον, γάλα* genit. pro *γάλακτος,* quibus de industria usum esse Platonem infra ostendam. Non minus in verborum quantitate passim a reliquorum comicorum usu eum descivisse reperias. Ita *ἀράχνιον* dixit

secunda longa apud Suidam vol. III p. 575, *πίεται* prima brevi apud Athen. X p. 456 a, *ὠρύομαι* secunda brevi ibid. XIV p. 628 d.

Maledicentiae crimen quo notatur Plato comicus a Dione Chrysost. Orat. XXXIII p. 4 Rsk. non nisi ad corruptos saeculi sui mores et improbos qui rempublicam illis temporibus gravissime affligebant cives pertinuisse videtur. Hinc Cleonem, cui se bellum intulisse ipse gloriatur apud Priscian. IV 211, Hyperbolum et Cleophontem in cognominibus fabulis, Cinesiam dithyrambicum poetam, pessimum nebulonem, apud Galenum Hypomn. in Hippocr. Aphor. VII cll. Plutarch. Symp. VII 8, aliosque id genus homines internecino exagitavit odio. Cumque omnium malorum quibus civitas pessumdaretur causam a pravis publicorum oratorum artibus repeteret, tum rhetoricam artem utpote reipublicae perniciosam devovet et condemnat, Sext. Empir. adv. Rhet. II p. 296, tum oratores ipsos omni contumeliae genere adspergit, doletque nullum in civitate reperiri Iolaum qui *ῥήτορας* velut Hydrae capita succrescentes igni ferroque deleat. V. Stobaei Ecl. Phys. II p. 26 cll. Porson. ad Eurip. Med. p. 410. Contra excellentium civium velut Themistoclis memoriam non sine magno quodam animi motu et desiderio recolit, Plutarch. Them. p. 235 Cor. Cum Aristophane quae Platoni ratio intercesserit divinare licet ex Schol. Platonis Bekk. p. 331 *κωμῳδεῖται* (Aristophanes) *ὅτι καὶ τὸ τῆς Εἰρήνης κολοσσικὸν ἐξῆρεν ἄγαλμα. Εὔπολις Αὐτολύκῳ, Πλάτων Νίκαις.* Scilicet riserat Plato eam Aristophaneae fabulae partem in qua ingentem Pacis imaginem exhibuit. Cfr. p. 111.

Fabulas Platonem docuisse octo et viginti auctor est Anonymus de Com. p. XXXIV, eundemque plane numerum ponit Suidas, quamquam deinceps triginta fabularum titulos

enumerat. Sunt autem hi: *Ἄδωνις, Ἀφιέρων, Γρῦπες, Δαίδαλος, Ἑορταί, Ἑλλὰς ἢ Νῆσοι, Εὐρώπη, Ζεὺς κακούμενος, Ἰώ, Κλεοφῶν, Λάϊος, Λάκωνες ἢ ποιηταί, Μέτοικοι, Μύρμηκες, Μαμμάκυθος* (Eudoc. *Μαμάκυθος*), *Μενέλαος, Νῖκαι, Νὺξ μακρά, Ξάνται ἢ Κέρκωπες, Περιαλγής, Ποιητής, Πείσανδρος, Πρέσβεις, Παιδίον, Σοφισταί, Συμμαχία, Σκευαί, Σύρφαξ, Ὑπέρβολος, Φάων.* Qui praeterea laudantur fabularum tituli, *Εὐμενίδες, Ἀμφιάραος, Κρύφιοι, Φαῖδρος, Ἀφιερῶν, Πεδῆται, Σκύθαι, Ἀνδροφόνος, Συνεξαπατῶν* et *Πανηγυρισταί*, aut aperto falsi sunt, aut magnae dubitationi obnoxii. Nam Eumenides ridiculo fere errore recepta est ex Etymol. M. p. 97 4 *Πλάτων Εὐμενίσιν, εὐθὺς ἀναζυγῆς γενομένης*, quae ex Plutarchi Eumene desumpta sunt, docente Valckenario ad Theocriti Adoniaz. p. 335. *Ἀνδροφόνον Συνεξαπατῶντα* et *Πανηγυριστάς* Suidas commemorat, qui postquam ea quae apposui fabularum nomina rettulit, hunc in modum pergit: *ἔστι δὲ λαμπρὸς τὸν χαρακτῆρα, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς.* [93]) *ὅτι καὶ Ἀνδροφόνος ἐστὶ δρᾶμα Πλάτωνος καὶ Συνεξαπατῶν καὶ Πανηγυρισταὶ καὶ ἄλλα πλεῖστα.* Sed *Ἀνδροφόνον* et *Συνεξαπατῶντα*, quas ex corruptis Athenaei exemplaribus recepit, non Platoni sed Batoni assignandas esse dudum docui ad Menandrum p. 150. Neque alii auctori *Πανηγυρισταὶ* tribuenda videtur, quamvis nulla eius apud Athenaeum mentio iniicitur. De reliquis quos commemoravi titulis suo loco dicetur. Ceterum similem Platonica-

---

[93]) Nihil eiusmodi in nostris Athenaei exemplaribus legitur. Quod deinceps addit Suidas *καὶ ἄλλα πλεῖστα* scripsisse Platonem, non nimis urgendum videtur. Posidippi epigramma in Anthol. Palat. II p. 122 ab aliis Platoni comico tributum esse, docet inscriptio codicis Palatini.

rum fabularum recensum exhibet Andronicus apud Bekkerum Anecd. Gr. p. 1461, ubi easdem quas Suidas fabulas enumerat, sed omisso Phaone.

Ad singulas fabulas ut veniamus, *Ἄδωνιν* Veneris et Dionysi de Adonidis amore concertationem complexam esse colligas ex Athenaeo X p. 456 b. Plurali numero *Ἀδώνιδες* vocatur Suidae s. v. *ἀφοδεῦσαι, Πλάτων Ἀδώνισι.* At recte Grammaticus Bekkeri Anecd. p. 472 *Ἀφοδεῦσαι, Πλάτων Ἀδώνιδι. σημαίνει δὲ* [*τὸ ἀποπατῆσαι*]. Atque ita etiam Photius Pollux et Andronicus Bekkeri.

Proximo loco apud Suidam commemoratur *Ἀφιέρων.* Neque aliter Eudocia et Andronicus, unde facile *Ἀφιερῶν* scribendum coniicias. Antiatticista p. 106 *λέπε* (leg. *λέπει*) *ἀντὶ τοῦ τύπτε* (leg. *τύπτει*). *Πλάτων Ἀφιεροῦντι, λέπει τραχεῖαν ἔχων.* Sed scribendum potius *Ἀφ' ἱερῶν*, sive quod Kusterus et Reinesius Var. Lect. III 7 voluerunt, *Αἱ ἀφ' ἱερῶν*, ut vocatur haec fabula apud Athenaeum X p. 446 c, Pollucem VII 57. X 190, Hesychium s. v. *ἀσπαλιεύς*. Apud Antiatticistam unde natus sit error facile intelligitur. Nam quum auctor brevitatis causa, plane ut Suidas et Andronicus, scripsisset *ἀφ' ἱερῶν* pro pleniore *ἐν ταῖς ἀφ' ἱερῶν*, librarius, qui genuinus fabulae titulus esset ignarus, scripsit *Πλάτων Ἀφιεροῦντι.* Simili errori Amphiaraum fabulam apud Schol. Aristoph. Plut. 174 deberi suspicor, quae quum neque a Suida neque ab Andronico commemoretur, vix dubitari potest quin ex alius fabulae titulo nata sit. Scholiastae verba haec sunt: *ὁ Πάμφιλος δημαγωγὸς ἦν — καὶ ἔκλεπτε τὰ τοῦ δήμου, ὡς καὶ Πλάτων φησὶν Ἀμφιαράῳ· καὶ νὴ Δί' εἰ Πάμφιλόν γε φαίης | κλέπτειν τὰ κοίν' ἅμα τε συκοφαντεῖν.* Quo loco si primitus *Πλάτων Ἀφ' ἱερῶν* scriptum fuisse ponas, quam facile in huius fabulae locum Amphiaraus succedere potuerit

sponte intelligitur. Quod si cui audacius coniectum videatur, non impedio quo minus truncatus Scholiastae locus habeatur, ita forsitan supplendus: *ὡς καὶ Πλάτων φησὶν* — — *καὶ πάλιν Ἀριστοφάνης Ἀμφιαράῳ.* [94]) Huius enim Amphiaraus saepissime laudatur ab antiquis grammaticis. Ac tetigisse Aristophanem etiam in alia fabula Pamphili rapacitatem, ex Suidae loco ab Hemsterhusio allato intelligitur: *Πάμφιλος, δημαγωγὸς Ἀθήνησι. καὶ ἔκλεπτε τὰ τοῦ δήμου, καὶ φωραθεὶς ἐπ' αὐτοφώρῳ κατελύθη, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης.* Quae ad Pluti locum referri non posse apertum est. Sed utcunque de hoc statuas, illud certe effecisse mihi videor, Platonis Amphiaraum dubitationem movere gravissimam, neque probari posse Hemsterhusii sententiam, qui eiusdem fabulae titulum apud eundem Pluti Scholiastam ad vs. 179 reponi voluit. Titulum fabulae, de qua diximus, recte Reinesius Var. Lect. III 7 de mulieribus a sacris redeuntibus interpretatus est. Idem placuit Alberto ad Hesychium vol. I p. 576 27 et Casaubono ad Athenaeum X p. 446 c, qui aliam praeterea rationem proponit hanc, ut intelligantur *ἱερόδουλοι* mulieres deo sacrae, quod minus probabile.

Sequuntur *Γρῦπες*, cuius fabulae ab Athenaeo X p. 368 e Harpocratione s. v. *πλειστηριάσαντες* et in Anecd. Bekk. p. 360 laudatae titulum restituendum puto Zenobio Prov. II 31 *τὰ δεῖπνα ἐπὶ κανῶν ἐκομίζετο, καθάπερ ἐν Κρυφίοις λέγεται Πλάτων Ἀνήρπακασ' ἀπαξάπαντ' αὐτῷ κανῷ.* Unde *Κρυφίους* tanquam fabulae elogium recepit Fabric. II p. 486. Sed legendum *ἐν Γρυψὶ λέγει καὶ Πλάτων.*

[94]) Easdem fere coniecturas postea protulit Dobraeus ad Aristoph. Nub. vol. IX 2 p. 206 Dind.

De *Δαιδάλῳ*, quo titulo etiam Aristophanes fabulam docuit, insignis est Clementis Alexandrini locus Strom. VI p. 752 *Πλάτων τε ὁ κωμικὸς καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Δαιδάλῳ τὰ ἀλλήλων ὑφαιροῦνται.* Quae paullo negligentius enuntiata sic haud dubie intelligenda sunt, Platonem ex Aristophanis Daedalo nonnulla in suam eiusdem tituli fabulam transtulisse, Aristophanem autem rursus ex aliis Platonis fabulis suam Daedalum ditasse. [95]) Exemplum rei praebet unicum [96]) quod superest fabulae fragmentum apud Schol. Nub. 659, ubi qui e Platonis Daedalo afferuntur versus ab aliis ex Aristophanea fabula laudantur.

Ἑλλὰς ἢ Νῆσοι. Ea plerumque simpliciter *Ἑλλὰς* vocatur. Plenum fabulae titulum servaverunt Suidas et Eudocia. Duobus locis *Νῆσοι* dicitur, apud Photium Lex. s. v. *τάξαι* et Etymol. M. p. 362 39, ubi vitiose legitur *Πλάτων Νόμοις* pro *Νήσοις*. Quod apud Antiatt. p. 114 legitur *Πλάτων Ἑλλαδίῳ*, me tacente intelligitur in *Ἑλλάδι* mutandum esse. Argumentum fabulae e titulo suspicari licet, si quidem de maritimo Atheniensium imperio actum videtur. Eo spectat locus apud Schol. MS ad Hom. II 1 135 [97]) ita fortasse corrigendus:

---

[95]) Dobraeus ad Aristophan. vol. IX 2 p. 206 Dind. in Clementis loco Platonicae fabulae nomen excidisse existimat.

[96]) Nam ne quis forte qui apud Tetzen Chiliad. I 517. e Platone afferuntur versus:

τὰ Δαιδάλεια πάντα κινεῖσθαι δοκεῖ
βλέπειν τ' ἀγάλμαθ', ὧδ' ἀνὴρ κεῖνος σοφός,

e Daedalo ducta esse putet, non inutile fuerit monere, ne esse quidem hos Platonis versus, sed Euripidis ex Eurystheo apud Schol. Eurip. Hec. 821. Tzetzae haud dubie alius Platonis locus obversabatur ab eodem Scholiasta servatus.

[97]) Vid. Koenius ad Gregor. Cor. I p. 48.

εἰ μὲν σὺ τὴν θάλασσαν ἀποδώσεις ἑκών,
εἰ δ' οὖν, ἅπαντα συντριαινῶν ἀπολέσω.

Quae fortasse Neptuni verba sunt de erepta Atheniensibus *θαλαττοκρατείᾳ* irati. Unde fabulam post Olymp. XCIII actam esse suspiceris. In eodem dramate Plato nobilissimam de atticis legibus sententiam posuerat,

Εἴξαξιν ἡμῶν οἱ νόμοι τούτοισι τοῖσι λεπτοῖς
ἀραχνίοις, ἃν τοῖσι τοίχοις ἡ φάλαγξ ὑφαίνει,

quam ut alios mittam servavit Philemo Gramm. p. 179. Cfr. Cur. crit. p. 39. Praeterea tribus locis laudatur a Polluce X 11. 142. 167.

Haud minorem celebritatem adepta est quam Ἑορτῶν nomine inscripsit fabula, cuius consilium hoc fuisse videtur, ut cives propter immensos quos sacrificiis festisque celebrandis impenderent sumptus taxaret. Suadet hoc titulus fabulae et locus a Clemente Alex. Strom. VII p. 304 Sylb. servatus:

Τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲ ἓν κτείνειν ἔδει
ἡμᾶς τὸ λοιπὸν πλὴν ὑῶν· τὰ γὰρ κρέα
ἥδιστ' ἔχουσι, κοὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίγνεται
πλὴν ὕστριχες ἡμῖν καὶ πέλεθός τε καὶ βοή.

Ita enim legendum videtur. In eadem fabula sigmatismum Euripidis luserat, de quo cfr. Porson. ad Med. 476 et Anecdota Bekkeri III p. 1169. Nec Diitrephem inornatum demisit teste Schol. Aristoph. Av. 799 *Διιτρεφὴς — πανταχοῦ ἅρπαξ καὶ πονηρός. Πλάτων δὲ ἐν Ἑορταῖς· καὶ ξένον, τὸν μαινόμενον, τὸν Κρῆτα, τὸν μόγις Ἀττικόν.* Corrige: *Πλάτων δὲ ἐν Ἑορταῖς καὶ ξένον· Τὸν μαινόμενον κτλ.* Cetera fragmenta vide apud Athenaeum VII p. 308 a. IX p. 367 b, Schol. Aristoph. Pac. 73, Acharn. 351, Polluc. VII 121. 186. X 34. 54. 135, Antiattic. p. 102 1, Eustath.

ad Odyss. α' 150. ε' 490. Eiusdem fabulae titulus latet apud Eustathium ad Odyss. p. 1403 32.

Εὐρώπης tria supersunt fragmenta apud Athenaeum VII p. 328 f. IX p. 367 c et Phrynichum Bekkeri p. 42 5. At frequenter laudatur *Ζεὺς κακούμενος*, ex qua quae afferuntur fragmenta fere ad cottabi ludum spectant, vide Athenaeum XV p. 666 d. 667 b, Polluc. VII 132. X 17, Schol. Aristoph. Pac. 1242. Herculis non nullas partes fuisse docet Athen. XV p. 667 b, ubi invictus heros iubetur *μὴ σκληρὰν ἔχειν τὴν χεῖρα μέλλων κοτταβίζειν.* Praeterea laudatur Athen. XV p. 677 a. III p. 119 b. XI p. 478 c. Titulum fabulae ad nescio quam Iovis contumeliam spectare quivis viderit. Male enim apud Eudociam et Andronicum *καλούμενος* legitur pro *κακούμενος*. Idem vitium olim Pollucem VII 132 obsidebat tollendumque est etiam ex Schol. Ven. Aristophanis Pac. 1242. *Ἰοῦς* fabulae unum superest fragmentum apud Athenaeum XIV p. 657 a.

Sequitur *Κλεοφῶν*, quae Olymp. XCIII 3 una cum Ranis Aristophanis et Phrynichi Musis in certamen commissa et tertio loco habita est. V. argum. Ranarum. Scripta autem haec fabula fuit in Cleophontem, turbulenti hominem ingenii popularemque auram turpissimis artibus captantem. Vid. Demetrius de Eloc. §. 294 et Schol. Arist. Ran. 690 *καὶ εἰς τοῦτον τὸν δημαγωγὸν δρᾶμα φέρεται Πλάτωνος, καὶ ἐπιγράφεται ὁμωνύμως αὐτῷ Κλεοφῶν. τοῦτον κωμῳδεῖ ὡς ξένον καὶ φλύαρον καὶ δυσγενῆ.* Cfr. Suidas s. v. *φιλοτιμότερος*. Hinc Thraciam hirundinem in eius labris strepere dicit Aristophanes l. l. qui acerbissime eum iterum tangit Thesmoph. 805 Ran. 1504 et in fine fabulae 1532. Obscuritatem generis attigit etiam Aelianus V. H. XII 43. *Ὑπερβόλου δὲ καὶ Κλεοφῶντος — οὐδεὶς ἂν εἴποι ῥᾳδίως*

τοὺς πατέρας. Graphicam hominis imaginem adumbravit Euripides Orest. 891, ubi quum alii contra temporum rationes Cleonem designari statuissent, Scholiastes Cleophontem significari monuit: *θέλει δὲ εἰπεῖν — Θρᾷξ ἦν ἐκ Δελφῶν ὁ Κλεοφῶν*, ubi Matthiaeum fugit Ruhnkenii Hist. crit. Orat. p. XLV observatio, verba *ἐκ Δελφῶν* litura sananda esse verissime monentis. Praetoris munere functum fuisse colligas e Scholiasta Aristophanis Ran. 690, nisi is Scholiastae error est. Hunc igitur hominem, de quo plura dicturus eram, cum pleraque omnia a Palmerio Exerc. p. 776 et Meiero Hist. iuris Att. p. 218 occupata vidi, Plato hac in fabula gravissime exagitavit, motus haud dubie importuna hominis arrogantia et insolentia, qua post proelium ad Arginusas commissum, cum Lacedaemonii aequissimas pacis condiciones tulissent, ebrius in concionem prodiit pacemque dissuasit. V. Aristoteles apud Scholiastam ad Aristophanis Ran. 1380. Irrisionis rationem ex paucis quae supersunt fragmentis haud facile perspicias, nisi quod rapacitatem hominis notavit in versu apud Eustathium ad Od. p. 1441 26 et alio apud Bekkerum Anecd. p. 418 15, matremque eius piscibus devorandam obiecit, Athen. VII p. 315 c. Eandem barbaro sermone loquentem induxit teste Scholiasta Aristophanis Ran. 690. *οὗτος δὲ ἦν ὁ καλούμενος Κλεοφῶν λυροποιός.* [98]) *καὶ Πλάτων ἐν Κλεοφῶντι δράματι βαρβαρίζουσαν πρὸς αὐτὸν πεποίηκε τὴν μητέρα, καὶ αὐτὴ δὲ Θρᾷσσα ἐλέγετο.* Qua in re Hermippi exemplum sequutus esse videtur qui Hyperboli matrem, ut barbaram mulieris originem irrideret, barbare loquentem induxerat. V. supra

---

[98]) Ita vulgatum *τυροποιός* correxit Dindorfius, quod fugit Th. Bergkium ad Anacr. p. 129. Fallitur Toupius Emend. III p. 95.

p. 94 Barbarismorum, quibus usa erat Cleophontis mater, exempla fortasse servavit Aristophanes Byzantius apud Eustathium ad Odyss. p. 1761 38. *καὶ Πλάτων δὲ ὁ κωμικὸς ὁ πρόσωπος εἴρηκε τὸ πρόσωπον καὶ ἀντὶ τοῦ γάλακτος τοῦ γάλα ἔκλινε δισυλλάβως*, quae formae ab attica elegantia adeo sunt alienae, ut nisi lusus iocique caussa iis usum esse Platonem plane incredibile sit. Eodem pertinere videtur *ᾳσμὸς* pro *ᾆσμα* a Polluce IV 64 servatum. Ad eandem fabulam, ad quam etiam Cicero de Republ. IV 10 respexit, non dubito quin spectent etiam haec apud Phrynichum Praepar. soph. p. 9 *καὶ Πλάτων ἐν Κλειτοφῶντι ἐψάθαλλε λεῖος ὤν*. Clitophon enim, obscurus homo, quem in transcursu perstringit Aristophanes Ran. 698, non ea valuit auctoritate, ut comoediae argumentum praebere potuerit. Itaque legendum *Κλεοφῶντι*. Cetera fragmenta habent Athenaeus III p. 76 f Antiatticista p. 79 20 et Pollux X 56.

In *Λαΐῳ* quod argumentum tractaverit Plato vide an colligi possit ex Athenaeo XIII p. 602 f *φασὶ τοιούτων (παιδικῶν) ἐρώτων κατάρξασθαι Λάϊον, ξενωθέντα παρὰ Πέλοπι καὶ ἐρασθέντα τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Χρυσίππου*. Quo respiciens, ut videtur, Aristophanes in Pelargis Meletum tragicum, qui Calliam paedicare ferebatur, probri caussa Laii filium appellavit, teste Scholiasta Platon. p. 330 Bekk. *Λαΐου υἱὸν αὐτὸν λέγων, ἐπεὶ ᾧ ἔτει οἱ Πελαργοὶ ἐδιδάσκοντο καὶ ὁ Μέλητος Οἰδιπόδειαν ἔθηκεν*. De Laio masculorum amorum auctore cfr. Clemens Alex. Protr. p. 9 Sylb. Libanius pro Saltat. 19 p. 500 D, Aelianus H. A. VI 15, Plutarchus Pelop. 18. Fragmenta fabulae vide apud Antiattic. p. 96 24. 100 26, Schol. Aristophanis Plut. 179, ubi ridetur Philonides Melitensis, et qui insignem ex ea locum servavit Athen. II p. 68 e.

οὐχ ὁρᾷς ὅτι
ὁ μὲν Λέαγρος Γλαύκωνος ὢν μεγάλου γένος
. . . . . . κόκκυξ ἠλίθιος περιέρχεται,
σικυοῦ πέπονος εὐνουχίου κνήμας ἔχων;

Sic enim corrigendum quod vulgo legitur *ὁ Μελέαγρος*. Duos autem novimus Leagros, quorum alter, Glauconis filius, Olymp. LXXIX 2 praetor Atheniensium ad Dabrescum in Thracia caesorum occubuit. V. Herod. IX 75 et qui eandem cladem, sed tacito ducis nomine, commemorat Thucyd. I 100 et IV 102. Cfr. Pausanias I 29. Alter Leagrus est is, ex cuius sorore Callias minor Hipponicum genuit. Vid. Andocides de Myster. 117 sqq. Neque ad alium Platonis verba spectare videntur, in quibus cum et ipse Glauconis filius fuisse dicatur, satis apparet, hunc Glauconem non diversum esse ab eo, quem Olymp. LXXXVI 4 Atheniensium classi Corcyraeis in subsidium missae praefectum fuisse tradit Thucyd. I 51. Idque etiam ob eam causam probabile est, quoniam Thucydides eum Leagri filium fuisse perhibet. Cfr. Sluiteri Lectt. Andoc. V p. 95. Itaque in Glauconis familia eadem, quae in Calliae aliorumque Atheniensium familiis, successionis ratio obtinuit, ut nepotibus eadem quae avis nomina imponerentur. Stemma igitur familiae ita contexendum est:

Glauco I
|
Leager I
|
Glauco II
|
Leager II — Filia — Callias
|
Hipponicus

Sequuntur *Λάκωνες ἢ Ποιηταί*, quem plenum fabulae titulum praeter Eudociam unus Suidas servavit, reliquis eam simpliciter *Λάκωνες* appellantibus. Vide Athenaeum IX p. 380 e. XV p. 695 b Photium Lex. in v. *μυλαβρίδες*, Scholiastam Aristophanis Av. 471, Suidam s. v. *Αἴσωπος* et *Ἀναβιῶναι*, Antiatticistam p. 105, Scholiastam Dioscoridis in Matthaei medicis graec. p. 361 et Harpocrationem s. v. *Σθένελος*, ex quo de Platone fabulae auctore dubitatum esse intelligimus: *ἐκωμῴδει δὲ αὐτὸν* (Sthenelum poetam tragicum) *ὁ τοὺς Πλάτωνος Λάκωνας γράψας*. Eadem *Μαμμακύθου* ratio, cuius quum alii alium auctorem perhiberent (v. infra in Metagene), fuerunt item qui eam in Platonis fabulis numerarent. Vid. praeter Suidam Eudociam et Andronicum l. l. Scholiasta Aristophanis Ran. 1021 et Hesychius s. v. *Μαμάκυθος: μωρός. ἔστι δὲ καὶ δρᾶμα πεποιημένον Πλάτωνι. Μενέλεως* laudatur ab Athenaeo IV p. 170 f. XIV p. 641 b, Zenobio VI 17 et Photio Lex. p. 510. *Μέτοικοι* a Polluce X 24 et Apollonio de pronom. p. 348 c, qui p. 404 b eandem fabulam memoriae errore Pherecrati tribuit. [99]) *Μυρμήκων* nullum fragmentum superest. *Νῖκαι* a Scholiasta Aristophanis Lys. 1297 (ex emendatione Elsmleii), Av. 1297, Polluce VII 40 et Scholiasta Platon. p. 331 laudatae, spectabant fortasse ad aureas illas victorias archonte Antigene Olymp. XCIII 2 e Victoriolis cusas, quas ob admixtam aeris partem ridet etiam Aristophanes. Vid. Valesius ad Harpocr. p. 74, Boeckhius Oecon. Att. I p. 24. II p. 136 et Schneiderus Addendis ad Xenoph. Hellen. I 3 8. Sed hoc incertum esse fateor. De tempore fabulae hoc unum afferre licet eam post Pacem Aristophanis esse com-

---

[99]) Contrario errore fortasse Platonem pro Pherecrate nominavit Phrynichus Praep. Soph. p. 63 26. Cfr. p. 76.

missam. Vid. Schol. Platonis Bekk. p. 331. *Νὺξ μακρά*, quinquies laudata, Casaubono ad Athen. III p. 110 d non dissimilis argumenti fuisse videtur Amphitruoni Plautinae. «Nox enim longa fuit illa, qua satus Hercules.» *Ἡρακλέα ἐκ νυκτὸς γεννώμενον μακρᾶς* habemus apud Clementem Alex. Protr. p. 9 Sylb. Eiusdem fabulae mentionem fecit fortasse Hesychius s. v. *νησίγδα*. *Ξάνται ἢ Κέρκωπες* hoc pleno titulo non nisi a Suida et Eudocia commemorantur. Photius s. v. *τεντάζειν* et Andronicus simpliciter *Ξάνται* vocant; unus Hephaestio *Ξάντριαι*. Et sic fortasse etiam Etymol. M. p. 595 40, si vera sunt quae monui Curis crit. p. 40, nunc etiam Gaisfordii ad Hephaest. p. 91 consensu comprobata. In hac fabula Herculem carminantem introductum fuisse ex titulo dramatis probabiliter coniecit Lobeckius Aglaoph. p. 1303. *Παιδάριον* commemorat Scholiasta Aristophanis Pac. 733. 948 et hinc Suidas s. v. *Παράβασις*, qui in recensu fabularum Platonicarum *Παιδίον* habet, ut Andronicus et Eudocia. Apud Athenaeum VII p. 316 c libri habent *Πλάτων Παιδί*, quod in *Παιδίῳ* mutatum. Eiusdem fabulae nomen minus recte Hemsterhusius latere putabat apud Schol. Plut. 179, ubi laudatur *Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ*, quam fabulam diserte Scholiastes archonte Philocle actam esse testatur, h. e. Olymp. XCVII 1. Atqui parabasin habuit *Παιδάριον*, ut constat e Scholiasta Aristophanis Pac. 733. Itaque archonte Philocle doceri non potuit. Cfr. Eichstaedt de Dramate Comico-satyr. p. 76.

Πείσανδρος. Duo Pisandri in illorum temporum historia commemorantur, quorum alter nullius homo dignitatis *στρεβλὸς* dicitur Eupolidi apud Scholiastam Aristoph. Av. 1555, alter, celeberrimi nominis demagogus, populare imperium everterat atque ut quadringenti viri rempublicam cum summa potestate administrarent effecerat. V. Thucyd. VIII

53. 65. 68, Aristot. Rhetor. III 18 p. 1419 et Plutarch. Alcib. c. 26. Quibus adde Scholiastam MS Bekkeri ad Aeschinem de Falsa leg. §. 51 *οἱ περὶ Πείσανδρον τὸν Ἀχαρνέα δημαγωγὸν ἔπεισαν τὸν δῆμον, ἐπεὶ δεῖται τὰ πράγματα σπουδῆς καὶ ἐπινοίας ταχείας, ποιήσασθαι κυρίους ἁπάντων τετρακοσίους.* Ex quo hoc certe discimus, Pisandrum hunc patria fuisse Acharnensem. Sed res ipsa ad seriora spectat tempora, h. e. ad Olymp. XCII 1. Antiquissimam hominis memoriam apud Aristophanem reperio in Babyloniis Olymp. LXXXVIII 2 actis. Scholiasta Arist. Av. 1555 *καὶ δωροδοκῆσαί φησιν Ἀριστοφάνης διὰ τούτων· ἢ δῶρ᾽ αἰτοῦντες ἀρχὴν πολέμου πορίσειεν μετὰ Πεισάνδρου.* Quae ita corrigenda videntur: *διὰ τουτωνί*

δῶρ᾽ αἰτοῦντες δ᾽ ἀρχὴν πολέμου μετὰ Πεισάνδρου πορίσειαν.

Fuit igitur eorum unus, quos pecunia corruptos belli causam extitisse criminabantur. Idem illi crimen obiicit in Lysistr. 491

ἵνα γὰρ Πείσανδρος ἔχοι κλέπτειν χοἱ ταῖς ἀρχαῖς ἐπέχοντες,
ἀεί τινα κορκορύγην ἐκύκων,

fortasse etiam Eupolis *Ἀστρατεύτοις*, quae fabula Olymp. LXXXVIII 4 acta est, apud Schol. Avium l. l.

Πείσανδρος εἰς Πακτωλὸν ἐστρατεύετο,
κἀνταῦθα τῆς στρατιᾶς κάκιστος ἦν ἀνήρ.

Postea Olymp. XCI 1 in causa Hermocopidarum *ζητητής*, Droysen de Avib. Aristoph. p. 27, et duobus annis interiectis archon eponymus creatus est. Abolito quadringentorum imperio Olymp. XCII 2, quum summum sibi periculum intendi videret, profugit Deceleam, Thucyd. VIII 98, bonaque eius publicata sunt, Lysias de sacra olea §. 4, nec postea unquam videtur Athenas revertisse. Vid. Hanovii Exercit. crit. I

p. 80. Timiditatis crimen quum aliis temporibus [100]) tum maxime Olymp. LXXXIX 3 subiisse videtur, quo tempore Athenienses, finitis induciis, novam expeditionem in Thracen parabant, Thucydid. V 2, Pisander autem militiam detrectabat. Docet hoc Xenophon Symp. II 14 *καὶ μὴν ἔγωγε ἡδέως ἂν θεῴμην Πείσανδρον τὸν δημηγόρον κυβιστᾶν εἰς τὰς μαχαίρας, ὃς νῦν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι λόγχαις ἀντιβλέπειν οὐδὲ συστρατεύεσθαι ἐθέλει*, quae dicta esse finguntur extremis diebus mensis Boedromionis Olymp. LXXXIX 3, eodem igitur tempore quo illa Atheniensium expeditio parari coepta est. Hinc apertum esse arbitror ad idem timiditatis documentum respici ab Aristophane Pac. 395, ubi chorus Mercurium precatur:

ἀλλὰ χάρισ', ὦ φιλανθρωπότατε καὶ μεγαλοδωρότατε δαιμόνων,
εἴ τι Πεισάνδρου βδελύττει τοὺς λόφους καὶ τὰς ὀφρῦς,

quae iisdem ferme temporibus scripta sunt, quibus militiam prae timore detrectabat. [1]) Si *ἀστρατείας* inertem hominem postulatum et causa cecidisse ponimus, non inepte uti licebit Eupolidis loco ex Marica, quam fabulam Ol. LXXXIX 4 actam esse constat, apud Scholiastam Aristoph. Av. 1555:

Ἄκουε νῦν Πείσανδρος ὡς ἀπόλλυται. [2])
B. ὁ στρεβλός; A. οὐκ ἀλλ' ὁ μέγας οὑνοκίνδιος.

---

[100]) Scholiasta Aristoph. l. l. *ἁπανταχοῦ δὲ ἦν δειλός.*

[1]) Praeterea semel Aristophanes Pisandri ignaviam ridet Ol. XCI 1 in Avibus 1555

ἔνθα καὶ Πείσανδρος ἦλθε
δεόμενος ψυχὴν ἰδεῖν, ἣ
ζῶντ' ἐκεῖνον προὔλιπεν.

Cfr. Aelianus H. A. IV 1 *Ἀριστόδημος ὁ τρέσας καὶ Κλεώνυμος ὁ ῥίψας τὴν ἀσπίδα καὶ ὁ δειλὸς Πείσανδρος οὔτε τὰς πατρίδας ἥδοῦντο οὔτε τὰς γαμετὰς οὔτε τὰ παιδία.*

[2]) Non recte olim *ἀπόλλυται* de morte Pisandri interpre-

Hoc enim convicium haesit homini a vasta et deformi corporis statura, quam ridet etiam Hermippus, qui eum *ὄνον κανθήλιον* vocat in Pistricibus apud Scholiastam Aristophanis l. l.

Ἐπίβαινε δή· Πείσανδρος ὁ μέγας οὑτοσί·
χὤσπερ Διονυσίοισιν οὑπὶ τῶν ξύλων
ἐλάσας ἔρεισον εἰς ὄνον κανθήλιον.

Corporis vastitati cognatum voracitatis opprobrium in eundem coniectum esse a poetis comicis, docet Athenaeus X p. 415 d polyphagorum hominum exempla apponens. *Ἀρχίλοχος*, inquit, *ἐν τετραμέτροις Χαρίλαν εἰς τὰ ὅμοια διαβέβληκεν, ὡς οἱ κωμῳδιοποιοὶ Κλεώνυμον καὶ Πείσανδρον.* Quibus verbis quin ad nostram Platonis fabulam respiciatur non dubitari potest, quamquam in ea utrumque Pisandrum male habitum esse haudquaquam ignoro. Scholiasta Aristoph. Av. 1555 *Πλάτων ἐν Πεισάνδρῳ περὶ ἀμφοτέρων λέγει.* Sed omnem dubitanti scrupulum eximit quod cum Cleonymo Pisandrum coniungit Athenaeus, h. e. cum homine Pisandri moribus simillimo ac potius gemello. Eadem utriusque timiditas, eadem ignavia, eadem denique corporis vastitas. Ubi de voracitate Pisandri agebat Plato, fortasse etiam hunc

---

tatus sum, ut vidit etiam Fritzschius Actis Societ. gr. I p. 137, *ἀπόλλυσθαι* saepe eos dici monens qui in iudicio causa ceciderint. Sed fortasse ne haec quidem vera est explicatio. Ceterum nec illud recte olim statui, *τὸν στρεβλὸν* in Eupolidis loco esse Pisandrum Acharnensem, *τοῦ μεγάλου* autem et *τοῦ ὀνοκινδίου* nomine designari alterum illum: qua in re nollem errantem ducem sequuti essent Fritzschius l. l. Hanovius Exerc. crit. I p. 82 et Droysen Comment. de Avibus Aristophanis p. 27. Recte illum, cuius ingentem et vastam corporis staturam riserunt Eupolis et Hermippus, de Acharnensi interpretantur Scholiasta Aristoph. Av. 1555 et Suidas vol. III p. 108.

versum a Polluce II 175 non addito fabulae indicio servatum posuerat,

῎Επειτα δ' οὐδείς ἐστ' ἀνὴρ γαστρίστερος.

Primarium igitur Platonicae fabulae argumentum ab Acharnensi Pisandro ductum fuit, videturque ille alterum illum non nisi praetereundo tetigisse. Sed Antiphontem quoque Rhamnusium a Platone sugillatum esse docet Plutarchus Antiph. p. 833 c κεκωμῴδηται δὲ (Antiphon) ἐς φιλαργυρίαν ὑπὸ Πλάτωνος ἐν Πεισάνδρῳ, ut pro σὺν Πεισάνδρῳ correxerunt Meursius Bibl. Att. p. 1599, Casaubonus ad Athen. p. 385 d et Ruhnkenius de Antiph. p. 231. Atque habet ita Photius Bibl. cod. 259. Neque alium comicum spectat Philostratus V. Soph. I p. 499, cuius verba adscripsit Ruhnkenius. E ceteris fragmentis, quae satis multa supersunt, nihil ad argumenti rationem accuratius perspiciendam efficitur. Temporis quo acta est fabula unum dumtaxat sed satis certum, ut mihi quidem videtur, indicium praebet Scholiasta Aristophanis Vesp. 590, ubi Euathlum, famosi nominis demagogum, in Pisandro commemoratum fuisse legimus. Iam quum idem ille Euathlus a Cratino in Thrattis et ab Aristophane in Vespis l. l. Holcadibus fragm. IX p. 161 et Acharnensibus 710 commemoratus sit, quarum fabularum recentissimam, Vespas dico, Olymp. LXXXIX 2 actam esse constat, haud inepte Pisandrum iisdem ferme temporibus, ac fortasse eiusdem Olympiadis anno tertio, quo novum extremae timiditatis exemplum praebuisse hominem supra demonstravimus, in scenam prodiisse coniicias. Quod enim olim opinatus sum, Pisandrum maxime post eversum statum popularem comicorum sales provocasse, cum ipse dudum repudiavi, tum refutavit Hanovius Exerc. crit. I p. 81. Denique verbo monere liceat, eodem fabulam titulo scriptam perhiberi ab Alexandride apud Suidam s. v. Ἀρεοπαγίτης

vol. I p. 315, ubi proverbio *Ἄρεος παιδίον* usus esse dicitur *Ἀλεξανδρίδης Πεισάνδρῳ*. Sed hic primum pro *Ἀλεξανδρίδης* corrigendum *Ἀναξανδρίδης*, qui fuit mediae comoediae poeta celeberrimus, cui quum Pisander comoediae argumentum praebere non potuerit, pro *Πεισάνδρῳ* certissima coniectura scribendum est *Πανδάρῳ*, quam fabulam laudat Athen. III p. 105 f.

Proximo loco apud Suidam commemoratur *Περιαλγής*. Ita enim Kusterus e codicibus scripsit pro *Περίαλγος*, quod tenent Eudocia et Andronicus. Photius Lex. s. v. *Περιαλγής: ὃς πενήρης τῷ γόνῳ. καὶ τοῦ δράματος τοῦ Πλατωνικοῦ.* Corruptis verbis alii fortasse medicinam afferent. [3]) Simile vitium ingeniose Toupius Emend. III p. 134 sustulit e Sueton. de Illustr. Gramm. cap. 9, ubi Orbilii liber Perialogos inscriptus commemoratur, qui contineret querelas de iniuriis quas professores negligentia et ambitione parentum acciperent. Orbilio, docto grammatico, fortasse Platonicae fabulae titulus obversabatur, unde suspiceris hanc fabulam continuisse querelas de iniuriis quas Athenienses negligentia et ambitione malorum civium acciperent. Eamque coniecturam fragmenta egregie confirmant, in quibus fere prodigi homines commemorantur, qui rempublicam luxurie malisque artibus gravissime affligerent, Morychus, Glaucetas, Leagoras, Sebinus, Midias. Vid. Scholiast. Aristoph. Nub. 110. Ran. 430. Versum ex parabasi fabulae petitum servavit Priscian. XVIII p. 211, cui eiusdem dramatis titulum p. 248 bene restituit Krehlius. Eiusdem fabulae

---

[3]) Dobraeus in Corrigendis p. 708 *Περιάλγης: ὡς πενήρης τῷ τόνῳ*, eodem accentu quo *πενήρης*. Pro *πενήρης* idem Advers. I p. 606 *πεντήρης*, ubi etiam hanc proposuit coniecturam *Περιαλγής: ὡς περιηγὴς τῷ τόνῳ.*

memoria obscurata est apud Scholiastam Aristoph. Av. 1297, ubi pro Aristophane Platonis nomen reponendum esse ex Scholio ad Lucianum vol. II p. 696 intelligitur. Sed de hoc iam alio loco admonui.

Ποιητής separatim ab Suida Eudocia et Andronico in fabulis Platonicis recensetur, quamquam ab iisdem paullo ante *Λάκωνες ἢ Ποιηταί* allata est. Videntur igitur diversae esse fabulae *Ποιητής* et *Λάκωνες ἢ Ποιηταί*. Apud Schol. Aristophanis Ran. 1190 *Πλάτων ποιητής, Ὁρᾶτε τὸ διῆρες ὑπερῷον*, corrigendum esse *Πλάτων Ποιητῇ*, monuit iam Valckenarius ad Adoniaz. p. 326. Laudatur ab eodem Scholiasta ad Ran. 410, Athenaeo et Antiatticista. Apud Schol. Platon. p. 391 *καὶ Περικλέα δημηγορεῖν παρεσκεύασεν, ὡς Αἰσχίνης ἐν διαλόγῳ Καλλίᾳ καὶ Πλάτων ὁμοίως Πεδηταῖς*, fortasse *Ποιηταῖς* sive *Ποιητῇ* scribendum est: certe *Πεδηταῖς* etiam accentus vitii suspectum reddit. [4])

In fabula quam *Πρέσβεις* inscripsit quod argumentum tractaverit, docet locus in primis memorabilis apud Athen. VI p. 229 f:

Κατέλαβον Ἐπικράτης τε καὶ Φορμίσιος
παρὰ τοῦ βασιλέως πλεῖστα δωροδοκήματα,
ὀξύβαφα χρυσᾶ καὶ πινακίσκους ἀργυροῦς.

Scilicet Epicrates, cuius haud exiguae partes in restituendo populari imperio fuerant, postea cum legatus in Persiam missus esset, propter accepta a rege munera *παραπρεσβείας* accusatus et patria pulsus est. V. Demosthenem de Falsa Legat. p. 430 Rsk. *τῶν πρέσβεων ἐκείνων ὑμεῖς θάνατον κατεγνώκατε, ὧν εἷς ἦν Ἐπικράτης, ἀνήρ, ὡς ἐγὼ τῶν πρε-*

---

[4]) Aliud nunc placuit Dindorfio, qui ad Aristophanis fragm. p. 21 corrigit *ἐν διαλόγῳ Ἀσπασίᾳ καὶ Καλλίας ὁμοίως Πεδήταις*, quod verum videtur.

σβυτέρων ἀκούω, σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει, καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον, καὶ ἄλλως δημοτικός· ἀλλ' ὅμως οὐδὲν αὐτὸν ὠφέλησε τούτων. Hegesander apud Athenaeum VI p. 251 a Ἐπικράτης δ' ὁ Ἀθηναῖος πρὸς βασιλέα πρεσβεύσας καὶ πολλὰ δῶρα παρ' αὐτοῦ λαβ ὼν οὐκ ᾐσχύνετο κολακεύων οὕτως φανερῶς καὶ τολμηρῶς τὸν βασιλέα, ὡς καὶ εἰπεῖν δεῖν κατ' ἐνιαυτὸν οὐκ ἐννέα ἄρχοντας, ἀλλ' ἐννέα πρέσβεις αἱρεῖσθαι πρὸς βασιλέα. θαυμάζω δὲ ἔγωγε τῶν Ἀθηναίων πῶς τοῦτον μὲν ἄκριτον εἴασαν. Plutarchus in Pelop. cap. 30 p. 193 Cor. Ἐπικράτους γοῦν ποτε τοῦ σακεσφόρου μήτ' ἀρνουμένου δῶρα δέξασθαι παρὰ βασιλέως ψήφισμά τι γράφειν φάσκοντος, ἀντὶ τῶν ἐννέα ἀρχόντων χειροτονεῖσθαι κατ' ἐνιαυτὸν ἐννέα πρέσβεις πρὸς βασιλέα τῶν δημοτικῶν καὶ πενήτων, ὅπως λαμβάνοντες εὐπορῶσιν, ἐγέλασεν ὁ δῆμος. Eundem Epicratem commemorare videtur Strattis apud Hesychium s. οὐ μάλα κικκάς. Participem criminis fuisse Phormisium praeter Platonem indicat etiam Scholiasta Aristophanis Ran. 996 κωμῳδεῖται δὲ εἰς δωροδοκίαν. Eodem spectant praeterea fabulae nostrae fragmenta apud Athen. X 414 a κυάθους ὅσους ἐκλεπτέτην ἑκάστοτε, et apud Harpocr. p. 53 σκευάρια δὴ κλέψας ἀπεκήρυξεν. Maxime tamen Epicratem vexasse videtur poeta, cuius qui ex incerta fabula apud Suidam aliosque laudatur versus:

Ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε,

vix dubitari potest quin et ipse ad Πρέσβεις referendus sit. Ridet autem hominem propter ingentem quam alebat barbam, quam lusit etiam Aristophanes Eccl. 71. Cfr. Maussacus ad Harpocr. p. 162 et Berglerus ad Aristoph. l. l. Hinc non dubito quin ad eundem Epicratem pertineat locus fabulae nostrae ab Aspasio ad Aristotelem Eth. Nicom. IV 7 servatus:

χαίρεις οἶμαι μεταπεττεύσας αὐτὸν διακλιμακίσας τε
τὸν ὑπηνόβιον, σπαρτιοχαίτην, ῥυποκόνδυλον, ἑλκετρίβωνα.

Sic enim pro διακλιματίζεσθαι correxit Porsonus Miscell. p. 232. Quamquam etiam Phormisium prolixa barba superbiisse intelligitur ex Aristoph. Ran. 996. Libidinem hominis indicat Philetaerus Athenaei XIII p. 570 f.

οὐκ οἶσθ' ὅτι
ἥδιστόν ἐστιν ἀποθανεῖν βινοῦνθ' ἅμα;
ὥσπερ λέγουσιν ἀποθανεῖν Φορμίσιον.

Σκευαὶ fabulam ab aliis Aristophani tributam esse docent quae ex Chamaeleontis libro περὶ κωμῳδίας attulit Athen. XIV p. 628 d, ubi Schweighaeuserus demum e cod. Ven. Σκευαῖς pro Σκηναῖς reposuit. Laudatur etiam a Moeride Attic. p. 20. Πλάτων Σκευαῖς· ἀναβιῶν' ἐκ τῆς νόσου, et monente Piersono a Suida s. v. περὶ πόδα. Neque Schol. Aristoph. Av. 151 scripsit Πλάτων δὲ αὐτὸν (Melanthium) ἐν Σκύθαις ὡς λάλον σκώπτει, sed ἐν Σκευαῖς, de quo nollem dubitasset Piersonus. Fabulae argumentum ad scenicam artem spectasse tum titulus docet, tum vero ex loco apud Athenaeum XIV p. 628 d perspicitur, ubi de chori saltatione in peius ruente poeta conqueritur:

ὥστ' εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ θέαμ' ἦν, νῦν δὲ δρῶσιν οὐδέν,
ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται.

Eodem spectat etiam Stheneli et Morsimi, tragicorum poetarum, commemoratio apud Scholiastam Venetum ad Aristophanis Vesp. 1312.

In *Sophistis* quid consilii sequutus sit poeta, satis docet fabulae elogium, quamquam eum Sophistarum nomine latiore sensu usum esse intelligitur e Schol. Aristoph. Nub. 330. Πλάτων ἐν δράματι Σοφισταῖς καὶ τὸν Ὀπούντιον αὐλητὴν Βακχυλίδην εἰς τοὔνομα κατέταξε τῶν σοφιστῶν. Male apud Pausaniam Eustathii ad Odyss. p. 1403 legitur Πλά-

των Σοφιστῇ pro Σοφισταῖς. Idem vitium recte Iungermannus ad Pollucem vol. II p. 760 ex Harpocratione sustulit tollendumque est etiam ex Athenaeo X p. 422 f, ad quae cfr. Antiatticista p. 89. Praeter Bacchylidem in hac fabula lacessivit Apolexin (v. Harpocr. s. v. Ἀπόληξις) Xenoclem tragicum (Schol. Aristoph. Pac. 792) Dracontidem (Schol. Vesp. 157) alios. Fragmenta fabulae supersunt quindecim.

Συμμαχίαν fuisse qui Cantharo tribuerent docet Priscianus XVIII p. 182 Krehl. aliisque locis a Porsono Adv. p. 264 occupatis. Cfr. supra p. 163. Platoni nulla de auctore fabulae dubitatione adiecta tribuitur ab Antiatt. p. 104, Polluce II 83 (ubi leg. ὠτογλυφίδα λαβοῦσ' ἀνασκαλεύεται pro ἀνασκάλλεται) VI 17. 36. VII 202, Photio Lex. s. v. παραθήκη, et qui praeclarum fabulae fragmentum servavit, Hermia in Platonis Phaed. 18 p. 90, quod ope Eustathii ad Iliad. Σ p. 1161 Rom. ubi idem locus omisso fabulae titulo legitur, ita fere scribendum est:

εἴξασιν δὴ τοῖς παιδαρίοις τούτοις, οἳ ἑκάστοτε γραμμὴν
ἐν ταῖσιν ὁδοῖς διαγράψαντες, διανειμάμενοι δίχ' ἑαυτούς
ἑστᾶσ', αὐτῶν οἱ μὲν ἐκεῖθεν τῆς γραμμῆς, οἱ δ' ἄρ' ἐκεῖθεν.
εἷς δ' ἀμφοτέρων ὄστρακον αὐτοῖς εἰς μέσον ἑστὼς ἀνίησιν·
κἂν μὲν πίπτῃσι τὰ λεύκ' ἐπάνω, φεύγειν ταχὺ τοὺς ἑτέρους δεῖ,
τοὺς δὲ διώκειν.

Quibus versibus graecarum civitatum discordias tangi apertum est.

Sequitur *Σύρφαξ*, cuius plenum titulum Iungermannus ad Polluc. vol. I p. 661 fuisse putabat Σύρφαξ ἢ Μωμοθήρα. Sic enim corrigit apud Hesychium s. v. παλινδορία, ubi vulgo legitur: Πλάτων Σύρφακι καὶ Μωμοθήρᾳ·

παλινδορίαν παίσας αὐτοῦ καταθήσω. At cod. *Πλάτων συρφακίσαι, μνωμοχθῆραι παλινδορία*, unde praeclare Porsonus Praef. Hecub. p. LXIV elicuit: *Πλάτων Σύρφακι· Σὲ μέν, ὦ μοχθηρέ, παλινδορίαν παίσας αὐτοῦ καταθήσω.* Videtur autem hoc drama e prioribus poetae fabulis fuisse, siquidem Myniscum Chalcidensem, quem Aeschyli actorem fuisse constat (v. Hermannus ad Aristot. A. Poet. XXVII 4) in ea ut helluonem lusisse perbibetur apud Athen. VIII p. 344 d

Ὁδὶ μὲν Ἀναγυράσιος ὀρφὼς ἐστί σοι.
τούτῳ φίλος Μυνίσκος ἔσθ' ὁ Χαλκιδεύς.

Sic enim fere legendum videtur. Praeterea laudatur fabula ab Harpocratione s. v. *κατάστασις* et Athenaeo X p. 446 e.

Contra serioribus poetae dramatis non dubito quin *Φάων* accenseri debeat, cuius fabulae, ab Andronico in Platonicorum dramatum recensu neglectae, quod argumentum fuerit cognosci poterit, nisi fallor, ex Servio ad Virgil. Aen. III 279. «Phaon cum esset navicularius, solitus a Lesbo in continentem proximos quosque mercede transvehere, Venerem mutatam in anus formam gratis transvexit; quapropter ab ea donatus unguenti alabastro, cum se in dies inde tum ungeret, foeminas in sui amorem trahebat.» Quibus similia narrantur etiam ab aliis, quorum testimonia apposui ad Menandr. p. 105, quibus adde Apuleium de Orthograph. p. 8. Suspicionem hanc optime confirmat fragmentum e fabula nostra servatum apud Athen. X 441 c sqq. Ibi Phaonem habemus in interiore aedium parte inclusum: accurrunt undique mulieres Veneris oestro percitae et cum Phaone congredi gestientes. Prohibet eas Venus *κουροτρόφος*, haud prius aditum mulierculis concessura, nisi postquam cum sibi ipsi tum Orthanae, Lordoni, Cybdaso aliisque, quos venereae nequitiae antistites fingit, daemonibus sacra obtulerint. Cum

hoc loco aliqua argumenti similitudine coniunctum est perlongum fabulae fragmentum ab eodem Athenaeo servatum lib. I p. 5, ubi nescio quis aliquot e Philoxeni Convivio versus recitat, in quibus fere *ὑποβινητιῶντα βρώματα* enumerantur. Neque eventu rem caruisse docet locus apud Suidam s. v. *γλυκὺς ἀγκών*, ubi senem habemus tibicinae amore captum eique cano capite blanditias dicentem:

ὦ χρυσοῦν ἀνάδημα,
ὦ τοῖσιν ἐμοῖς τρυφεροῖσι τρόποις, ὦ γλυκὺς ἀγκών —

Cetera fragmenta nihil habent ex quo de argumenti ratione coniecturam capere liceat. De tempore autem quo fabulam actam esse dixi fortasse etiam alia via verissimum esse intelligitur. Scilicet Schol. Aristophan. Plut. 179 de Laidis obitu disserens inter alia haec posuit: *ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθέντι ἐπὶ Φιλοκλέους ὡς μηκέτι οὔσης αὐτῆς.* Ubi quum Hemsterhusii coniectura pro Phaedro *Παιδαρίῳ* a Scholiasta scriptum fuisse putantis propter eas quas supra p. 176 exposui rationes probari non possit, videndum est ne Scholiastes *Πλάτων ἐν τῷ Φάωνι* scriptum reliquerit. [5]) Ex quo efficitur actam esse Phaonem Olymp. XCVII 2. Cfr. Fr. Ritteri Dissert. de Aristoph. Pluto p. 21 sq. Neque deesse exempla, in quibus nomina P h a o n P h a e d o n et P h a e d r u s inter se confunduntur, cognosci poterit e Barkeri notatis in Friedem. Miscell. crit. II 1 p. 55, ad quae confer Cur. crit. p. 40. Ac nescio an etiam apud Antiattic. p. 93, 30 *ἐπιτροπεῖν: ἀντὶ τοῦ ἐπιτροπεύειν. Πλάτων Φαίδρῳ*, scribendum sit *Φάωνι*. Aliam metamorphosin hoc nomen

---

[5]) Ita etiam Clintonus Fast. Hell. p. 107 Kr. quo libro quum haec primum scribebam uti mihi non concessum erat.

subiisse videtur apud Grammaticum Crameri Anecd. IV p. 310 *μέμνηται τοῦ ὀνόματος (γραμματικὸς) Μένανδρος ἐν Πωλουμένοις καὶ Πλάτων ἐν Φοίβῳ*, nisi forte *Φιλήβῳ* legendum, ut intelligatur locus Philebi Platonici p. 18 d, ubi habemus *τέχνην γραμματικήν*. Sed praestat alterum, ut Platonis comici Phaon respiciatur.

Accedimus ad postremam fabulam Hyperboli nomine inscriptam, cuius etsi perpauca fragmenta ad aetatem nostram pervenerunt, de argumento tamen ipse fabulae titulus omnem dubitationem praecidit. Fuit autem Hyperbolus (quid enim impedit quo minus de homine isto paullo uberius commentemur?) natus igitur Hyperbolus fuit patre, ut Androtion apud Schol. Luciani vol. I p. 154 Lips. tradit, Antiphane, sive ut Theopompus, in excursu de Demagogis, quem Athenaeo teste IV p. 166 d decimo Historiarum libro addiderat, apud eundem Scholiastam l. l. p. 155 memoriae prodidit, Chremete. Theopompi auctoritatem sequutus est Scholiasta Aristoph. Pac. 680 *Χρέμιδος δὲ υἱὸς ἦν Ὑπέρβολος, ἀδελφὸς δὲ Χάρωνος*. Corrige *Χρέμητος*. Aelianus autem V. Hist. XII 43 *Ὑπερβόλου καὶ Κλεοφῶντος οὐδεὶς ἂν εἴποι τοὺς πατέρας*. Sed quocunque tandem patre usus est, certe obscurus homo fuit omnique contumeliae genere oppletus, ut quem in publica moneta servili condicione habitum fuisse tradat Andocides apud Schol. Arist. Vesp. 1001 *περὶ Ὑπερβόλου λέγειν αἰσχύνομαι· οὗ ὁ μὲν πατὴρ ἐστιγμένος ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ ἀργυροκοπείῳ δουλεύει τῷ δημοσίῳ, ὡς δὲ* (leg. *ὁ δὲ*) *ξένος ὢν καὶ βάρβαρος λυχνοποιεῖ*. Quem locum satis negligenter interpretatus est Kortumius Symbol. ad Histor. graec. p. 177. Neque honestiorem matris fuisse condicionem, colligitur ex Aristophanis Nub. 550.

Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν
προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην τοῦ κόρδακος οὕνεκα.

Idem Thesmoph. 840

τῷ γὰρ εἰκός, ὦ πόλις,
τὴν Ὑπερβόλου καθῆσθαι μητέρ' ἠμφιεσμένην
λευκὰ καὶ κόμας καθεῖσαν πλησίον τῆς Λαμάχου,
καὶ δανείζειν χρήμαθ', ᾗ χρῆν, εἰ δανείσειέν τινι
καὶ τόκον πράττοιτο, διδόναι μηδέν' ἀνθρώπων τόκον,
ἀλλ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ τὰ χρήματ', εἰπόντας ταδί·
ἀξία γοῦν εἶ τόκου τεκοῦσα τοιοῦτον τόκον.

Scholiasta Pluti 1058 *κἀκεῖ* (in Marica Eupolidis) *τὴν Ὑπερβόλου μητέρα τηλίᾳ εἰκάζει τῇ πλατείᾳ σανίδι.* Veteres grammaticos de mulieris nomine studiose quaesivisse intelligitur e Scholio Thesmoph. l. l. *προβάλλει Ὁμηρικῶς ἐν τῷ πρὸς Πολύβιον προτατικῷ τίς ἡ Ὑπερβόλου μήτηρ· οὐκ ἔχομεν δὲ εἰπεῖν.* [6]) Ipse noster Hyperbolus utrumne Athenis natus fuerit, an aliunde cum patre immigraverit, non constat. Polyzelus apud Schol. Luciani l. l. Phrygem, Plato autem nostra in fabula Lydum fuisse perhibent, utrumque ut humilem hominis condicionem et peregrinam originem indicarent. Perithoidarum *δήμῳ* adscriptus (Plutarch. Alcib. 13 et Nic. 11) lucernis fabricandis vitam sustentavit, quae res poetis comicis acerbissimae irrisionis opportunitatem praebuit V. Cratinus in Pytine apud Scholiastam ad Pac. 690, Aristophanem Equ. 739. 1316. 1327, Pac. 690 et Nub. 1064, ex quo loco satis largas hominem opes ex arte sua collegisse intelligitur. Neque id mirum in eo, qui in conficiendis lucernis plumbo pro aere uteretur. V. Schol. ad

---

[6]) Id nuper sibi repperisse visus est Th. Bergkius in Actis Societ. gr. I 1 p. 133. D o c o mulieri nomen fuisse coniiciens ex Schol. Aristoph. Nub. 552 et Hesychio s. v. *Δοκηκῶ*. Sed Scholiastae locus est corruptissimus, Hesychii autem glossa quomodo mihi interpretanda videatur, supra indicavi p. 94.

Arist. Nub. l. l. οὐ γὰρ χαλκῷ μόνον ἐχρῆτο πρὸς τὴν τῶν λύχνων κατασκευήν, ἀλλὰ καὶ μόλιβδον ἐνετίθει. Ceterum conf. Andocidem l. l. ad cuius verba respicit etiam Schol. Luciani p. 155. In tanto omnium de arte, quam factitavit Hyperbolus, consensu mirum videri possit eundem a Scholiasta ad Aristophanis Equ. 1301 figulum perhiberi. Ὀξίδες, in quit, ἃ καλοῦμεν ὀξυβάφια. λυχνοποιὸς δὲ ὁ Ὑπέρβολος. τινὲς δὲ τὰ κεράμεα, ἅ ἐστιν ὄξους δεκτικά. κεραμεὺς δὲ ὁ Ὑπέρβολος. μετὰ δὲ τὴν ἀποβολὴν τοῦ Κλέωνος εὐθέως ὑπερέβαλλεν ὑπὲρ τοῦ Ὑπερβόλου. μετ' αὐτὸν γὰρ ἐπολιτεύσατο. In quibus verbis fortasse comici poetae fragmentum latet hoc fere modo scribendum:

μετὰ τὴν δ' ἀποβολὴν τοῦ Κλέωνος εὐθέως
— ὑπερέβαλλεν ὁ κεραμεὺς Ὑπέρβολος,

scilicet πονηρίᾳ vel μοχθηρίᾳ, quod in praecedentibus verbis fortasse posuerat horum versuum auctor. Neque vero haec repugnant iis quae ceteri de lucernarum fabrica Hyperboli tradunt, siquidem figuli et λυχνοποιοῦ artes coniunctissimas fuisse docet Philetaerus Athenaei X p. 474 d:

ὁ Πηλεύς ἐστιν ὄνομα κεραμέως
ξηροῦ λυχνοποιοῦ Κανθάρου.

Hesychius, Κεραμεύς: ὁ λυκοῦργος. Scribendum videtur λυχνουργός.

Antequam ad rerum publicarum tractationem accederet quomodo aetatem transegerit non constat, nisi quod in foro multum versatus esse et cum defendendis tum vero maxime accusandis lacessendisque civibus operam dedisse perhibetur ab Aristoph. Acharn. 846 κοὐ ξυντυχών σ' Ὑπέρβολος δικῶν ἀναπλήσει. Cfr. Aristid. Platon. II p. 176 Cant. Sed ad rempublicam tractandam mature Hyperbolum et praeter aetatem accessisse ex Cratino tradit Scholiasta Luciani l. l. p. 155 Κρατῖνος ἐν Ὥραις ὡς προσελθόντος νέου τῷ βή-

ματι μέμνηται καὶ παρ᾽ ἡλικίαν. Qua in re maxime eum adiuvit incredibilis quaedam impudentia et turpissima socordis plebeculae adulatio. Cfr. Maximus Tyr. XX p. 391. Neque enim dicendi copia hominem valuisse et eloquentiae illecebris populi animos sibi conciliasse vel illud documento est, quod ipse apud Eupolin [7]) nihil ex musicis nisi literas se scire ingenue fatetur. Immo vero ne attice quidem eum loquutum esse tradit Plato in fragmento e nostra fabula servato apud Herodianum *περὶ λέξεως μονήρους* p. 20.

Ὁ δ᾽ οὐ γὰρ ἠττίκιζεν, ὦ Μοῦσαι φίλαι,
ἀλλ᾽ ὁπότε μὲν χρείη διῃτώμην λέγειν
ἔφασκε δητώμην, ὁπότε δ᾽ εἰπεῖν δέοι
ὀλίγον ἔλεγεν ὄλιον.

Quibus versibus non Tarentinum aliquem barbare loquentem rideri, quae Huschkii de Annio Cimb. p. 49 opinio fuit, sed ipsum Hyperbolum parum attice dicentem ludi, iam neminem fore puto qui dubitet. Scripsi autem primo versu *ὦ Μοῦσαι φίλαι* pro edito *ὦ Μοῖραι φίλαι*, quarum ut inepta in tali loco invocatio, ita aptissima Musarum. In reliquis fere Blochii emendationes sequutus sum, quamquam aegre mihi persuadeo, tam barbare loquutum esse Hyperbolum ut *δητώμην* dixerit pro *διῃτώμην*. Codex habet *δικιτώμην λέγειν ἔφασκε δὴ τῷ μήν.* In quo parum probabiliter Huschkius l. l. p. 50 verbum *δικόω* latere existimabat. Equidem scripsisse Platonem puto:

---

[7]) Quintilianus Inst. orat. I 10 18. Maricas, qui est Hyperbolus, nihil se ex musicis scire nisi literas profitetur. E Platonis fabula fortasse ductum est quod legimus apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 373 21. *Ἀκύκλιος: ὁ ἀπαίδευτος παρὰ Πλάτωνι.* Ad eandem vide an referri possit incerti auctoris versus apud Ammonium Differ. verb. p. 10 *οὐ γὰρ ὅσον ἀκαρῆ τῆς τύχης* (leg. *τέχνης*) *ἐπίσταμαι.*

ἀλλ' ὁπότε μὲν χρείη διῃτώμην λέγειν,
ἔφασκ' ἐδιῃτώμην —

In quo duplex augmentum notasse videtur, cuius nullum sane certum exemplum ex antiquis illis et genuinis Atticis proferas. V. Lobeck. ad Phryn. p. 154. Ad postremam fragmenti partem respicit Etymol. M. p. 621 54. *Πλάτων μέντοι ὁ κωμικὸς διαπαίζει τὴν λέξιν* (*ὄλιος* pro *ὀλίγος*) *ὡς βάρβαρον. καὶ τὸ ὑγιννος γίννος φησί*, ubi corrige obiter *τὸ γίννος ἴννος φησί.* [8]) Aelius Dionysius apud Eustath. p. 1160 16 *ὀλίγον: τὸ δὲ ὄλιον ἢ βάρβαρον ἢ Ἰακόν.* Similiter *ὀλίωρος* pro *ὀλίγωρος* a minus attice loquentibus dictum fuisse docet glossa Photii Lex. p. 327 22 *Ὀλίγωρος: σὺν τῷ γ̄.* Sed quoad Cleon reipublicae praeesset, Hyperbolo nonnisi secundas in civitate agere licuit, quamquam vel sic satis magna iam tum apud cives auctoritate floruit, adeo quidem ut populus Olymp. LXXXVIII 4 totum se lucernarum venditoribus tradidisse dici posset ab Aristoph. Equ. 149. Non recte igitur Scholiasta Nub. 620 *οὐδέπω γὰρ διέπρεπε Κλέωνος ἔτι ζῶντος.* Eodem tempore flagitavit ut classis sibi ad maritimam expeditionem contra Chalcedonios a populo traderetur, nullo tamen ut videtur successu, Aristoph. Equ. 1315. Mortuo autem Cleone, quod factum est anno secundo vel tertio [9]) Olymp. LXXXIX,

---

[8]) Quae proxime antecedunt apud Etymologum attigi ad Menandr. p. 232 partim recte partim secus: recte, quod *εὐψυχία* restitui pro *εὐτυχία*, firmante nunc Herodiano l. l., secus, quod Meleagrum poetam esse dixi, qui fuit Rhintonicae fabulae titulus, ut ex eodem Herodiano discimus.

[9]) De tempore obitus Cleonis magna est scriptorum dissensio. V. Hermannus ad Scholia Aristoph. Nub. 545 et Clinton. Fast. Hellen. p. 74 Kr. Octo menses ante Pacem Aristophanis Olymp. LXXXIX 3 actam hominem

tantam consequutus est auctoritatem, ut cum solus fere in foro regnaret, Aristophanes Pac. 681, et potentissimos quosque cives (in his etiam Alcibiadem, teste Himerio Ecl. XXXVI p. 318) incredibili licentia et procacitate lacesseret et quemcunque populus vellet omnibus modis vellicaret, Plutarch. Alcib. 13 cll. Maximo Tyr. Diss. XIII p. 237, Athenienses eum tanquam genium quendam suspicerent, a cuius nutu et arbitrio suspensi tenerentur, Dio Chrysost. Or. 25 p. 282 a. Quid quod tanto perditissimum hominem favore amplectebantur, ut quamquam munera ab Aegyptiis populo dono missa sibi soli vindicasset, Leuco apud Hesychium s. v. *Πάαπις*, tamen exercitui eum praeficerent, Schol. Arist. Acharn. 846, et Hieromnemonis munere ornarent, Aristoph. Nub. 620. Ita quum aliquot annos primum in republica locum tenuisset, ac ne mordacissimis quidem comicorum poetarum salibus ad saniorem rationem revocari potuisset, insperato de summo, ad quod malis artibus adscenderat, potentiae auctoritatisque fastigio deiectus est. Nicia enim, vel ut Theophrastus apud Plutarch. Nic. XI et Schol. Luciani l. l. p. 155 memoriae prodiderunt, Phaeace de principatu cum Alcibiade contendente, Hyperbolus, qui populi animos contra utrumque concitari atque alterutrum testularum suffragio patria pelli vellet, quo meliorem sibi in eum qui remansisset saeviendi opportunitatem haberet, ipse contra omnium exspectationem, machinante potissimum Alcibiade, ostracismi iudicio damnatus est, id quod factum esse videtur Olymp. XCI 1. Rem ipsam [10]) copiosius exponunt Plutarchus Alcib. XIII, Nic. XI, Aristid. VII et Theopompus apud Scholiastam Aristoph. Vesp. 1001, ubi perperam

---

occubuisse memoriae prodit Eratosthenes apud Schol. Venet. ad Pac. 48.

[10]) Eodem spectat, si quid video, Himerius Or. V 14.

legitur ἐξωστράκισαν τὸν Ὑπέρβολον ἓξ ἔτη pro δέκα. Decennale enim fuisse exilium quod ostracismi iudicio imponebatur, constat ex Platonis Gorg. p. 153 d, Etymol. M. s. v. ὀστρακισμός et aliis locis. Vid. Wesselingius ad Diod. Sic. I p. 445 et Schoemannus de Comit. Athen. p. 245. [11]) Ceterum Athenienses, qui non διὰ δυνάμεως καὶ ἀξιώματος φόβον ἀλλὰ διὰ πονηρίαν καὶ αἰσχύνην τῆς πόλεως, ut Thucydidis verbis utar lib. VIII 73, quae tacite in usum suum convertit Scholiasta Aristophanis Pac. 680, improbum hominem honestissimo poenae genere damnavissent, mox facti adeo poenituit, ut cum ostracismi dignitatem impuri hominis damnatione turpissime pollutam existimarent, nullum postea civem eodem poenae genere affecerint. Vid. Plutarchi Vit. Nic. XI. Ita igitur exilio multatus Hyperbolus in Samum insulam secessit, ubi Olymp. XCII 1. a popularis imperii adversariis necatus corpusque eius contumeliosissime tractatum et in mare abiectum est. Vid. Thucyd. VIII 73 et Theopompus apud Scholiastam Vesp. 1001, cuius verba tacito auctoris nomine transcripsit Scholiasta Aristoph. Pac. 680. Cfr. Scholia Luciani l. l. p. 155. Tam improbum igitur civem, in quo nullum plane virtutis vel ingenii vestigium eluxit, non mirum est veteres comicos quasi de composito quacunque ratione possent vexasse et contumeliosis conviciis proscidisse. Cuius rei nisi ipsa fragmenta fidem facerent, locupletem haberemus testem Aristoph. Nub. 534, quem ipsum ne mortuo quidem pepercisse docent Thesmoph.

---

[11]) Haec scribentem fugit locus Philochori in fragmento lexici rhetorici in calce Photii Dobr. p. 675 τοῦτον (sc. τὸν ἐξοστρακισθέντα) ἔδει τὰ δίκαια δόντα καὶ λαβόντα ὑπὲρ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων ἐν δέκα ἡμέραις μεταστῆναι τῆς πόλεως ἔτη δέκα· ὕστερον δὲ ἐγένοντο πέντε. Itaque apud Scholiastam Aristophanis pro ἓξ scribendum πέντε.

840 et Ran. 570. Cum Aristophane plane convenit Plutarcho Alcib. 13 *τοῖς κωμικοῖς ὁμοῦ τι πᾶσι διατριβὴν ἀεὶ σκωπτόμενος ἐν τοῖς θεάτροις παρεῖχεν*, et Ciceroni Brut. 62 «Hyperboli improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt.» Cfr. idem de Republ. IV 10. Sed prae ceteris illum Eupolis in Maricante Olymp. LXXXIX 4 acta, Hermippus in Pistricibus, Plato denique in ea, de qua cum maxime agimus, fabula vexaverunt. Ea quo tempore acta fuerit etsi nemo diserte tradidit, non multum tamen a vero aberraveris, si id Olymp. XCI 2 [12]) factum existimes, h. e. eo tempore quo iam Hyperbolus ostracismo in exilium pulsus erat. Docet hoc locus a Plutarcho Nic. 11 et Alcib. 13 servatus, quem ex Hyperbolo petitum esse nemo dubitabit:

Καίτοι πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια,
αὑτοῦ δὲ καὶ τῶν στιγμάτων ἀνάξια·
οὐ γὰρ τοιούτων οὕνεκ' ὄστραχ' εὑρέθη.

Quibus iunge versus supra ex Herodiano allatos, quos nisi absente Hyperbolo scribi non potuisse manifestum est. Nec vero post mortem demum Hyperboli fabulam actam esse, tum alia docent, tum vero ipse ille versus: *καίτοι πέπραχε τῶν τρόπων μὲν ἄξια.* Reliqua fragmenta leguntur apud Suidam s. v. *εὔερον* (quae omisso fabulae titulo habet etiam Schol. Aristophanis Av. 121) Scholiastam ad Aristophanis Thesmophor. 808 cll. Harpocratione s. v. *ἐπιλαχών*, Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 447 et Athenaeum II p. 56 f.

De incertarum Platonis fabularum fragmentis nullus hic dicendi locus est. Hoc unum tamen commemorare non

[12]) Hoc sequutus est Fritzschius Actis Societatis graecae I p. 137, negat Th. Bergkius apud Fritzschium Quaest. Arist. I p. 322 propter Syracosii legem *περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί*, de qua supra dictum p. 40. Sed probabile est illam legem ad absentes et exilio multatos cives non pertinuisse.

inutile fuerit, esse inter ea quae manifestis indiciis *νοθείας* convicta teneas. Ex hoc genere versus esse non dubito quos servavit Didymus Alexandr. de Trin. II 17 *ἀκουστέον καὶ στίχων τῶν παρ' Ἕλλησι μετρίαν περὶ τῆς πρὸς τὸν θεὸν πατέρα συντάξεως τοῦ υἱοῦ λόγου καὶ τοῦ πνεύματος δεξαμένων — Πλάτωνος τοῦ κωμικοῦ, ὅς ἀνθηρῶς ἐν τοῖς ὑπογεγραμμένοις ἰάμβοις θεότητα μοναδικῶς ἐκτεινομένην εἰς τριάδα ἀφ' ἧς τὰ ὅλα γέγονέ τε καὶ σώζεται,*

Θεὸς γάρ ἐστιν εἷς πατὴρ ὑπέρτατος,
λόγῳ τὰ πάντα πανσόφως καὶ πνεύματι
στήσας ὀλισθαίνοντα κἀκ βυθοῦ πλάνης
εἰς φῶς ἀνέλκων ἐκ μακρᾶς ἀταξίας.

Quae ex eadem mihi fabrica fluxisse videntur, ex qua derivata sunt quae idem scriptor lib. III p. 21 attulit:

ἄρρητα μὴ σάλευε· μὴ ζήτει θέον·
οὐ γὰρ τοσοῦτόν ἐστιν ἀνθρώπῳ σθένος
τὸν παντεπόπτην τὴν ἀχώρητον φύσιν
εὑρεῖν ἀνιχνεύοντι καὶ τεχνωμένῳ·
τύχοις δ' ἂν αὐτοῦ ῥᾳδίως πεπεισμένος
μέγιστον εἶναι τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων.

Ubi primo versu fortasse *σκάλευε* scribendum est. Gnosticam horum versuum originem vel *τοῦ βυθοῦ* commemoratio prodit, quam illi doctrinae propriam fuisse docet Irenaeus c. Haer. II 14.

ARISTONYMUS. Huius duae commemorantur fabulae, Theseus apud Athen. III p. 87 a et *Ἥλιος ῥιγῶν* apud eundem VII p. 248 e [13]) Scholiastam Platonis Bekk. p. 331

[13]) Utroque Athenaei loco optimi libri *Ἡλίῳ ῥιγῶντι*, deteriores *Ἡλίῳ ῥιγοῦντι.* Neque aliter ceteris locis, quibus haec fabula laudatur. Sed recte *ῥιγῶντι.* Vid. Piersonum ad Moerin p. 336. 339 et Buttmannum ad Platonis Gorgiam p. 527.

et Antiatticistam p. 81 26. 83 24. 113 24. Aristophanis et Amipsiae aequalem fuisse docet Anonymus in Vita Aristophanis p. XXXV *εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχήν, ἄλλως δὲ καὶ εὐφυής, τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι αὐτὸν λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς ἄλλοις πονοῦντα.* [14]) Quibus similia tradit Scholiasta Platonis l. l. unde satis existimari potest quam immani errore lapsi sint Fabricius Bibl. Gr. II p. 288 et Schweighaeuserus Ind. Athen. p. 52 qui Aristonymum Ptolemaei Philadelphi temporibus Alexandriae vixisse atque Apollonio in bibliothecae praefectura successisse narrant. Quod falsissimum esse vel titulus fabularum *Ἥλιος ῥιγῶν* et *Θησεύς*, et ipse adeo orationis color in fragmentis conspicuus docere poterat. Sed Fabricium seduxit Suidas qui vol. I p. 329 ita scribit de Aristonymo: *Ἀριστώνυμος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶν Ἥλιος ῥιγῶν, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς. βασιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τοῦ μετ' αὐτὸν τοῦ Φιλοπάτορος* [15]), *καὶ προέστη τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης μετὰ Ἀπολλώνιον, ἔτος ἄγων ξδ'. διασκευασθεὶς δὲ ὡς βουλόμενος πρὸς Εὐμένη φυγεῖν, ἐφυλάχθη ἐν εἱρκτῇ χρόνον τινά, ἠφείθη δέ, καὶ ὑπὸ στραγγουρίας τελευτᾷ ἔτη βεβιωκὼς οζ'. συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά.* Nemo monitus dubitabit quin Suidas diversos Aristonymos turpi lapsu confuderit, quo magis mirum videtur nihil suspicionis incidisse viro inprimis docto Augusto Weicherto in libro de Apollon. Rhod. p. 11 sq. Quamquam, ut hoc addamus, vel

---

[14]) Cfr. Rankius in Vita Aristophanis p. CCIX.

[15]) Atqui non Philopator, sed Euergetes Philadelphum in regno sequutus est.

sic haud levis residet dubitatio, quis fuerit alter ille, quem Suidas Apollonii successorem fuisse narrat, Aristonymus. Novimus Aristonymum griphorum texendorum artificem inprimis ingeniosum, teste Athenaeo lib. X p. 452 f. Atqui hunc sub Alexandro floruisse atque adeo pessimo errore cum comico poeta confundi ab Harlesio ad Fabric. B. Gr. II p. 288 planissime ex eodem Athenaeo lib. XII p. 538 a intelligitur. Novimus item eiusdem nominis scriptorem apud Plutarchum de Flum. p. 1165 d laudatum, et alium denique passim a Stobaeo in Sermonibus commemoratum. Atqui nullus horum grammaticae laude floruit, ut decebat successorem Apollonii. Ac mirum profecto, si quis unquam Aristonymus praefectura bibliothecae Alexandrinae ornatus multorumque librorum auctor fuerit, eius memoriam ita intercidisse ut ne tenue quidem apud veteres eius vestigium relictum sit. His rationibus adducor ut Suidae locum luxatum esse et ante verba *βασιλεύοντος Πτολεμαίου* grammatici nomen excidisse statuam, in quem rectius conveniant illa, *συγγράμματα δὲ αὐτοῦ πάνυ πολλά.* Is autem qui fuerit, eorum erat quaerere qui de praefectis bibliothecae Alexandrinae scripsere, qua in re negligenter versatus est Ionsius Hist. Script. Phil. I 18, negligentius etiam Iac. Matter Histoire de l'école Alex. p. 130 sq. Apollonius mortuus est sub Ptolemaeo Epiphane. Hoc tempore qui succedere ei potuerit, neminem reperio nisi Aristophanem Byzantium, qui sub Ptolemaeo Philadelpho Callimachi fuit discipulus, aetatem autem ad extremos vitae humanae terminos produxit, maximeque sub Ptolemaeo Philometore, Eumenis II aequali, inclaruit. Excidisse igitur videtur in Suidae verbis nomen Aristophanis, cui quidem suspicioni non obstat, opinor, quod alio loco seorsim de Aristophane egit

homo negligentissimus: idemque ei etiam aliis in locis accidisse nemini ignotum est. [16])

AMIPSIAS, de quo alibi cum cura se dicturum esse professus erat Hemsterhusius ad Polluc. IX 138, aequalis fuit Aristophanis, quocum nonnihil ei simultatis intercessisse intelligitur e Ran. 12

τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας;

ubi baiulorum similiumque hominum dicteriis et insulsis sermonibus risum spectatorum captasse dicitur. Hinc Suidas *ὑπόψρυχον* Amipsiam dicere non dubitavit, quod ille vix aliunde quam ex ipso illo Aristophanis loco collegisse censendus est. Contra perhonorifice Athenienses de comica Amipsiae virtute iudicasse vel eo intelligitur, quod *Κόννον* eius et *Κωμαστὰς* simul cum Aristophanis Nubibus et Avibus in certamen commissas prae Aristophanicis fabulis praemio ornaverunt.[17]) Illius quam dixi simultatis indicium superest etiam apud Anonymum in Vita Aristophanis p. XXXV *τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα* (Aristophanes). *διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας τετράδι αὐτὸν λέγοντες γεγονέναι, κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς ἄλλοις πονοῦντα.* Molliculum et luxuriosum hominem fuisse Amipsiam non sine aliqua veri specie e Scholiasta Aristoph. Vesp. 1164 coniicias: *φαίνεται γάρ τις καὶ μαλακώτερος γενέσθαι Ἀμει-*

---

[16]) Assensum tulit haec disputatio Bernhardii ad Suidae l. l. et Rankii Vita Aristophanis p. CVI, qui frustra, ut equidem opinor, negligentiae crimen a Suida in librarios conferre conatus est. Cfr. G. Parthey de Museo Alexandrino p. 73.

[17]) V. Fritzschii Quaest. Aristoph. I p. 256.

ψίας. Sed apertum est post γενέσθαι incidendum esse. Nam de Lycone, Autolyci patre, agitur, quem luxuriosum fuisse hominem Amipsiae testimonio comprobat Scholiasta. Nec magis incerti poetae versus apud Hephaest. VI 36

οὐδ' Ἀμειψίαν ὁρᾶτε πτωχὸν ὄντ' ἐφ' ἡμῖν,

ad nostrum poetam spectare videtur. Nam pro Ἀμειψίαν legendum est haud dubie Ἀμυνίαν, cuius paupertatem ridet etiam Aristophanes Vesp. 1263.

Fabularum tituli supersunt novem. Quarum quam primo loco ponimus Ἀποκοτταβίζοντες, in ea Dionysi quasdam partes fuisse docet Athen. X p. 426 f. Plenum dramatis titulum Fabricius aliique fuisse putant hunc, Ἀποκοτταβίζοντες ἢ Μανία, decepti illi corrupto loco Athenaei lib. XI p. 473 d ὅτι δὲ καὶ ποτήριόν τι οὕτω (κάνθαρος) καλεῖται, Ἀμειψίας ἐν Ἀποκοτταβίζουσί φησιν ἢ Μανίᾳ· Φέρ' ὀξύβαφα καὶ κανθάρους. Atque ad eundem modum lib. XV p. 667 f Ἀμειψίας Ἀποκοτταβίζουσιν ἢ Μανίᾳ,

Φέρ' ὀξύβαφα καὶ κανθάρους
καὶ τὸν ποδανιπτῆρ', ἐγχέασα θὕδατος.

Ubi pro Μανίᾳ Meursius reponi voluit Μάνῃ ά. Schweighaeuserus autem furorem significari existimat, quo cottabi ludo nonnulli dediti fuerint. Praestat hoc alteri quam proposuit rationi, qua de Mania meretrice cogitare nos iubet, quod ne temporum quidem rationes permittunt, certe si de nobili illa Mania cogitavit quam Demetrio Poliorcetae in deliciis fuisse constat. Sed quid multa? Utroque Athenaei loco verba ita sunt concipienda: Ἀμειψίας ἐν Ἀποκοτταβίζουσί φησιν

Ἡ Μανία, φέρ' ὀξύβαφα καὶ κανθάρους, [18])

ut Mania, quod servae nomen, cfr. Athen. X p. 578 b. Scho-

[18]) Ita nunc edidit Dindorfius.

liastam Aristoph. Thesm. 725 et Polluc. VII 17, cantharos afferre iubeatur. Praeterea haec fabula commemoratur Athenaeo VII p. 307 e (ubi legendum *ἧττον γὰρ οὖν*) Antiatticistae p. 103 et Etymol. M. p. 313 32. Ad titulum fabulae respexit Athenaeus etiam XV p. 666 a *τίς γὰρ ἡμῶν οὐκ οἶδεν ὅτι οὐκ ἦν οὗτος ὁ ἀποκοτταβισμὸς ἀρχαῖος; εἰ μή τι σὺ καὶ τοὺς Ἀμειψίου ἀποβλύζειν ὑπολαμβάνεις.* Scilicet apud sequiores Graecos *κοτταβίζειν* et *ἀποκοτταβίζειν* vomendi significationem habebat, quam ab attico dicendi usu abiudicat etiam Etymologus M. p. 533 15 *κοτταβίζειν τὸ τῷ κοττάβῳ χρῆσθαί φασιν Ἀττικοί, οὐχὶ τὸ ἐμεῖν ὥσπερ οἱ νῦν λέγουσιν.* [19])

Sequitur fabula *Κατεσθίων* inscripta, ab uno Athenaeo semel laudata, quamquam videndum ne commenticius sit fabulae titulus. Quis enim praestet Athenaei verba lib. VII p. 316 b *Ἀμειψίας Κατεσθίοντι· Δεῖ μέν, ὡς ἔοικε, πολλῶν πουλύπων*, non ita potius esse concipienda: *Ἀμειψίας·*

Κατεσθίοντι δεῖ μέν, ὡς
ἔοικε, πολλῶν πουλύπων.

Maiorem reliquis celebritatem adepta est fabula *Κόννος* inscripta, prono errore passim in *Κοινὸς* depravata. V. Casaub. ad Athen. V p. 218 c. Ea quo tempore acta fuerit praeter Athenaeum l. l. qui biennio ante Eupolidem *Κόλακας* suos docuisse dicit, novimus ex argumento Nubium, ubi archonte Isarcho, h. e. Olymp. LXXXIX 1, Dionysiis urbanis una cum Aristophanis Nubibus et Cratini Pytine in certamen commissa et secundo praemio ornata esse dicitur.

---

[19]) De eiusmodi *ἀποκοτταβισμοῖς* intelligendus est locus Philagrii in Matthaei Medicis graec. p. 68 *οἱ ἀθλητικῶς βιοῦντες καὶ πρὸς τοὺς λεγομένους ἀποκοτταβισμοὺς ἔθος ἐσχηκότες*, quae perperam editor de cottabi ludo interpretatus est. Cfr. Herodotum ibid. p. 294.

Titulum fabulae non dubitari potest quin recte T. Hemsterhusius ad Polluc. II p. 1358. a Conno, Metrobii filio et Socratis magistro, repetiverit. Nobilissimum fidicinem hunc dicit Cicero Epist. ad Div. IX 22. Contra Suidas s. v. *Κόννου ψῆφον* vol. II p. 846 *ὁ δὲ Κόννος λυρῳδὸς ἦν, ὥς τινές φασι, τῶν ἀφώνων, ὡς δέ τινες κιθαρῳδός.* Eundem fuerunt qui respici putarent ab Aristophane Vesp. 695, ut docet ibi Scholiastes: *κιθαρῳδὸς ἦν νέος.* [20]) *ἔστι δὲ παροιμία (Κόννου ψῆφος) ἐπὶ τῶν μηδὲν ἀξίων. Καλλίστρατος δὲ παροιμίαν φησὶ Κόννου θρῖον, παρ' ἣν παίζει. Εὐφρόνιος δὲ ὅτι ἐλέχθη διὰ τὸ ἠδύν τινα τὸν Κόννον εἶναι.* [21]) *οἱ δὲ Κόννον λέγουσι τὸν κιθαριστήν· μήποτε δὲ οὐδὲ ἔστι Κόννος, ἀλλὰ Κόννας, ὃν προσενεκτέον (προενεκτέον) ὡς Μίδας.* [22]) Quibus postremis verbis Con-

[20]) Non *νέος* profecto, sed pergrandis natu fuit Connus illis temporibus, ut perspicue docet Aristophanis locus. Legendum videtur *ἐνεός*, cuius vocabuli usum ab oratione grammaticorum non alienum fuisse vel ex Hesychio doceri potest. Idem hoc *ἐνεός* pro *νέος* restituendum est Aeschylo Pers. 787, loco multis multorum coniecturis vexato. Codicum haec scriptura est, *Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς νέος ὢν νέα φρονεῖ.* Corrigendum suspicor *ἐνεὸς ὢν ἐνεὰ φρονεῖ* h. e. *διὰ μωρίαν λήθαργος καὶ ἀμνήμων* Grammat. Bekk. p. 251 27.

[21]) *ἠδὺν* h. e. *ἠλίθιον.* Hesychius, *Κοννόφροσιν: ἄφροσιν.* Quod si non ex Amipsiae Conno, certe ex comico poeta petitum est.

[22]) Haec minus recte praecipere videtur scholii auctor, siquidem non *Κοννας* sed *Κοννᾶς* auloedus iste dicebatur, quod nomen secundo casu *Κοννᾶ* flectitur. Vid. Aristoph. Equ. 537 et Eudoc. Viol. p. 261. De similibus nominibus dixit Lobeckius ad Phrynich. p. 434 et Choeroboscus apud Bekk. Anecd. p. 1186, ubi pro *Φιδιτᾶς* legendum *Φιλητᾶς*, et *καταφαγᾶς* pro *καταφυγᾶς.* [Postremam scholii partem Bekkerus nunc ita edidit e libro Veneto: *ἀλλὰ Κόννας, ὃν οὐδὲ προσενεκτέον, ἀλλ' ἐπιβαρυ* (sic) *ὡς Μίδας.*]

nas tibicen innuitur, quem recte Kusterus ad Suid. l. c. a Conno lyrista diversum statuit. [23]) De Conno, Socratis doctore, vide praeterea Leonem Allatium ad Socratis Epist. p. 186 et Menagium ad Diogen. Laert. II 28, qui praeeunte Casaubono Amipsiae fabulam in Socratem scriptam fuisse suspicatur, quod haud scio an etiam eo confirmetur, quod chorus fabulae e *φροντισταῖς* constitisse videtur, Athenaeus V p. 218 c *Ἀμειψίας δ' ἐν τῷ Κόννῳ — οὐ καταριθμεῖ αὐτὸν* (Protagoram) *ἐν τῷ τῶν φροντιστῶν χορῷ.* Si vera est Casauboni coniectura, quis dubitet quin Menagius recte ex eadem fabula nobilissimos in Socratem versus petitos esse statuat, quos servavit Diogenes Laert. l. l. *Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι* [24]) *παρεισάγων αὐτὸν* (Socratem) *φησὶν οὕτως·*

Σώκρατες ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιό-
ταθ', ἥκεις
καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς, καρτερικός τ' εἶ; πόθεν ἄν σοι χλαῖνα
γένοιτο;

Quae cum Athenaei loco, ex quo phrontistas in Amipsiae fabula enumeratos esse discimus, optime concordant. Ex ceteris fabulae fragmentis ab Athenaeo VII p. 327 d. IX p. 368 e, Herodiano de dictione solit. p. 6, Polluce X 171 et Scholiasta Aristophanis Av. 989 servatis nihil certi ad fabulae argumentum elicias.

Sequuntur *Κωμασταί Μοιχοί* et *Σαπφώ.* Ex his *Κω-*

---

[23]) Haec olim scripsi. Nunc plane persuasum habeo Connum et Connam minime esse diversos. Qua de re optime disseruit Winckelmannus Proleg. ad Platonis Euthyd. p. XXXIX, qui de Conno quae dici possunt exhausit tantum non omnia.

[24]) Ex hoc loco Meursius Bibl. Att. et Fabric. Bibl. Gr. II p. 410 Amipsiae *Τρίβωνα* fabulam affinxerunt.

μαστάς, de cuius auctore Th. Bergkii coniecturam sane quam probabilem supra p. 155 attuli, una cum Aristophanis Avibus et Phrynichi Monotropo in certamen commissam Olymp. XCI 2 primum meruisse praemium docet Scholiasta Aristophanis in argumento Avium. *Μοιχοί* passim in *Μυχοὶ* corrupta, velut apud Pollucem VII 100 *Ἀμειψίου ἐν Μυχοῖς μιλτωρυχίαν εἰπόντος*, ubi verum vidit praeter Fabricium Bibl. Gr. II p. 410 Toupius Emend. in Suid. I p. 301. Idem vitium tollendum ex Grammatico Seguer. p. 400 *ἀνέῳγον: καὶ Ἀμειψίας Μυχοῖς καὶ οἱ νεώτεροι πολλαχοῦ* Mitto reliqua fragmenta. *Σαπφώ* ab uno commemoratur Polluce lib. IX 138 *ἐν τῇ Ἀμειψίου Σαπφοῖ*, ubi MS habet *Ἀμειψίους ἄμφοι.*

Denique *Σφενδόνη*. Sic enim vocatur apud Athen. VI p. 270 f paucisque aliis locis. Plerumque corrupto titulo *Σφενδῶνι* vel *Φειδῶνι* vel *Σφενδόνι*, pro quibus ubique *Σφενδόνῃ* reponendum esse vere monuit Casaubonus ad Athen. X p. 446 d quem qui sequitur T. Hemsterhusius ad Pollucem II p. 1080 nomen comoediae ab annulo, mutui amoris signo, repetit, cuius in pala amicae imago insculpta fuerit. Quae etsi non unam ob causam parum probabilia sunt, laudabo tamen si quis meliora attulerit. De tempore fabulae coniecturam capere licet e fragmento apud Polluc. X 144 servato:

τὸ μὲν δόρυ
μετὰ τῆς ἐπιχάλκου πρὸς Πλαταιαῖς ἀπέβαλεν.

Quae vix dubitari potest quin de eoram aliquo Atheniensium intelligenda sint, qui quum Lacedaemonii Plataeas obsidione cinxissent, cum magna parte Plataeensium eruptione facta aufugerunt, id quod factum esse constat Olymp. LXXXVIII 1. Vid. Thucydides III 20 sqq. et Diodorus Sic. XII 56. Cetera fabulae fragmenta habet Athenaeus VI p. 270 f. IX p. 408 e et X p. 446 d.

ARCHIPPUS, aequalis Amipsiae, floruit Olymp. XCI, qua vicisse eum in certamine comico Suidas tradidit, accinente Eudoc. p. 68. Infacetum poetam et inprimis *φορτικὸν* fuisse memoriae prodidit Schol. Aristoph. Vesp. 500 (479) *τῶν τριχοινίκων ἐπῶν, ἀντὶ τοῦ τῶν εὐτελῶν. τὰ τοιαῦτα παρὰ τὰς φωνὰς παίζει, φορτικοῦ ὄντος, ἐφ' οἷς μάλιστα τῶν ποιητῶν σκώπτουσιν Ἄρχιππον.* Cfr. Casaub. ad Athen. VII p. 329 c. Huius celeberrima fabula fuit ea quam *Ἰχθῦς* inscripsit, in qua qui piscariorum nequitiam exagitatam esse putabat Hemsterhusius ad Polluc. X 30, non cogitavit tale argumentum mediae vel novae quam antiquae comoediae esse accommodatius. Fragmenta contemplanti hanc fabulam eo consilio a poeta scriptam suspicari licet, ut Atheniensium immodicam *ἰχθυοφαγίαν* exagitaret. Eam rem ita videtur instituisse, ut pisces, qui non dubium est quin chorum fabulae constituerint, quum omnibus modis turbari sese ab Atheniensibus vidissent, bellum vexatoribus suis intulisse fingeret. Denique post varios casus et incerta belli certamina foedus inter se fecisse videntur praeliantes, cuius quidem condiciones hae fuisse videntur, ut redditis captivis Athenienses ii, qui prae ceteris hostibus infensi fuissent plurimumque damnum intulissent, piscibus devorandi traderentur. Partem foederis, prosa oratione conscripti, servavit Athenaeus lib. VII p. 329 b. c, quo loco ii commemorantur Athenienses quos pisces se reddituros esse pollicentur: *ἀποδοῦναι δ' ὅσα ἔχομεν ἀλλήλων. ἡμᾶς μὲν τὰς Θράττας καὶ Ἀθερίνην τὴν αὐλητρίδα καὶ Σηπίαν τὴν Θύρσου* (h. e. uxorem Thyrsi, non filiam) *καὶ τοὺς Τριγλίας καὶ Εὐκλείδην τὸν ἄρξαντα κτλ.* In Atheniensibus, qui piscibus devorandi traderentur, commemoratur Melanthius, poeta tragicus [25]), Athen. VIII p. 343 c *ἐν τοῖς Ἰχθύσιν Ἄρ-*

[25]) De poesi hominis quae dici possunt congessit fere di-

χιππος τῷ δράματι (τὸν Μελάνθιον) ὡς ὀψοφάγον δήσας παραδίδωσι τοῖς ἰχθύσιν ἀντιβρωθησόμενον. Neque immerito tam diram sortem illi homini paratam fuisse multis multorum efficitur testimoniis, qui in eo omnes consentiunt ut nihil Melanthio fuisse videatur voracius. Aristophan. Pac. 805

μηδὲ Μελάνθιος, οὗ δὴ
πικροτάτην ὄπα γηρύσαντος ἤκουσ',
ἡνίκα τῶν τραγῳδῶν
τὸν χορὸν εἶχον ἀδελφός τε καὶ αὐτός, ἄμφω
Γοργόνες ὀψοφάγοι, βατιδοσκόποι ἅρπυιαι,
γραοσόβαι μιαροὶ τραγομάσχαλοι ἰχθυολῦμαι.

Quibus multa similia addi possunt ex aliis comicis. Neque negligendus est Photius Epist. 88 p. 122. Μελάνθιόν φασι τὸν τραγῳδίας ὑποκριτὴν (lege ποιητὴν) οὕτω τῆς ὀψοφαγίας ἥττω γενέσθαι ὥστε καὶ ἀθυμεῖν ἐπεὶ μὴ κύκνου τὸν τράχηλον εἶχεν. Similia ex Clearcho refert Athenaeus I p. 6 c. Μελάνθιος τῶν ἀπολαύσεων ἐρῶν ηὔξατο τῆς μακραύχενος ὄρνιθος τὸν τράχηλον ἔχειν, ἵν' ὅτι πλεῖστον τοῖς ἡδέσιν ἐνδιατρίβῃ. Cfr. XII p. 549 a. Neque Hermaeo piscario poeta pepercisse videtur, de quo gravissime queruntur pisces apud Athenaeum VI p. 227 a et VII p. 311 e

Αἰγύπτιος μιαρώτατος τῶν ἰχθύων κάπηλος
Ἑρμαῖος, ὃς βίᾳ δέρων ῥίνας γαλεούς τε πωλεῖ
καὶ τοὺς λάβρακας ἐντερεύων, ὡς λέγουσιν ἡμῖν.

Praeconis partes in piscium agmine sustinuisse videtur βόαξ, salpingis σάλπης. V. Athenaeum VII p. 322 a

---

ligentia Elmsleii ad Euripidis Med. 96, qui quod se ignorare dicit quo auctore Fabricius B. G. II p. 310 Melanthium Philoclis filium esse dixerit, non meminerat Morsimum, qui frater Melanthii fuit (Aristoph. Pac. 808 c. schol.), Philoclis filium perhiberi a Schol. Equit. 403.

'Εἤρυξεν βόαξ,
σάλπης δ' ἐσάλπιγξ' ἑπτ' ὀβολοὺς μισθὸν φέρων.

Quamquam haec etiam de Atheniensibus intelligi posse video, ut nominibus *βόαξ* et *σάλπης* ad notos quosdam aequalibus homines poeta alluserit. Eandem certe rationem in aliis fabulae partibus tenuit, velut in ipso illo foedere, in quo quae commemorantur Atheniensium nomina ex piscium nominibus frigida quadam vernilitate sunt inflexa; quo spectant etiam, ni fallor, verba ab Athenaeo VII p. 277 f servata, *ὅτε δ' ἥσθες 'Αμίας τὰς παχείας*, et quae idem attulit p. 331 c *ἄνδρες ἰχθύες*, quibus nescio quis pro usitata oratoribus formula, *ἄνδρες 'Αθηναῖοι*, in Archippi fabula usus esse videtur. Eodem alium versum rettulerim haud dubie ex eadem fabula petitum apud Athenaeum III p. 86 c. *Κῆρυξ θαλάσσης τρόφιμος υἱὸς πορφύρας*, quo Cerycum familiam respici puto, quemadmodum Galeotas tetigit in loco a Stephano Byzantio s. v. *Γαλεῶται* servato:

A. τί λέγεις σύ; μάντεις εἰσὶ γὰρ θαλάττιοι;
B. γαλεοί γε πάντων μαντέων σοφώτατοι.

Quos versus ex ea fabulae parte desumptos esse suspiceris, in qua de sacris actum fuit, a quibus nec sacerdotem abfuisse docet locus ab Athen. VII p. 315 b servatus:

'Ιερεὺς γὰρ ἦλθ' αὐτοῖσιν ὀρφὼς τοῦ θεοῦ.

Denique e praelii inter pisces et lurcones descriptione ductus videtur hic locus apud Athenaeum VII p. 301 a:

Καὶ τὴν μὲν 'Αφύην καταπέπωκεν ἐντυχὼν
'Εψητός.

Ubi rursus in ambiguo lusit, si quidem *'Αφύη* meretriculae cognomen est apud Athenaeum XIII p. 386 a. cll. VIII p. 339 b. Temporis quo acta est fabula tenue quidem at indicium tamen praebet Euclidis commemoratio apud Athe-

naeum VII p. 329 c *καὶ Εὐκλείδην τὸν ἄρξαντα*. Acta igitur est post Olymp. XCIV 2.

Reliquae Archippi fabulae, quae quidem commemorantur ab antiquis grammaticis, sunt *Ἀμφιτρύων, Ἡρακλῆς γαμῶν, Ὄνοι σκιά, Πλοῦτος* et *Ῥίνων*. Amphitruonis duplex fuit recensio, ut constat ex Athenaeo III p. 95 c et X p. 426 b et Hesychio: *ἐπενώτισεν, ἐφώρμησεν. Ἀμφιτρύωνι δευτέρῳ*, ubi Archippi nomen excidisse viderunt Meursius et Florens Christ. Fortasse igitur etiam tertio Athenaei loco XI p. 494 b *Ἄρχιππος ἐν Ἀμφιτρύωνι οὐδετέρως (τὸ σκύφος) εἴρηκε*, ante *οὐδετέρως* addendum est *δευτέρῳ*. Non addita recensionis significatione Amphitryonem laudant Grammatici Bekkeriani p. 83 20. 105 16. 452 28. Argumentum fabulae, quamquam e fragmentis nihil efficias, vix tamen diversum esse potuit ab eo quod Plautus graecos auctores sequutus in cognomine fabula tractavit.

Ἡρακλῆς γαμῶν in quo argumento versata fuerit, titulus fabulae satis indicat. Nuptialium epularum apparatus commemoratur in fragmentis apud Athenaeum XIV p. 640 f. 656 b. cll. VII p. 307 d et Anecd. Bekk. I p. 371.

Quam *Ὄνου σκιὰ* inscripsit testibus Schol. Aristoph. Vesp. 191 *καὶ Ἀρχίππῳ δὲ κωμῳδία γέγονεν Ὄνου σκιά*, Zenobio VI 26 cll. Photio Lex. p. 291, *Ἀριστοτέλης δὲ ἐν Διδασκαλίαις καὶ δράματός τινος φέρει ἐπιγραφὴν Ὄνου σκιάν*, eam simpliciter *Ὄνον* appellant idem Photius p. 280 s. v. *ὀμώμοκα* et Harpocratio s. v. *τοπεῖον*.

In Pluto fabula Hemsterhusius ad Pollucem X 136 poetam docuisse coniicit, veras divitias non in profundendis divitiis et eleganti vita, sed in honesta parsimonia consistere. Ex fragmentis hoc unum efficias, hominem in ea repraesentatum fuisse, qui ex paupere repente dives factus esset. Etymol. M. p. 357 26. *Ἄρχιππος Πλούτῳ Νῦν οὖν ἐγενόμην*

χρημάτων ἐπήβολος. Ita enim legendum esse pro *Πλουτῶν νῦν ἐγενόμην* monui Curis crit. p. 48. Ad eiusdem hominis divitias spectant etiam *πλατυπόρφυγα ἱμάτια* ex hac fabula a Polluce VII 63 allata. Cetera fragmenta vide apud Scholiastam Aristophanis Av. 1647, Vesp. 416 et Pollucem X 136.

Denique *Ῥίνωνι* fabulae, ab Athenaeo XV p. 678 e et Polluce II 183. VII 199. X 177 commemoratae, nomen fortasse ab illo Rhinone inditum fuit quem soluto quadringentorum imperio in decem illis praetoribus numerant Isocrates c. Callim. p. 446 Bekk. et Heraclides Polit. p. 502 Crag. ubi *ἀνὴρ καλὸς κἀγαθὸς* dicitur. Eiusdem nomine inscriptus ferebatur dialogus Aeschinis Socratici, memoratus ille Diogeni Laert. II 7 et Polluci VII 103. Cfr. Harpocratio p. 164 13. Neque ad alium spectare videntur haec Photii: *Ῥίνων, ὄνομα κύριον.*

Ceterum haud indignum est memoratu fuisse qui quattuor fabulas in Aristophaneis habitas, Poesin Naufragum Insulas et Niobum, Archippo tribuerent. Anonymus in vita Aristophanis p. XXXVIII *ἔγραψε δὲ δράματα μδ΄, ὧν ἀντιλέγεται τέσσαρα ὡς οὐκ ὄντα αὐτοῦ. ἔστι δὲ ταῦτα, Ποίησις, Ναυαγός, Νῆσοι, Νίοβις* (Dindorfius *Νίοβος*), *ἅ τινες ἔφασαν εἶναι τοῦ Ἀρχίππου.* Harum fabularum quae *Ναυαγός* vel *Δὶς ναυαγός* inscripta fuit nulla supersunt fragmenta, nisi forte apud Polluc. X 33, de quo loco vide Dindorfii Fragm. Arist. p. 154. *Νήσων* et *Νιόβου* reliquias idem collegit p. 130 et 154 sqq. Quam praeterea Fabricius Archippo tribuit fabulam *Ἱππεῖς*, eam ex *Ἰχθύσιν* corruptam esse vidit Casaub. ad Athen. VI p. 227 a. Denique Sevini commentum ab Harlesio commemoratum, Archilochi (sive potius Dinolochi) Telephum apud Athen. III

p. 111 e Archippo tribuentis, verbo tetigisse sufficiat. Incertarum fabularum fragmenta supersunt duodecim. In orationis conformatione et verborum usu quae singularia habet Archippus fere haec sunt. *Ἐωθὼς* pro *εἰωθὼς* dixit apud Photium Lex. p. 47 17, *ἔσθειν* pro eo quo vetustiores Attici constanter usi sunt *ἐσθίειν* apud Athenaeum VII p. 277 f, *ὦ κύων* pro *ὦ κύον* apud Antiattic. p. 105 16. *ὁ ξυρὸς* pro *τὸ ξυρὸν* apud Polluc. X 177. *κηπωρὸς* pro *κηπουρὸς* ibid. VII 148. *τὸ σκύφος* pro *ὁ σκύφος* apud Athanaeum XI p. 494 b. *συμπατριώτης* pro *πατριώτης* apud Antiattic. p. 113 20. *ἐπινωτίζειν* i. e. *ἐφορμᾶν* apud Hesychium vol. I p. 1326, quamquam id etiam Euripides hoc sensu dixit. Porro *παντοπωλία* apud Polluc. VII 28. *ξύστρα* apud Herodianum Lobeck. p. 460. *ἀσκοθύλακος* apud Grammat. Bekk. p. 452 28. Sed *ῥύγχος* de facie humana comice lusit Athenaeo teste III p. 95 e. Novorum verborum quaeque ipse primus finxisse videtur duo habeo exempla, *αὐξίκερως* apud Athenaeum XIV p. 656 b *ταύρου τ' αὐξικέρω φλογίδες | αἵ δολιχαί τε κάπρου φλογίδες* (leg. *σκελίδες*), et *κλασαυχενεύεσθαι* apud Plutarchum Alcib. cap. 1.

ARISTOMENES, Atheniensis, quem antiquae an mediae poetis comoediae accenseat haerere videtur Schweighaeuserus ad Athen. vol. VII p. 647. Atqui accurate aetatem eius indicat Suidas: *Ἀριστομένης Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, οἳ ἦσαν ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν, Ὀλυμπιάδων πζ.* Eadem Eudocia p. 65 servans illa etiam corruptum *Ὀλυμπιάδων*, quod in *Ὀλυμπιάδι* mutavit iam Portus. E Suida profecit Scaliger in Olympiadum *ἀναγραφῇ*, qui aetatem Aristomenis rettulit ad Olymp. LXXXVII 1. Antiquae Aristomenem fuisse poetam comoediae docet etiam Scholiasta Aristophanis argumento Equitum, ex quo eum Olymp. LXXXVIII 4. *Ὑλοφό-*

ρους [26]) cum Aristophanis Equitibus et Cratini Satyris in certamen commisisse intelligitur. Sed in Suidae verbis ambigi video de sensu verborum τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, quae I. G. Vossius interpretatur: unus eorum, qui secundarii vocantur. Paullo melius Portus: ex iis qui antiquam comoediam sequuti sunt. Similiter Kusterus: qui comoediae antiquae proximi fuere. Denique Toupius Emend. in Suid. III p. 95 ex eorum numero qui nec primi nec secundi sed paullo post floruerunt. Nihil horum ab omni parte verum est. Videntur potius veteres critici antiquae comoediae poetas in duas quasi classes dispescuisse, in antiquiores, qui ante bellum Peloponnesiacum inclaruissent, et sequiores, qui ipsis belli temporibus florerent. Hos illi τοὺς ἐπιδευτέρους vocasse videntur. Ad eandem plane rationem Phrynichum τοῖς ἐπιδευτέροις accensuit Suidas. Ac similiter decem oratorum delectus, quem sequiores ad veterum illorum normam instituerunt, οἱ ἐπιδεύτεροι δέκα ῥήτορες appellati sunt. Suidas v. Νικόστρατος. ἐτάχθη δὲ ἐν τοῖς κριθεῖσιν ἐπὶ δευτέροις (immo ἐπιδευτέροις) δέκα ῥήτορσιν. Cfr. Iacobsius ad Anthol. Animadv. III 1 p. 202. Vidimus igitur Aristomenem iam quarto anno Olymp. LXXXVIII fabulas docuisse. Idem quum in argumento Pluti Olymp. XCVII 4 simul cum Aristophanis Pluto Admetum commisisse dicatur, praelongam viro vitam obtigisse censendum esset, nisi permirum videri deberet, quod in tanta vitae longinquitate quinque tantum fabularum auctor perhibetur. Itaque Admeti commissionem ad primam Pluti editionem spe-

[26]) Ita nunc e codice editum. Vulgo Ὀλοφυρμούς, quod fabulae nomen de captorum Lacedaemoniorum lamentationibus explicabat Rankius Vita Aristophanis p. CCCLXXXVIII.

ctare arbitror. De ceteris viri rebus nihil compertum habemus, nisi quod aut ipse aut pater eius fabrilem artem factitasse videtur, quam qui opprobrio ei vertere vellent, *θυροποιὸν* eum appellabant, teste Suida l. l. et Hesychio, *Θυροποιός: οὕτως ἐκαλεῖτο Ἀριστομένης ὁ κωμικὸς ποιητὴς σκωπτικῶς.* Fabularum titulos, praeter *Ὑλοφόρους* et *Ἄδμητον*, quarum nihil servatum est, commemorantur tres.

Primum *Βοηθοί*, cuius titulus in *Μῦθοι* corruptus est apud Macrobium Sat. V 20, ut patet e Suida s. v. *ψαμμακοσιογάργαρα* et Scholiasta Aristophanis Acharn. 3. Eadem apud Priscianum XVII p. 91 et 232 ed. Krehl. Aristophani tribuitur, cui Aristomenis nomen substituendum esse post Reinesium monuit Brunckius Fragm. Aristoph. p. 122 Lips. Contra recte Aristomeni assignatur apud eundem Priscianum XVIII p. 250, ubi cod. Monac. apud Spengelium Appendice ad Varronem p. 627 habet Cristomenes. Aristophanis et Aristomenis nomina confunduntur etiam apud Pollucem VII 211, Athenaeum XIV p. 658 a et Phrynichum App. soph. p. 23, ubi Aristomenis nomen reponendum esse monuit me ante complures annos Dindorfius. V. Athenaeum I p. 11 d.

Quam *Γόητες* inscripsit fabulam, in ea praestigiatores et id genus homines lusisse videtur. Eo spectat, ni fallor, locus a Scholiasta Aristophanis Thesmoph. 258 servatus:

παντευχίαν δεῖ τοῦ θεοῦ ταύτην λαβεῖν
καὶ περίθετον πρόσωπον, ὃ λαβὼν ἕσταθι.

Praeterea quinque laudatur locis.

In *Διονύσῳ ἀσκητῇ* Eupolidis, ut videtur, in Taxiarchis exemplum sequutus, mollem et effeminatum deum duris athletarum et luctatorum laboribus exposuit, in quibus etiam *σφαιρομαχίαν* fuisse docet Pollux III 150. Eodem pertinet versus apud Athenaeum XIV p. 658 a

ἁλίπαστα ταῦτα παρατίθημί σοι κρέα,

qui athletarum cibus fuit. Pleniorem fabulae titulum Pollux servavit, ubi legitur παρὰ Ἀριστομένει ἐν Διονύσῳ ἀσκητῇ, pro quo cod. P habet παρὰ Ἀριστομένει ἀσκηταῖς. Apud Athenaeum l. l. et 650 d *Διόνυσος* dicitur. Ex incertis fabulis tria supersunt frustula apud Athenaeum I p. 11 d, Pollucem VII 167 et Harpocrationem p. 127 9. Ceterum vix operae pretium est monere praeter hunc Aristomenem alium cognominem ἀρχαίας κωμῳδίας ὑποκριτὴν Hadriani libertum commemorari ab Athenaeo III p. 115 a.

CALLIAS. De hoc ita Suidas: Καλλίας, Ἀθηναῖος κωμικός, υἱὸς Λυσιμάχου, ὃς ἐπεκλήθη Σχοινίων, διὰ τὸ σχοινιοπλόκου εἶναι πατρός. Hunc Demosthenis aetate vixisse credidit Luchesinus ad Demosthenis Olynth. II p. 23 20. Sed antiquae poetis comoediae adscribendum esse, expressum docet Athenaei testimonium lib. X p. 453 c, ubi proxime ante Strattidem floruisse dicitur. Strattis autem fabulas videtur docuisse inde ab Olymp. XCII. Eundem Cratini fuisse aemulum intelligitur e Schol. Aristoph. Equ. 526, quo de loco dixi supra p. 54. Itaque fabulas iam ante Olymp. LXXXIX docuisse censendus est. Vitam autem minimum produxit ad usque Olymp. XCIV 3, si tamen recte apud Athen. XIII p. 577 b, ubi hodie legitur: Ἀριστοφῶν (Azeniensis) ὁ ῥήτωρ ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος, ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι, αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ Καλλιάδου τοῦ κωμικοῦ ἐκ Χορηγίδος τῆς ἑταίρας παιδοποιησάμενος, Calliae nomen pro Calliade reponendum coniecimus. Vide infra ubi de Diphilo agitur. Schoenionis cognomen, quod illi haesisse affirmat Suidas quoniam restiario patre usus sit, fortasse Cratino acceptum tulit. V. Hephaest. p. 97 Gaisf. Sed de hoc ad fragmenta dicetur Cratini. Fabulas Calliae Suidas commemorat sex: Αἰγύπτιος Ἀταλάντη Κύκλωπες Πεδῆται Βάτραχοι Σχο-

λάζοντες. Atalante semel commemoratur Zenob. IV 67 *Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον· ἕλκε μοιχὸν εἰς μυχόν: ταύτης μέμνηται Καλλίας ἐν Ἀτελεστῇ.* Recte Canterus aliique *Ἀταλάντῃ.* Frequens Cyclopum mentio, sed ut ad argumentum fabulae perspiciendum nihil inde proficias, nisi quod lautae in ea epulae celebratae esse videntur. Hinc suspicari licet ad Cyclopas etiam alia Calliae fragmenta omisso fabulae nomine ab Athenaeo II p. 57 a et Clemente Alex. Str. VI p. 264 servata referenda esse. Eandem fabulam ab aliis Diocli tributam fuisse, docet Athenaeus IV p. 140 e. VII p. 300 a. XII p. 524 f. 667 d. In *Πεδήταις* Lamponem Euripidem Socratem Acestorem et Melanthium traductos fuisse e fragmentis perspicitur apud Athenaeum VIII p. 344 e, Scholiastam Aristophanis Av. 31. 151 et Diogenem Laertium II 18. Praeterea commemoratur a Polluce VII 113, Etymologo M. p. 301 55, Athenaeo IV p. 176 f, fortasse etiam Scholiasta Platonis Bekk. p. 391. Vid. supra p. 182. Ceterarum quas Suidas commemorat fabularum nihil reliquum est. At eidem, ut videtur, Calliae tribuitur *Γραμματικὴ τραγῳδία.* Vid. Athenaeus VII p. 276 a. X 448 b et p. 453 c. Sed de hoc scripto nullus hic dicendi locus est.

HEGEMO, Thasius, Cratini senescentis et Alcibiadis aequalis, ut constat ex Athenaeo XV p. 698 c et Chamaeleonte apud eundem IX p. 406 e. Antiquae comoediae adscriptum fuisse a nonnullis diserte memoriae prodit Athen. I p. 5 b *Ἡγήμων ὁ Θασιος ὁ ἐπικληθεὶς Φακῆ, ὃν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τινὲς ἐντάττουσιν,* credo propter Philinam fabulam, de qua ita Athenaeus XV p. 699 a *γέγραφε δὲ καὶ κωμῳδίαν εἰς τὸν ἀρχαῖον τρόπον, ἣν ἐπιγράφουσι Φιλίνην,* ubi qui dicatur *ὁ ἀρχαῖος τρόπος* intelligerem equidem, si novae comoediae temporibus vixisset Hegemo, quemadmo-

dum c. c. Virginius Romanus apud Plinium Epist. VI 19 fabulam ad exemplar veteris comoediae scriptam legisse dicitur; nunc autem iis Hegemon vixit temporibus, ubi antiquae comoediae suus adhuc constabat honos. Fortasse igitur antiquissimam comoediae formam intellexit, qualis ante Cratinum fuit scurrilium dicteriorum procacitate insignis. Comparare licet Epicharmi fragmentum apud Hephaestion. VIII p. 45

οἱ τοὺς ἰάμβους καττὸν ἀρχαῖον τρόπον,
ὧν πρᾶτος εἰσηγήσαθ' Ὠριστόξενος,

Huius fabulae unum fragmentum superest apud Athenaeum III p. 108 e. Sed eundem etiam aliarum fabularum auctorem fuisse nescio an ex Chamaeleontis loco apud Athenaeum IX p. 406 f colligere liceat: *εἰσῆλθέ ποτε καὶ εἰς τὸ θέατρον διδάσκων κωμῳδίαν λίθων ἔχων πλήρες τὸ ἱμάτιον, οὓς βάλλων εἰς τὴν ὀρχήστραν διαπορεῖν ἐποίησε τοὺς θεατάς*, quae ad ipsam illam Philinam spectare non verisimile est. Maiorem tamen ille e Parodiis, quas plurimas scripsit, consequutus est gloriam, de quibus nullus hic dicendi locus est.

LYCIS, ignobilis poeta, quem simul cum Amipsia et Phrynicho commemorat Aristophanes Ran. 14

ποιήσω μηδὲν ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκις κἀμειψίας,

ubi Scholiastes: *ὡς ψυχρὸς κωμῳδεῖται. λέγει δὲ αὐτὸν καὶ Λύκον, οὗ οὐδὲν φέρεται.* Similia vide apud Suidam s. v. *Λύκις.* De permutatione nominum Lycis Lycus et Lycius cfr. Ruhnkenius ad Rutilium Lupum p. 100.

LYSIPPUS. Tragicis poetis hunc praeter alios accensuit I. G. Vossius de Poetis Gr. p. 227. Similis vel librariorum error vel ipsius Eudociae in Viol. p. 282 *Λύσιππος, τραγικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ εἰσὶ Βάκχαι. καὶ*

ἕτερα αὐτοῦ δράματα. Eadem Suidas, sed omissa voce *τραγικὸς* et in fine additis *ὡς Θυρσοκόμος.* Temporis, quo vixerit, certissimum indicium praebet Didascalia marmorea ab Oderico edita lin. 6 *ἐπὶ Ἀντιλοχίδου . . . ὑσιππος ἐνίκα μεν . . . . πον Καταχῆναις.* Vicit igitur fabula *Καταχῆναι* inscripta Olymp. LXXXVI 2. Itaque recte cum Callia eum coniungit Athenaeus VIII p. 344 e *Λάμπωνα τὸν μάντιν — κωμῳδοῦσι Καλλίας Πεδήταις καὶ Λύσιππος Βάκχαις.* Baccharum satis frequens mentio, velut apud Athenaeum III p. 124 d. VIII p. 344 e, Pollucem III 77. 89. X 50. 154 et Stephanum Byz. s. v. *Θεσσαλία*, ubi olim *Λύσις* legebatur pro *Λύσιππος.* Ex eadem fabula ductus est quem omisso dramatis titulo servavit versum Pollux VII 41

οὐδ᾽ ἐπικνάψας καὶ θειώσας τὰς ἀλλοτρίας ἐπινοίας,

qui ex parabasi, in qua aemulorum poetarum iniurias propulsasse videtur, petitus est. Sed de his ad fragmenta dicam copiosius. De *Θυρσοκόμῳ* ab uno Suida commemorato quod statuam non habeo. Ex incertis fabulis quae afferuntur fragmenta, eorum non indignum memoratu est quod servavit Dicaearchus Descr. Graec. p. 10. Athenarum encomium complectens elegantissimum. Eiusdem poetae nomen pro Chrysippo restituendum suspicabar Etymol. M. p. 531 54 *οἱ κλάδοι, οὓς κόρους καλοῦσιν — ὡς καὶ Χρύσιππος·*

Ἀλλὰ δᾷδας ἡμμένας ἐμοὶ δότω τὶς ἔνδοθεν,
καὶ κόρους πλεκτοὺς ἀκραιφνεῖς μυρρίνης —

Quamquam T. Hemsterhusius ad Plutum p. 469 et Porsonus Adv. p. 267 e Strattidis Chrysippo haec ducta putant. Denique alius Lysippus videtur is cuius meminit Photius Lex. p. 498 3. *Σάμακα: Ἐρατοσθένης ἀπέδωκε τὸν φορμόν. ἄμεινον δὲ τὸν τοξικὸν κάλαμον.* *οὕτω Λύσιππος.* Nisi forte Lysaniae aliusve grammatici nomen latet.

LEUCO. De eo ita Suidas: *Λεύκων Ἀγνῶς γεγονὼς ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς. Τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶ ταῦτα. Ὄνος, Ἀσκοφόρος, Φράτορες.* Ita MS Paris. pro *Ἁγνός,* quod servat Eudocia p. 282. Corrigunt *Ἀγνούσιος.* Praestare videtur *Ἅγνωνος,* Hagnonis filius, ut voluit Toupius Emend. I p. 382. Recte autem tempore belli Peloponnesiaci eum vixisse Suidas dicit, siquidem Melanthium ridet apud Athenaeum VIII p. 343 c et Hyperbolum apud Hesychium v. *Πάαπις.* Adde quod *Πρέσβεις* simul cum Aristophanis Vespis docuit Olymp. LXXXIX 2 et anno post *Φράτερας* cum Aristophanis Pace et Eupolidis Adulatoribus. In utroque certamine tertius habitus est, ut constat e didascaliis fabularum Aristophanearum. Ex fabulis eius quam primo loco Suidas commemorat *Ὄνος ἀσκοφόρος* (unius enim hic dramatis titulus est, ut vidit iam Portus), eius quod argumentum fuisse videatur ingeniose explicuit Boeckhius Oeconom. Att. I p. 347. «Dahin leitet die Erzaehlung «bei Zenobius I 74, Mich. Apostol. II 68 u. a. von einem «angeblichen Bauern Leucon. Dieser that nemlich, wie be«hauptet wird, Honigschlaeuche in Tragkoerbe, worauf oben «Gerste lag, und brachte sie nach Athen, wo er alles für «Gerste ausgab: der Esel fiel, die Zoellner fanden, indem «sie ihm hülfreiche Hand leisten wollten, den Honig und «nahmen denselben weg. Diese Geschichte ist zwar ver«muthlich ersonnen, und sie begegnete keinem Leukon: «Leukon war ein Athenischer Komiker — und hatte des «Bauern Missgeschick in einem Stücke, *Ὄνος ἀσκοφόρος* «genannt, auf die Bühne gebracht.» Fragmentorum nihil servatum est, ut nec *Πρέσβεων.* Quam *Φράτερες* inscripsit fabulam, ea monente etiam Casaubono ad Athen. VIII p. 343 c minus recte a Suida vocatur *Φράτορες.* Neque aliter in didascalia Pacis *τρίτος Λεύκων Φράτορσιν.* Genui-

nam formam, de qua vide Buttmanni commentationem de *φρατρίᾳ* p. 33 et Schaeferum Appar. Demosth. V p. 561, in nostrae fabulae titulo servant Athenaeus VIII p. 343 c. Hesychius s. v. *Πάαπις* et Photius Lex. p. 587 18 *Τίβιοι· ἔθνος, Λεύκων ἐν Φράτερσιν· τάχα δὲ οἱ αὐτοὶ τοῖς Τιβαρηνοῖς.* Ita enim recte scripsit Porsonus pro *Λευκὸν ἐν Φρατέρσεσιν.* Eadem forma reddenda Xenophonti Hellen. I 7. 8, Aeschylo Eumen. 626 et ex codicibus Polluci III 42 aliisque locis. In accentu passim erratum videas, ut apud Etymol. M. p. 799 34, ubi scribitur *φρατήρ.* Paxoxytonon esse docet Theodosius Bekkeri Anecd. p. 992 11 *τῶν εἰς ηρ βαρυτόνων ὅσα μακρᾷ παραλήγεται, διὰ τοῦ ε κλίνεται, φράτερος, Πίερος.*

METAGENES, Atheniensis, servi filius, si Suidae et Eudociae fides. Aetatis indicium satis certum praebent quae tradidit Scholiasta Platonis Bekk. p. 332, ubi Lyconem Autolyci patrem ab eo exagitatum esse legimus, et Scholiasta Aristophanis Av. 1297, ubi una cum Aristophane Phrynicho et Platone ut Midiae irrisor commemoratur. Fabularum tituli perpauci servati sunt. Suidas: *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι ταῦτα. Αὖραι, Μαμμάκυθος* (Eudocia *Μαρμάκουθος*), *Θουριοπέρσαι, Φιλοθύτης, Ὅμηρος* (Eudocia *Ὁμέρης*) *ἢ Ἀσκηταί.* In his quae primo loco commemorantur *Αὖραι* et *Μαμμάκυθος* ad unius fabulae titulum ita sunt coniungendae ut scribatur *Αὖραι ἢ Μαμμάκυθος.* Sic enim vocatur fabula apud Athenaeum VIII p. 355 a *ἐπειπὼν τὸ ἐκ Μαμμακύθου ἢ Αὐρῶν Μεταγένους ἰαμβεῖον.* Scrupulum tamen iniicit alius Athenaei locus XIII p. 571 b *κατὰ τὰς Μεταγένους Αὔρας ἢ τὸν Ἀρισταγόρου Μαμμάκυθον.* Quae verba sic interpretanda putamus, ut quam Metagenes fabulam sub *Αὐρῶν* nomine docuisset, eam postea retractarit Aristagoras et *Μαμμακύθου* nomine inscripserit, quae

res confirmari videtur eo, quod nusquam laudatur Aristagorae *Μαμμάκυθος* (vide praeter locos citatos Suidam s. v. *ἀνθέων*, Antiatticistam Bekkeri Anecd. p. 85 et aliud Lexicon ibid. p. 404), neque unquam Metagenis *Μαμμάκυθος* sed ubique *Αὖραι*. Vid. Athenaeus IX p. 385 b, Scholiasta Aristophanis Av. 873, Harpocratio p. 259. Atque ita etiam alter Athenaei locus intelligendus est: *Μαμμάκυθος ἢ Αὖραι Μεταγένους*, ubi Metagenis nomen non ad Mammacythi sed ad *Αὐρῶν* commemorationem spectat. Mammacythum autem illic tanto magis omisso Aristagorae nomine ad partes vocare potuit Athenaeus, quo minus inter veteres constabat Aristagorasne an alius eius fabulae auctor habendus esset. Quam in rem insignis est locus Scholiastae Aristoph. Ran. 1017 *Μαμμάκουθοι Ἀρίσταρχος μέν φησιν ὠνοματοπεποιῆσθαι. πῶς οὖν Δημήτριός φησιν, εἰ μὴ σύνηθες αὐτοῖς* (fort. *Ἀττικοῖς*) *τὸ ὄνομα, οὗ καὶ δρᾶμα ὅλον οὕτως ἐπιγέγραπται Μαμμάκουθος, ὅ τινες Πλάτωνος λέγουσιν.* Quorum verborum sensus vix alius esse potest nisi hic: qui igitur Demetrius hoc nomine uti potuit, cuius adeo integrum drama ab aliis Platoni tributum *Μαμμάκυθος* inscriptum est? Ubi Demetrium intellige poetam comicum, de quo infra dicemus. Nisi forte corruptum locum statuas atque ita corrigendum: *Πῶς οὖν, Δημήτριός φησιν, εἰ μὴ σύνηθες Ἀττικοῖς τὸ ὄνομα ἦν, καὶ ὅλον δρᾶμα* etc. qui igitur, Demetrius respondet Aristarcho, nisi nomen Atticis familiare fuit, integrum adeo drama hoc nomine inscriptum est? Ut Demetrius intelligatur grammaticus, vulgo Ixion dictus, acerrimus ubique Aristarchi adversarius. Vid. Suidas s. v. *Δημήτριος*. Scholiast. Aristoph. Ran. 78. 1001. 1021. Idque verum arbitror. Sed quicquid est, illud non dubium videri potest Mammacythi auctorem alios alium per-

hibuisse, unde non mirum apud Photium s. v. *σπεῖρα* nullo auctoris nomine adiecto legi: *οὐχ ὅπως παρὰ τοῖς τραγικοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐν Μαμμακύθῳ.* Similiter Glossae veteres: Mammacuthus, *δρᾶμα.* Ita enim pro Mammaculus emendavit Meursius. Ceterum fallitur Casaubonus ad Athen. XIII p. 571 b etiam Epigeni Mammacythum tribui dicens, de quo nihil uspiam legitur; ac fortasse Metagenem scribere voluit. Neque rectius de Aristagora disputat, cuius adeo nomen corruptum esse statuit, quam dubitationem satis nunc tollunt grammatici Segueriani. Praeterea Aristagoram ab uno commemoratum reperio Photio Lex. p. 107 13 *Ἱμάντας: τοὺς τῶν ἱστίων. Ἀρισταγόρας*, et si recte coniicio p. 204 13. *Λακκόπεδον: τοὺς ὄρχεις· οὕτως Ἀνταγόρας.* Antagorae Rhodii poetae commemoratio ab hoc loco aliena. Scribendum videtur *Ἀρισταγόρας*. Utraque glossa fortasse ad eundem illum Mammacythum referenda est. Alius Aristagoras est is, quem commemorat Scholiasta Nub. 827, ubi vide Hermannum. Ceterum de *Μαμμάκυθος*, quo stupidum bardumque hominem notari constat, vide praeter Eustathii Opusc. p. 89. 103 Meursii Lect. Att. I 4, interpretes Aristophanis Ran. 1017 et Osannum ad Philem. p. 15.

Sequuntur *Θουριοπέρσαι*, quam nunquam in scena exhibitam esse diserto Athenaei lib. VI p. 270 a scimus testimonio. De argumento non magis quam de inscriptionis ratione constat. Nam qui Thuriorum eversores reddidit Schweighaeuserus ad Athen. vol. III p. 591 fortasse Heynium sequutus Opusc. Acad. I p. 175, merito improbatus est Lobeckio Paralip. gramm. I p. 78 et Passovio Melet. in Aeschyli Persas p. 45, qui recte Thurios intelligit Persarum more mollitiei et luxuriae deditos. In uno longiori fragmento apud Athenaeum VI p. 269 comica exaggeratione Thuriorum fertilitas praedicatur. E reliquis fragmentis apud

Athenaeum VI p. 228 e. VII p. 327 c, Suidam et Photium s. v. *τίς τρόπος ἵππων*, et apud Antiatticistam p. 114 nihil efficias.

Minus etiam de tertia Metagenis fabula constat, quam miro isto et obscuro titulo *Ὅμηρος ἢ Ἀσκηταὶ* inscripsit, si Suidae fides. Ea simpliciter *Ὅμηρος* vocatur apud Scholiastam Platon. Bekk. p. 332 et ad Aristophanis Av. 1297, ubi fallitur Bentleius opusculum de Homero laudari existimans ideoque pro Metagene Theagenis nomen reponens. Eidem fabulae Schweighaeuserus etiam alium locum ab Athenaeo VI p. 271 a. servatum adscribit, qui cum Homericorum versuum parodiam contineat, priorem fabulae titulum commode explicat. Cfr. Fritzschius Quaest. Aristoph. I p. 285. Alteram tituli partem comparare licet cum inscriptione fabulae Aristomeneae *Διόνυσος ἀσκητής*, de qua vide quae supra p. 212 attulimus.

Denique *Φιλοθύτην*, qua fabula civium superstitionem taxasse videtur (cfr. Schol. Vesp. 82) laudat Athen. X 88 et iterum XV p. 700 f cll. Antiatt. p. 91, Scholiasta Ven. Aristophanis Vesp. 1221, Pollux VI 103. X 115, qui quae ex incerta fabula profert VI 40 et ipsa ex *Φιλοθύτῃ* ducta esse docet Antiatt. p. 106. Incertorum dramatum non nisi duo fragmenta servata sunt ab Erotiano gloss. Hippocr. p. 314 et Polluce III 76.

STRATTIS, Atheniensis. Huius aetatem Athenaeus X p. 453 c ita definit, ut eum Callia paullo minorem fuisse dicat, *Καλλίας μικρὸν ἔμπροσθεν γενόμενος τοῖς χρόνοις Στράττιδος*. Itaque fabulas docere coepit fere inde ab Olympiade XCII. Idem attigit tempora Sannyrionis et Philyllii, quorum alterum ipse commemorat apud Scholiastam Aristophanis Plut. 1195, alterum, Sannyrionem, ridet apud Athenaeum XII p. 551 c et Pollucem X 189. Sed eundem

ultra Olymp. XCIX fabulas docuisse ex loco apud Athenaeum XIII p. 592 d, ubi Isocratem senem propter Lagiscae amores notasse dicitur, certissime colligitur. Cfr. Clintoni Fast. p. 103 Kr. Nomen viri passim Stratis scriptum reperitur, de quo vide quae dixerunt T. Hemsterhusius ad Plut. p. 165. 470 et Schweighaeuserus ad Athenaeum X p. 415 c. Unice veram nominis huius scripturam esse *Στράττις*, docet etiam versus ille Anacreontis: *τὸν λυροποιὸν ἡδόμην Στράττιν ἐι κομήσει*, apud Hephaest. XV p. 96. Cfr. Etymol. M. p. 730 38 *ὥσπερ παρὰ τὰ Βάκχος γίνεται Βάκχις* [27]), *Κρόνος Κρόνις, Δῆμος Δῆμις καὶ Δᾶμις, οὕτω στρατὸς Στράτις καὶ πλεονασμῷ τοῦ τ Στράττις.* Ubi pro *Κρόνος Κρόνις* legendum videtur *Κόννος Κόννις*, quo nomine novimus fabulatorem Cilicem apud Theonem in Walzii Rhet. vol. I p. 173. Hinc apertum est recte legi apud Hesychium, *Κόννις: αὐλητὴς πενίαν ἔχων καίπερ ὢν ἄριστος*; pro quo *Κόννος* vel *Κοννᾶς* scribi volunt. *Κόννος Κόννις Κοννᾶς* eiusdem nominis diversae formae sunt. Mediocris iudicii poetam Strattin fuisse, haud obscure indicat, quod Oreste Euripidis impense delectatus est, ut docet locus apud Schol. Orest. 278. Frigidos et ineptos verborum lusus fuisse qui ei obiicerent, colligas ex Hesychio s. v. *κολεκάνοι*, ubi laudatur *Στράττις ἐν τῷ φορτικῷ δράματι*, quo Cinesias fabula significari videtur. Casauboni enim errorem (ad Athenaeum VIII p. 327 e), qui ex ipsa illa Hesychii glossa *Φορτικός* comoediae titulum fuisse putabat, verbo tetigisse sufficiat. Paullo diversa interpretatio placuit Lobeckio Aglaoph. p. 1326 qui *φορτικὸν δρᾶμα* de obscaeno dramate

---

[27]) *Βάκχις* sive *Βύκχις* notum nomen ex Alcaeo lyrico apud Athenaeum X p. 430 c, ubi minus recte scribitur *ω Βυκχί.*

intelligit. Fortasse recte, quamquam certissimum est *φορτικὸν* frequenti usu dici de scurrilibus et ineptis comicorum poetarum lusibus. Aristophanes Nub. 524 *εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν ἡττηθείς*, quibus verbis invidiose Cratini et Amipsiae inficetas facetias significat. Similiter Vesp. 66 *λογίδιον κωμῳδίας φορτικῆς σοφώτερον*. Aristoteles Eth. Nicom. IV 8 *οἱ μὲν οὖν τῷ γελοίῳ ὑπερβάλλοντες βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί*, quae maxime ad nimiam comicorum poetarum risum captandi cupiditatem spectare sequentia docent. Plutarchus Mor. p. 348 c *τὴν κωμῳδοποιίαν οὕτως ἄσεμνον ἡγοῦντο καὶ φορτικόν, ὥστε νόμος ἦν μηδένα ποιεῖν κωμῳδίας Ἀρεοπαγίτην*, quo loco inhonestum et illiberale significat. De comicis personis convicium convicio rependentibus dixit Plato Phaedr. p. 236 c *ἵνα μὴ τὸ τῶν κωμῳδῶν φορτικὸν πρᾶγμα ἀναγκαζώμεθα ποιεῖν ἀνταποδιδόντες ἀλλήλοις*. Denique commemorandus quo iam supra usus sum locus Scholiastae Aristoph. Vesp. 550 ubi Archippum poetam propter ambiguos verborum lusus *φορτικὸν* appellatum fuisse scribit, quibus verbis prae ceteris Pisces fabula significari videtur.

Fabulas Strattidi Anonymus de Com. p. XXXVI tribuit sedecim, totidemque fere commemorat Suidas: *Στράττις, Ἀθηναῖος τραγικός* (recte corrigunt *κωμικός*). *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ταῦτα. Ἀνθρωπορέστης, Ἀταλάντη, Ἀγαθοὶ ἤτοι Ἀργυρίου ἀφανισμός, Ἰφιγέρων, Καλλιπίδης, Κινησίας, Λιμνομέδων, Μακεδόνες, Μήδεια, Τρωΐλος, Φοίνισσαι, Φιλοκτήτης, Χρύσιππος, Παυσανίας, Ψυχασταί, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν*. Haec postrema inde ab *ὥς φησιν* desunt apud Eudociam p. 385. Sed praeterea commemorantur Strattidis *Ζώπυρος περικαιόμενος, Μυρμιδόνες, Ποτάμιοι, Πύτισος*. Exponamus de singulis separatim.

Ἀγαθοὶ laudantur Athenaeo VI p. 248 c et XV p. 685 c sed ita ut dubitatum fuisse appareat, utrumne Pherecrates an Strattis fabulae auctor habendus esset. Apud Suidam et Eudociam plenus fabulae titulus ita exhibetur *Ἀγαθοὶ ἤτοι Ἀργυρίου ἀφανισμός*, quod unde ductum sit non reperio. Hoc unum scio, *Ἀργυρίου ἀφανισμὸς* incerti auctoris esse fabulam, cuius alii Antiphanem alii Epigenem, alii denique Philippidem auctorem perhibebant. Vid. Athenaeus VI p. 230 a et IX p. 409 d. Sed in eo quem Suidas praebet fabulae titulo etiam *ἤτοι* permirum est, pro quo non monito lectore simplex *ἢ* exhibuit Casaubonus ad Athen. p. 327 e. Si deleas importunam particulam, duas habemus fabulas *Ἀγαθοὶ* et *Ἀργυρίου ἀφανισμός*, quarum alteram fortasse fuerunt nonnulli qui Strattidi adscriberent.

Ἀνθρωπορραίστης, pro quo male apud Suidam et olim etiam apud Athenaeum II p. 127 c *Ἀνθρωπορέστης* legebatur, ante Olymp. XCII 4 doceri non potuit. Ridet enim in ea Hegelochum Euripidis histrionem in Oreste, ut constat e loco in Scholiis ad fabulam Euripidis 278.

Καὶ τῶν μὲν ἄλλων οὐκ ἐμέλησέ μοι μελῶν·
Εὐριπίδου δὲ δρᾶμα δεξιώτατον
διέκναισ' Ὀρέστην, Ἡγέλοχον τὸν Κιννάρου
μισθωσάμενος τὰ πρῶτα τῶν ἐπῶν λέγειν.

Quibus versibus non Euripides, ut putabant Casaubonus ad Athen. l. l. et Fabricius Bibl. Gr. II p. 497, sed nescio quis *ἀγωνοθέτης*, qui primas fabulae partes Hegelocho, inepto histrioni, dederat eoque ipso spectatorum voluptati pessime consuluerat. Hinc etiam titulus fabulae explicandus videtur *Ἀνθρωπορραίστης*, quasi dicas lanionem hominum. Similia sunt *κυνορραίστης*, *μητρορραίστης*, *θυμορραίστης*, *Ἰλιορραίστης* etc.

Ἀταλάντη. Hanc diu post Ranas h. e. post Olymp. XCIII 3 actam esse tradit Scholiasta Ran. 146: *τινές φασι τῷ σκῶρ πρῶτον κεχρῆσθαι Στράττιν ἐν Ἀταλάντῳ δράματι. Ψεῦδος δέ. πολλῷ γὰρ ὕστερον τῶν Βατράχων ὁ Ἀτάλαντος δεδίδακται,* ubi *ἐν Ἀταλάντῃ* et *ἡ Ἀταλάντη* scribendum videtur. Similia habet Suidas s. v. *σκῶρ*, ubi pro *Ἀταλάντῳ* legitur *Ἀταλάντης*, verbis *ὁ Ἀτάλαντος* omissis. Ex serioribus Atalantam fuisse fabulis docet locus ab auctore Vitae Isocratis a Mustoxide editae p. X et Athenaeo XIII p. 592 d servatus. Sed de hoc ad fragmenta fabulae dicam. Eandem praeterea ad partes vocant Athenaeus VII p. 302 d. Scholiasta Venetus ad Aristophanis Pac. 347 et Suidas I p. 611, ubi citatur *Στράττις ἐν Ἀταλάνταις.* Ac fortasse eadem fabula significatur apud Hesychium s. v. *Διονυσιοκουροπυρώνης* (sic lege, et postea *Διονύσιος*), ubi legimus: *ὡς δηλοῖ ὁ τὰς Ἀταλάντας συνθείς*, prorsus ut apud Scholiastam Av. 1294 *ὁ τὰς Ἀταλάντας γράψας.* Ceterum Atalantas scripsit etiam Phormus Syracusanus, et Atalantam Callias Euthycles Alexis Philyllius et Philetaerus.

Ζώπυρος περικαιόμενος semel laudatur ab Hesychio s. *οὐ μάλα κικκάς*, loco corruptissimo, sed ita tamen comparato, ut Epicratem, de quo supra p. 182 sqq. egimus, in eo commemorari appareat. Zopyrus, quem hac fabula irrisum esse coniicere licet, fortasse non diversus putandus est a Zopyro Alcibiadis paedagogo, de quo cfr. Platonem Alcib. I p. 222 B. Plutarchum Alcib. cap. 1 et Clementem Alex. Paed. p. 130 Pott. Quamquam cum Plato Zopyrum iam aetate provectiorem Alcibiadi custodem appositum esse dicat, temporum rationibus magis accommodate feceris, si illum Zopyrum intelligas, cuius nomine Phaedonem Socraticum dialogum inscripsisse constat e Grammatico Seguer. p. 107 3 et Theone Progymn. in Walzii Rhet. I p. 177 aliisque lo-

cis ad Menandrum p. 237 allatis. Titulum fabulae compares cum Spinthari, ignobilis illorum temporum tragici, *Ἡρακλεῖ περικαιομένῳ*, quam parodia lusisse Strattidem nequaquam improbabile est.

Ἰφιγέρων a Suida in Strattidis fabulis commemoratus laudatur ab Antiatticista p. 83 27. Eiusdem nominis fabulam Apollophani tribuunt Suidas et Scholiasta Aristophanis Pac. 534. *Ἀπολλοφάνης Ἰφιγέροντι Κύαθον λάβοιμι τοῖς ὑπωπίοις*, et ab Harpocratione p. 5. 9. *ἀδελφίζειν ἀντὶ τοῦ ἀδελφὸν καλεῖν παρ' Ἰσοκράτει — καὶ Στράττιδι καὶ Ἀπολλοφάνει ἐν Ἰφιγέροντι*. Ad haec si comparaveris glossas Antiatticistae l. l.

Ἀδελφίζειν: ὡς ἀδελφῷ προσφέρεσθαι.
Ἀσχημονῆσαι: Εὐριπίδης Ἑκάβῃ.
. . . . *Στράττις Ἰφιγέροντι.*
Ἀφαυήνας: Ἐπίχαρμος Ἡρακλεῖ.

perquam probabile videri potest verba *Στράττις Ἰφιγέροντι* post *προσφέρεσθαι* esse transponenda. Quae si vera est coniectura, simul apparere puto, Iphigerontem ab aliis Strattidi, ab aliis Apollophani fuisse assignatam, et apud Harpocrationem scribendum esse *Στράττιδι ἢ Ἀπολλοφάνει*. [28]) De nomine et argumento fabulae nolo incertam periclitari coniecturam.

Καλλιππίδης fabula fortasse a Callippide, celeberrimo illo tragoediarum actore qui redeuntem ex Asia Alcibiadem comitatus est teste Athenaeo XII p. 535 d, nomen traxit. De eo veterum scriptorum testimonia diligenter composuerunt Schneiderus ad Xenoph. Symp. III 11 et Wyttenbachius ad Plutarchi Apopthegm. Lacon. p. 1154. Fabulae

[28]) Hoc quidem monuit iam ante nos Hemsterhusius Anecd. I p. 223.

nomen vitiose apud Suidam Eudociam et Athen. VII p. 304 b *Καλλιπίδης* scribitur. Praeterea laudatur ab Athenaeo XIV 665 b, ubi Herculis voracitas perstringitur. Sed fortasse etiam apud Pollucem X 29 fabulae huius nomen latet: *κόρημα τὸ κορούμενον ἐν Σκηνὰς καταλαμβανούσαις Ἀριστοφάνους· ὥσπερ ἐν Καλλιππίδῃ [Στράττιδος]· Ἐπὶ τοῦ κορήματος καθέζομαι χαμαί.*

Cinesiae pleniorem titulum Athenaeus IX p. 396 a. affert hunc: *Στράττις ἐν Μακεδόσιν ἢ Κινησίᾳ.* Nisi is librarii error est: vide infra p. 231. Stratoni hoc drama tribuitur apud Scholiastam Aristophanis Av. 1568. Sed recte Casaubonus ad Athenaeum p. 327 e. *Στράττις* scripsit pro *Στράτων.* Fabulae nomen passim corruptum, ut apud Pollucem IV 169 ubi olim *Κυνησίας*, et X 189 ubi interpres latinus Strattis in Venatione, unde apparet similiter istic erratum fuisse, ut apud Erotianum p. 216 ubi legitur *Στράττις ἐν Κυνηγοῖς*, quod recte emendavit Maussacus ad Harpocr. p. 216, frustra, ut opinor, adversante Tib. Hemsterhusio. In Cinesiam, Meletis citharoedi filium, poetam dithyrambicum, scriptam fuisse fabulam praeter Athenaeum XII p. 551 d docet Harpocr. p. 216. *Στράττις ὅλον δρᾶμα ποιήσας εἰς αὐτὸν — ἐν ᾧ καὶ τὴν ἀσέβειαν αὐτοῦ κωμῳδεῖ.* De tempore fabulae nihil tenemus nisi eam inter nonagesimam primam et nonagesimam septimam vel octavam Olympiadem in scenam esse productam. His enim fere finibus circumscripta est Cinesiae celebritas, cuius antiquissimam memoriam habemus apud Aristophanem in Avibus, novissimam in Gerytade et Ecclesiazusis. Posthac non commemoratur, nisi forte ab Anaxila in Circe apud Athenaeum III p. 95 b: *δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὗος ῥύγχος ὦ φίλε Κινησία.* Sed de hoc loco anceps haereo: ad sententiam enim ita comparatus est, ut transformatio in suem egregie conveniat

Cinesiae, immundo homini et spurco; sed obstat aetas Anaxilae, qui mediae fuit poeta comoediae nec ante centesimam Olympiadem fabulas videtur docuisse, obstat item metrica loci ratio, quae tale quid requirere videtur,

δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὑός
ῥύγχος, ὦ φίλε, κινησιᾶν.

Mortuus igitur fuerit Cinesias Olymp. XCVIII. Neque enim longam homini vitam obtigisse probabile est, quem Lysias propter perpetuos, quibus conflictabatur, morbos quotidie mori dicat apud Athenaeum XIII p. 551. Ante Aves autem qui Cinesiam iam in Nubibus vs. 332 significatum esse crediderit, praeter Scholiastam reperio neminem. Ridet eo loco Aristophanes poetas dithyrambicos *κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας ἄνδρας μετεωροφένακας*, ubi haec annotavit Scholiasta: *αἰνίττεται εἰς τοὺς περὶ Κινησίαν καὶ Φιλόξενον.* Qui ut de Philoxeno manifestus erroris est (vide supra p. 89), ita fortasse ne de Cinesia quidem vera praedicasse censendus est. Certiora temporis, quo acta est fabula nostra, indicia fortasse in alio Aristophanis scholio aliquis sibi deprenhendere videatur ad Avium vs. 1568, ubi de Laespodia haec leguntur, *εἶχε δὲ καὶ περὶ τὰς κνήμας τινὰς αἰτίας, ὥς φησι Στράττις ἐν Κινησίᾳ.* Laespodiam quem iam Eupolis in Demis perstrinxerat, adhuc quadringentorum imperio superfuisse docet Thucydides VIII 86. Sed potuit hunc tanquam mortuum commemorare Strattis, ut nihil impediat quominus fabulam post solutum quadringentorum dominatum editam esse statuamus. Cui opinioni nescio an aliquid praesidii in duobus aliis fragmentis paratum sit, quorum in altero apud Pollucem X 189 Sannyrio, in altero autem apud Scholiastam Aristoph. Plut. 550 Thrasybulus perstringitur. De Sannyrionis aetate infra dicetur; Thrasybuli autem quum etiam Aristophanes meminerit in Eccl. 202

σωτηρία παρέκυψεν, ἀλλ' ὡράζεται
Θρασύβουλος αὐτὸς οὐχὶ παρακαλούμενος,

haud prorsus improbabili coniectura Cinesiam ad Olymp. XCVI vel XCVII referemus. Neque alio tempore scriptae videntur orationes Lysiae. Quod supra dixi Cinesiam Meletis fuisse filium, feci Platonis auctoritatem secutus Gorg. p. 501 e. Cui repugnare videtur Plato comicus apud Galenum ad Aphorismos hypomn. VII p. 322: *μετὰ ταῦτα δὲ Εὐαγόρου παῖς ἐκ πλευρίτιδος Κινησίας κτλ.* Sed is quidem locus adeo depravatus est, ut pro testimonio haberi non possit. Multum igitur falleretur qui hoc dissensu ita uti vellet, ut duos Cinesias poetas dithyrambicos fuisse crederet: quae quidem sententia nec in verbis Scholiastae Aristoph. Av. 1379 quidquam praesidii habet: *εἴρηται δὲ περὶ αὐτοῦ ἐν Βατράχοις. ὁ δὲ Ἀριστοτέλης ἐν ταῖς Διδασκαλίαις δύο φησὶ γεγονέναι.* Haec enim Aristotelis annotatio ad Aristophanis Lysistratam spectare videtur, in qua fabula qui inde a versu 850 introducitur Cinesias, quum nihil plane habeat quod Meletis filio, qualem Aristophanes in Avibus Ranis Ecclesiazusis et Gerytade descripsit, ullo modo conveniat, nihil aliud dixisse videtur Aristoteles, nisi duos diversos ab Aristophane commemorari Cinesias. Nec plus illa de duobus poetis Cinesiis opinio firmamenti habet in eo, quod quem reliqui Atheniensem dicunt, Thebanus perhibetur a Scholiasta Aristoph. Ran. 151 *ἦν δὲ Θηβαῖος μελοποιὸς κάκιστος*, ubi *Θηβαῖος* proclivi errore scriptum est pro *Ἀθηναῖος*. Rem conficit opinor Athenaeus XII p. 551 e. Qui si duos eius nominis poetas cognitos habuisset, non sane haec scribere potuisset: *ὅτι δὲ ἦν Κινησίας νοσώδης καὶ δεινὸς τἆλλα, Λυσίας — εἴρηκε, φάσκων αὐτὸν ἀφέμενον τῆς τέχνης συκοφαντεῖν καὶ ἐκ τούτου πλουτεῖν. ὅτι δὲ ὁ ποιητής ἐστι καὶ οὐχ ἕτερος, σαφῶς σημαίνεται ἐκ τοῦ καὶ ἐπὶ ἀθεότητι κωμῳδούμενον*

ἐμφανίζεσθαι. Ceterum dithyrambicam artem in familia Cinesiae fuisse hereditariam, hoc documento est, quod praeter patrem eius Meletem etiam avus Pisias in citharoedis perhibetur a Pherecrate apud Schol. Aristoph. Av. 859. De moribus hominis nobilissimus est Lysiae, qui duas in Cinesiam scripsit orationes, locus apud Athenaeum XII p. 551 f. *οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοιαῦτα περὶ θεοὺς ἐξαμαρτάνων, ἃ τοῖς μὲν ἄλλοις αἰσχρόν ἐστι καὶ λέγειν, τῶν κωμῳδοδιδασκάλων δ' ἀκούετε καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν;* Vide reliqua, in quibus gravissime notatur miseri hominis impietas, cuius exemplum habemus apud Aristophanem Ran. 366. Neque honorificentius de eius poesi, cuius specimen servavit Aristophanes Av. 1371 sqq. iudicasse veteres docet Plutarchus de gloria Athen. p. 348 b *ὁ γὰρ Κινησίας ἀργαλέος ἔοικε ποιητὴς γεγονέναι διθυράμβων. καὶ αὐτὸς μὲν ἄγονος καὶ ἀκλεὴς γέγονε, σκωπτόμενος δὲ καὶ χλευαζόμενος ὑπὸ τῶν κωμῳδοποιῶν οὐκ εὐτυχοῦς δόξης μετέσχηκεν.* Quibus verbis respicitur praeter alios etiam Pherecrates apud Plutarchum de mus. p. 1141 E. Cinesiam in primariis masculae simplicisque artis corruptoribus numerans. Eodem ferme redit sobrium Platonis iudicium nihil curare Cinesiam dicentis *ὅπως ἐρεῖ τι τοιοῦτον ὅθεν ἂν οἱ ἀκούοντες βελτίους γίγνοιντο*, sed illud unice spectare *ὅτι μέλλει χαριεῖσθαι τῷ ὄχλῳ τῶν θεατῶν* Gorg. p. 501 f. Contra quae insipide, ut solet, disseruit Aristides vol. II p. 381. 385. Dind. Cfr. praeterea Hanovii Exercit. crit. I p. 49. Praeter illa quae dixi vitia gracilitas hominis et macilentia ex teterrimfis morbis contracta largissimam ridendi materiem comicis poetis praebuit, qua in re quae Aristophanes ingeniosissime lusit vide in Ranis 1437, Avibus 1378, Gerytade p. 108. E Strattidis fabula eo pertinent verba *Φθιῶτ' Ἀχιλλεῦ*, quibus Cinesiam compellatum esse docet Athenaeus XII p. 551 d. Neque

alio traxerim quae de *καμμόρῳ* medicamento refrigeratorio ex eadem fabula affert Erotianus p. 216. Sed acerbissime morbosum hominem praeter Lysiam l. l. descripsit Plato apud Galenum l. l. ubi dicitur

ἐκ πλευρίτιδος
σκελετός, ἄπυγος, καλάμινα σκέλη φέρων,
φθόης προφήτης, ἐσχάρας κεκαυμένος
πλείστας ὑπ᾽ Εὐρυφῶντος ἐν τῷ σώματι.

Ita enim legendum versu secundo pro edito *ἄπυιος*.

Λιμνομέδων perobscurum est fabulae elogium, pro quo *Λημνομέδων* Eudocia, *Λημνοπέδαι* Scholiasta Platon. p. 320, *Λημνομέδα* et *Λημνομήδα* libri Harpocrationis p. 26 6. Similis inconstantia codicum Athenaei VII p. 327 e. ubi Venetus *Λημνομέδα*, deteriores autem libri *Λιμνομέδα* habent; cfr. X p. 473 c ubi nunc *Λημνομέδα*, olim *Ληπτομέδα* et pro Strattide Stratonis nomen legebatur, quod correxit ex Eustathio Schweighaeuserus.

Μακεδόνες laudantur ab Athenaeo VII p. 302 e. 323 b. Harpocrat. p. 176 12 (ubi leg. *ἕλκουσιν ὀνεύοντες*) et Antiattic. p. 108 29. At Athenaeus IX p. 396 a. hunc posuit fabulae tit.lum: *Στράττις ἐν Μακεδόσιν ἢ Κινησίᾳ*, ubi memoriter haec citari ab Athenaeo cum Schweighaeusero crederem, nisi rursus similiter legeretur XIII p. 589 a *ἐν Μακεδόσιν ἢ Παυσανίᾳ* Nec solet ita Athenaeus. Contra Pausanias (semel laudata ab Athenaeo XIV p. 654 f) et Macedones ut diversae fabulae enumerantur a Suida. Non improbabile tamen plenum fabulae titulum esse *Μακεδόνες ἢ Παυσανίας*, ut secundus titulus ad iteratam fabulae recensionem pertineat. Hoc si verum est, etiam altero Athenaei loco pro Cinesia Pausaniae nomen reponendum putem. Si certo constaret Pausaniam, cuius nomine inscripta est fabula, illum Macedoniae regem esse, qui ter-

tio anno Olymp. XCVI Macedoniae imperium obtinuit, de tempore fabulae nulla esse posset dubitatio. Sed huius quidem Pausaniae vita in obscuro delituit nec quidquam memoratu dignum habuit; itaque videndum ne Pausanias intelligendus sit Ceramensis, Agathonis poetae amator celeberrimus, de quo abunde constat ex Platonis et Xenophontis Symposiis. Cfr. Protag. p. 315 d. Eundem tragoediarum auctorem perhibent Scholiasta Platonis p. 373 et Grammaticus MS apud Cramerum Anecd. IV p. 269. Neque alius fuisse videtur quem in poetis quibus Stobaeus usus est numerat Photius Bibl. 167 p. 375. Ab hoc igitur Pausania si fabulae nomen inditum esse ponimus, etiam alter dramatis titulus *Μακεδόνες* commode explicari potest, siquidem Pausaniam simul cum Agathone apud Archelaum Macedoniae regem commoratum esse constat ex Aeliani V. H. II 21. Iam quum Agatho circiter Olymp. XCIII 1 comitante Pausania ad Archelaum se contulerit, vid. Fr. Ritschelii Comment. de Agathone cap. VII p. 20, hinc non multum quidem, at aliquid tamen ad tempus fabulae constituendum lucramur.

In Medea, cuius tria supersunt fragmenta, lusit fortasse Euripidis aliusve tragici cognominem fabulam. Creontis in ea partes fuisse docet locus apud Athenaeum XI p. 467 e

α΄ οἶσθ᾽ ᾧ προσέοικεν, ὦ Κρέων, τὸ βρέγμα σου;
β΄ ἐγῷδα· δίνῳ περὶ κάτω τετραμμένῳ.

Quae habent sane colorem parodicum. Quae idem Athenaeus XV p. 690 f ex hac fabula servavit:

καὶ λέγ᾽ ὅτι μύρον αὐτῇ φέρεις
τοιοῦτον, οἷον οὐ Μέγαλλος πώποτε —

Medeae verba videntur fatalia illa munera Creusae per servum mittentis. Cfr. Eurip. Med. 950.

Similis, ut videtur, Myrmidonum, Philoctetae, Phoenissarum, Troili et Chrysippi fuit ratio. In Phoenissis quidem aperte lusit Euripidis fabulam, ut constat diserto Aristotelis indicio de Sensu p. 443 et ex locis apud Athenaeum IV p. 160 b et Pollucem IX 124. Nec de Troilo dubitari potest, ut docet fragmentum apud Scholiastam Aristophanis Vesp. 1337:

ἦ (leg. *ἧ*) *μήποτ᾽, ὦ παῖ Ζηνός, ἐς ταὐτὸν μόλῃς,*
ἀλλὰ παραδοὺς τοῖς Λεσβίοις χαίρειν ἔα.

Quorum versuum prior fortasse e Sophoclis Troilo ductus est. Myrmidonum titulum frustra suspectat Hemsterhusius ad Polluc. IX 78 qui *Μυρμηδόνας* h. e. *Μύρμηκας*, ut Hesychius interpretatur, fabulae nomen fuisse coniicit. Sane *Μύρμηκας* docuisse feruntur Plato et Cantharus, *Μύρμηκα* Posidippus, *Μυρμηκανθρώπους* Pherecrates. Sed *Μυρμιδόνας* scripsit etiam Philemon. Strattideae fabulae unum duntaxat fragmentum servatum est, in quo propter immodicum balneorum usum perstringuntur Byzantii. V. Polluc. l. l. Philoctetes bis laudatur, Athen. VII p. 327 e et Polluc. VII 134. Neque frequentior Chrysippi memoria. V. Athen. IV 169 et Polluc. X 55. Plane obscurus est *Πυτίσου* fabulae index apud Scholiastam Aristophanis l. l. pro quo Casaubonus ad Athenaeum VII p. 327 e. parum probabiliter *Πίτυλος* scribendum coniecit.

Ποταμίους ante Olymp. XCII 4 actam esse intelligitur e scholiis Aristophanis Plut. 1195 *ὁ Λυκόφρων, ὡς ὁ Ἐρατοσθένης φησίν, ᾠήθη πρῶτον τοῦτον* (Aristophanem) *δᾷδας ᾐτηκέναι. πεποίηκε δὲ καὶ ἐν Ἐκκλησιαζούσαις αὐτό. ἀλλὰ γὰρ Στράττις πρὸ ἀμφοτέρων τούτων* (Plutum I et Ecclesiazusas dicit) *τοὺς Ποταμίους διδάσκων εἰς Φιλύλλιον ἀναφέρει τὸ πρᾶγμα.* Cfr. Clintoni Fast. Hellen. p. 103 Kr. Titulus fabulae inditus a Potamiis, phylae Leontidis

δημόταις, quos eo nomine male audivisse, quod facile falsos cives in tabulas referrent, ex Harpocratione p. 156 19 adnotavit Hemsterhusius. Ita etiam Photius Lex. p. 445 10 *ἐκωμῳδοῦντο δὲ ὡς ῥᾳδίως δεχόμενοι τοὺς παρεγγράφους*, quae eadem leguntur apud Suidam s. v. *Δρυαχαρνεῦ*, nec discrepant ab Harpocratione, nisi quod is pro *παρεγγράφους* habet *παρεγγράπτους*, nullo ad sensum discrimine. At longe alia verborum sententia evadit, si Etymol. M. p. 738 47 sequimur, qui Potamios eo nomine a comicis poetis irrisos dicit, quod *τοὺς ἐγγράφους νόμους* facile receperint, pro quo vitiose *τοὺς ἀγράφους νόμους* legitur in fragmento Lexici rhet. p. 677 21 ed. Pors. Utroque loco fortasse scribendum coniicias *παραγράφους* vel *παραγράπτους νόμους*. Eo enim ducit idem Lexicon rhet. p. 676 12 *περεγεγραμμένοι* (leg. *παραγεγραμμένοι*) *οὖν εἰσὶν οἱ νόμοι παρὰ τὰ κατηγορούμενα γεγραμμένοι*. Quamquam quum non intelligatur, quid pagis in eiusmodi legibus vel admittendis vel reiiciendis negotii fuerit, in eam potius inclino sententiam, ut illud *ἐγγράφους νόμους* ex *παρεγγεγραμμένους* corruptum putem. Ceterum duos huius nominis pagos fuisse unus, ni memoria fallit, tradidit Scholiasta Homeri Iliad. *ω* 545 *παρ' Ἀθηναίοις εἰσὶ δύο δῆμοι Ποτάμιοι, ὧν ὁ μὲν καθυπερθεν ὁ δὲ ὑπένερθεν ὀνομάζεται.* [29]) Denique verbo monendum est titulum fabulae nostrae constanti errore scribi *Ποταμοί*, ut patet e Scholiasta Platon. p. 98. Suida et Photio s. v. *λίνον* aliisque. Vid. Hemsterhusius ad Pluti l. l.

Denique **Psychastae** passim ad partes vocantur, sed ita ut de argumento fabulae nihil elicias, nisi quod titulum

---

[29]) Similiter *Λαμπτρεῖς οἱ καθύπερθεν* distinguuntur a *τοῖς ὑπένερθεν*.

dramatis ἀπὸ τοῦ ψύχειν τὸν οἶνον ductum esse coniicias ex loco apud Athenaeum III p. 124 c:

οἶνον γὰρ πιεῖν
οὐδ᾽ ἂν εἷς δέξαιτο θερμόν, ἀλλὰ πολὺ τοὐναντίον
ψυχόμενον ἐν τῷ φρέατι καὶ χιόνι μεμιγμένον.

Nisi Casaubono ad Athenaeum VII p. 327 e accedere praestat qui vertit frigus captantes, titulumque aperiri existimat verbis Pullucis X 127 Στράττις ἐν Ψυχασταῖς προειπὼν «ῥιπίδα» ἐπήγαγε «σκιάδιον». Aptius etiam utaris loco Photii Lex. p. 656 16. Ψυχάζουσι: πρὸς τὸ ψῦχος καὶ τὸ πνεῦμα διατρίβουσιν, ἵνα ἀναψυχήν τινα λάβωσιν. Similiter Lobeckius Aglaoph. p. 1038, homines quosdam voluptuosos poetam perstrinxisse existimans in locis amoenis otiari et luxuriari solitos.

In hoc Strattidis fabularum resensu consulto omisimus Phoenicidem, quam fabulam cum viri docti ab Athen. IX p. 382 c. Stratoni tribui vidissent, iterum Stratonis et Strattidis nomina permutata esse crediderunt. Villoisonus Praef. ad Apollon. p. XXII etiam fabulae nomen depravatum esse putat scribitque apud Athenaeum: παρὰ Στράττιδι ἐν Φοινίσσαις, pro edita omniumque librorum auctoritate firmata lectione: παρὰ Στράτωνι ἐν Φοινικίδῃ. Sed quamvis Strato comicus nonnisi ab uno Suida diserte commemoretur [30]) (nam ubi praeterea eius nomen legitur, ibi constanter Strattidis locum occupavit), et quamvis ob eam causam permagnam de Stratone, poeta comico, dubitationem nasci non diffitear, in illo tamen Athenaei loco Strattidem commemorari omnino non potuisse certissimis argumentis, ubi ad mediae comoediae poetas ventum fuerit, demonstrabimus. In-

[30]) Verba Suidae sunt haec: Στράτων κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Φοῖνιξ. Eadem, ut solet, Eudocia p. 385.

certarum Strattidis fabularum fragmenta supersunt duodeviginti. In oratione quae habuit singularia et a communi usu recedentia, reperio fere haec. *Μακεδόνισσα* apud Antiattic. p. 108 29. *Σατυρίδιον* pro *Σατυρίσκος* apud Athenaeum II p. 68 f. *λεπάζειν* pro *λέπειν* apud Photium Lex. p. 184. *κοχύζειν*, si recte coniicio, dixit apud Athenaeum I p. 30 f. *δυσόμοιος* pro *ἀνόμοιος* et *ἀπομυθεῖσθαι* pro *ἀπολογεῖσθαι* apud Suidam s. v. Genitivo *σεμιδάλιδος* pro *σεμιδάλεως* usus est apud Athenaeum III p. 127 c et Pollucem VI 75. *στρογγυλόπλευρος* dixit apud Athenaeum VII p. 327 e. *ἀγωγεὺς* de loro quo equi adducuntur apud Phrynichum Bekkeri p. 22 21 et Pollucem X 55. *ὁμόπτεροι* pro *ὁμήλικες* apud eundem VI 156. *γελάσιμος* pro *γελοῖος* apud Phrynichum Ecl. p. 226. *ἄκρον* prima producta dixit apud Harpocrat. p. 176 12 *εἰς ἄκρον, ὥσπερ ἱστίον, τὸν ἱστόν.* Sed hoc quidem etiam alii eiusdem aetatis comici sibi indulserunt.

THEOPOMPUS, Atheniensis. Huius nomen in codicibus passim *Θεόπεμπτος* scribitur, velut apud Zonaram Lex. p. 210 aliisque locis ab I. Meursio ad Hesychium Miles. p. 104 Or. indicatis. Cfr. varias lectiones ad Artemid. IV 3. De hoc ita Suidas scribit: *Θεόπομπος, Θεοδέκτου ἢ Θεοδώρου, Ἀθηναῖος, κωμικός, ἐδίδαξε δράματα κδ΄. ἐστὶ δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας κατ' Ἀριστοφάνην. δράματα δὲ αὐτοῦ εἰσὶ καὶ ἄλλα πολλά.* Patre igitur natum dicit vel Theodecte vel Theodoro, quem qui tragicum dicit Fabricius Bibl. Gr. II p. 501 cogitavit fortasse de Theodoro eo quem commemoravit Diogenes Laert. II 8. Sed is quum Alexandro Pheraeo aequalis fuerit, Theopompi pater esse profecto non potuit: accedit quod plane incredibile est, tragici poetae filium comoediis scribendis operam dedisse, cuius rei in tota rei litterariae apud Graecos historia nullum credo exem-

plum reperiri. Eudocia p. 232 verba ἢ *Θεοδώρου* plane omittit. Sed ne de Theodecte quidem ita res certa est, ut nullus dubitandi locus relictus sit. Aelianus certe in opere de Providentia Theopompi patrem neque Theodectem neque Theodorum edidit, sed Tisamenum, apud Suidam s. v. *Θεόπομπος*. Verba haec sunt: *ὅτι Ἀσκληπιὸς καὶ τῶν ἐν παιδείᾳ ἦν προμηθής. Φθόῃ γοῦν Θεόπομπον ῥινούμενόν* (fort. *ῥικνούμενόν*) *τε καὶ λειβόμενον ἰάσατο καὶ κωμῳδίας αὖθις διδάσκειν ἐπῆρεν, ὁλόκληρόν τε καὶ σῶν καὶ ἀρτεμῆ ἐργασάμενος. Καὶ δείκνυται καὶ νῦν ὑπὸ λίθῳ* [31]) *Θεοπόμπου* (*πατρόθεν ὁμολογοῦντος αὐτὸν τοῦ ἐπιγράμματος. Τισαμενοῦ γὰρ ἦν υἱός*) *εἴδωλον Παρίας λίθου. Καὶ ἔστι τὸ ἴνδαλμα τοῦ πάθους μάλα ἐναργές.* Iam sequitur ipsa marmorei operis descriptio. Iacet in lectulo Theopompus, adstante praeter Aesculapium medicam manum aegroto porrigentem tenello puero, quo poetam *φιλοπαίστην* indicari censet Aelianus: *γελᾷ γὰρ καὶ τῆς κωμῳδίας τὸ ἴδιον διὰ συμβόλων αἰνίττεται.* Quae multum vereor ne falsa sit interpretatio. Puer fortasse filius Theopompi est. Aetatem Theopompi ita definit Suidas ut aequalem eum fuisse dicat Aristophanis. Ac sane Laespodiam, quem maxime Olymp. XCI et XCII inclaruisse constat ex Thucydide VI 105 et VIII 86, perstrinxit in fabula *Παῖδες* inscripta apud Scholiastam Av. 1568. Magis tamen extrema Aristophanis tempora spectasse Suidam tum dramatum, quae Theopompus docuit, tituli indicant, qui magnam partem eiusmodi sunt ut mediae potius quam veteris comoediae fabulis convenire videantur, tum vero etiam aliis argumentis intelligitur. Ex hoc genere est quod in fabula *Ἡδυχάρης* inscripta Platonis

---

[31]) Toupius Emend. I p. 287 tentabat *ἐπὶ τάφῳ*, quod non sufficit.

Phaedonem perstringit apud Diogenem Laert. III 26. *Θεόπομπος ἐν Ἡδυχάρει φησὶν οὕτως·*

ἓν γάρ ἐστιν οὐδὲ ἕν,
τὰ δὲ δύο μόλις ἕν ἐστιν, ὥς φησιν Πλάτων.

Quibus respicitur Phaed. §. 104 p. 177 Heind. Adde quod in Nemea apud Athen. XI p. 470 f. Thericlei poculi mentionem iniicit [32]), quae a mediae demum comoediae poetis commemorantur, Antiphane Eubulo Ararote Alexide Aristophonte aliis, quorum testimonia vide apud Athenaeum p. 471 sqq. cll. Bentleio Resp. ad Boyl. p. 217. Immo vero, nisi prorsus fallit sententia, Theopompus ultra Olymp. C vixisse fabulasque docuisse censendus est, id quod colligi posse videtur e memorabili fragmento fabulae *Μῆδος* inscriptae apud Athenaeum XI p. 485 c, ubi recte quidem Schweighaeuserus de Callistrato admonuit, sed fallitur quum sub Rhadamanthi nomine Demosthenem latere existimat:

Ὥς ποτ' ἐκήλησεν Καλλίστρατος υἷας Ἀχαιῶν,
κέρμα φίλον διαδούς, ὅτε συμμαχίαν ἐρέεινεν·
οἷον δ' οὐ κήλησε δέμας λεπτὸν Ῥαδάμανθυν
Λύσανδρον, κώθωνα πρὶν αὐτῷ δῶκε λεπαστήν.

Sed de horum versuum sententia copiosius dicam in fragmentis.

Fabulas poetae nostro Anonymus de Com. p. XXIV tribuit septendecim, Suidas autem et Eudocia viginti quatuor. Neque pauciores dramatum titulos in veteribus libris reperiri scribit Fabricius Bibl. Gr. II p. 501. Sed fallitur: equidem nonnisi viginti reperio, quorum haec sunt nomina: Althaea, in qua risit Telestem, poetam dithyrambicum, apud Athe-

[32]) Thericlem qui Aristophanis aequalem dicit Athenaeus XI p. 469 f de extremis Aristophanis temporibus cogitasse putandus est.

naeum XI p. 501 f (cll. Bekk. Anecd. p. 371 5) ex quo de tempore, quo acta sit fabula, coniectura capi potest. Floruit enim Telestes Olymp. XCV teste Diodoro Siculo XIV 46 *ἤκμασαν δὲ κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν οἱ ἐπισημότατοι διθυραμβοποιοί, Φιλόξενος Κυθήριος, Τιμόθεος Μιλήσιος, Τελέστης Σελινούντιος, Πολύειδος ὃς καὶ ζωγραφικῆς καὶ μουσικῆς εἶχεν ἐμπειρίαν.* [33]) Praeterea laudatur Althaea Polluci X 180. 'Admetus et ipsa e serioribus poetae fabulis fuit, siquidem Peronem unguentarium, cuius aliquoties Anaxandrides mentionem fecit apud Athen. XII p. 353 f. 689 f. in ea commemoravit teste Athenaeo XV p. 690 a. Quam *Ἀφροδίτην* appellat Athenaeus VII p. 324 b ea rectius *Ἀφροδίσια* dicitur Scholiastae Aristoph. Plut. 179. Cfr. Schweighaeuserus ad Athenaeum X p. 449 b. De Aphrodisiorum festo a meretricibus inprimis celebrato Bathonis versus ab Athen. XIII p. 579 e. servatos et Plautinos locos in Poenulo I 1 62. 2 44. III 5 13 et IV 3 14 adscripsit Koppiersius Observ. phil. p. 33. *Βατύλης* dumtaxat nomen servatum est a Scholiasta Aristoph. Plut. 1012: *καὶ τὰς μικρὰς δὲ θηλείας Βατύλους ἔλεγον. καὶ Θεοπόμπου δρᾶμά ἐστι*

---

[33]) Polyidi fere obscurata est memoria, quem si ex hoc Diodori loco et Athen. VIII p. 352 b. ubi Philotae magister fuisse dicitur, cognitum habuisset Muellerus ad Lycophronem vol. III p. 158, non sane haesisset in Tzetzae loco ad Cass. 879. *Πολύϊδος* (Vit. *Πολύειδος*) *ὁ διθυραμβοποιὸς τὸν Ἄτλαντα ποιμένα Λίβυν φησὶν οὐ μαθηματικόν.* Unde redintegrare licet scholia Tzetzae ad Exegesin Iliad. p. 132 18. Laudatur etiam a Plutarcho Mor. p. 1138 B et monente Wesselingio ab Aristotele Poet. 10 9, 17 6. Tzetzae scholium ad Lycophronis l. c. transcripsit auctor Etymol. M. p. 104 20. Fortasse non diversus habendus est ab eo, quem Photius Cod. 167 p. 374 in poetis recenset, quibus Stobaeus usus sit. Dicitur illi *Πολυείδης.*

Βατύλη. Quae eadem leguntur apud Suidam s. v. *νιττάριον*, nisi quod is *καὶ* inserit ante *θηλείας*, unde Bentleius scribebat *καὶ τοὺς μαλακοὺς* (Hemsterh. *μιαροὺς*) *δὲ καὶ θήλεας βατάλους ἔλεγον*, quod si probamus, etiam *Βατάλη* pro *Βατύλη* scribendum esse monuit Hemsterhusius. Sed haec omnia incerta sunt in loco multis dubitationibus obnoxio.

Frequens *Εἰρήνης* commemoratio, qua fabula ad Aristophanei dramatis exemplar pacem a poeta civibus suis commendatam fuisse e fragmentis intelligitur. Vide inprimis Athenaeum XV p. 700 e. f et Pollucem X 118. Cetera fragmenta iidem servarunt, Athenaeus IX p. 374 b. 368 c. XV p. 652 f, Pollux autem III 27. X 124. Nec aliunde ducta videntur quae ex incerta fabula protulit Plutarchus Lysandr. 13 et Theodorus Metoch. p. 792.

Ἡδυχάρης quo tempore acta sit, tum Platonis commemoratio docere potest apud Diog. Laert. III 26, tum vero etiam ex argumento fabulae intelligitur, quod amatorium fuisse docent Harpocratio p. 210 et scholia Aristophanis Plut. 768. Adde quod in hac etiam fabula Peronem unguentarium, Anaxandridis aequalem, commemorat. Vid. Athenaeus XV p. 690 a, qui eandem fabulam commemorat VII p. 308 a. Nomen fabulae non *Ἡδύχαρις* fuit, ut visum est Meursio Bibl. Att. p. 1618 B et Schweighaeusero ad Athenaeum VII p. 308 a, sed *Ἡδυχάρης*, quo hominem deliciis et amoribus deditum (fort. Platonem) significare voluisse videtur Theopompus.

Theseum, in quo Isaei mentionem factam esse Plutarch. dicit vitis dec. orat. p. 839 f, laudant praeterea Suidas aliique grammatici s. v. *ἀβυρτάκη*, Athen. III p. 82 c et Antiattic. p. 83.

Callaeschrum, quo nomine etiam Ophelionis fabula ferebatur, minime illa a Critiae patre nominata [34]), Athe-

[34]) Lysiae orationem pro Callaeschro habemus apud Pollucem X 105. Cfr. idem in Erat. p. 255.

naeus IX p. 399 d. X 423 a, Pollux IX 59. *Καπηλίδες* quinquies laudantur.

Medi memoriam debemus Athenaeo XI p. 481 d. 485 c et Scholiastae Pindari Pyth. II 75.

Nemeam, quod meretricis nomen fuit, commemorat Athenaeus XI p. 470 f.

Ὀδυσσεύς, quam unus omnium Pollux VII 74 Cratineae fabulae titulum in animo habens *Ὀδυσσεῖς* dixit, laudatur Athenaeo VI 165, Erotiano p. 244 et Scholiastae Aristophanis Vesp. 1337; sed ex eadem fabula non dubitari potest quin haec apud Eustathium p. 1863 49 derivata sint:

χιτῶνά μοι
φέρων δέδωκας δαιδάλεον, ὅν ᾔκασεν
ἄρισθ᾽ Ὅμηρος κρομμύου λεπυχάνῳ,

quae ipsius Ulixis verba sunt.

Παῖδες prioribus poetae fabulis accensenda videtur, siquidem Laespodiam in ea vexatum esse docet Scholiasta Av. 1568. Laudatur praeterea ab Hephaest. p. 76 et Polluce VII 66. X 181.

Pamphilae tria supersunt fragmenta. Nec frequentior memoria Pantaleontis, de cuius auctore dubitatum esse indicat Pollux X 41. Nomen fabula duxisse videtur a plano illo famosissimo, de quo egit Athenaeus XIV p. 616 a. In eundem scriptam fuisse existimo Lysiae orationem *πρὸς Πανταλέοντα* laudatam Polluci IV 3 et Antiattic. p. 100 16. Ab hoc diversus fuisse videtur is quem inter primarios culinae auctores numerat Pollux VI 71. Ab utroque distinguendus est Cleagorae filius ab Aeschine c. Timarchum p. 300 Bekk. commemoratus. De plano illo cogitavit etiam Th. Bergkius Epist. ad Schillerum p. 136.

De argumento Penelopae, quam laudant Athenaeus IV p. 153 f. XIV p. 657 a et Grammaticus Bekkeri Anecd.

p. 328, non magis quam de eo quod in Sirenibus ab Athenaeo IX p. 399 d, Etymol. M. p. 367 22, Scholiis Aristoph. Lysistr. 45 et Polluce VII 181 laudatis tractavit, certi quidquam constitui potest.

Eius fabulae, quam *Στρατιώτιδες* inscripsit, quod consilium fuerit cum e titulo tum e fragmentis divinare licet, velut eo quod apud Priscianum legitur lib. XVIII p. 206

ἡ Θρασυμάχου δ' ὑμῶν γυνὴ καλῶς ἐπιστατήσει,

et apud Athenaeum XI p. 483 e

ἐγὼ γὰρ ἂν κώθωνος ἐκ στρεψαύχενος
πίοιμι τὸν τράχηλον ἀνακεκλασμένη.

Eandem fabulam praeterea laudat Scholiasta Platonis p. 330, Pollux II 10. VIII 190. IX 64.

Phineum unus ad partes vocat Athenaeus XIV p. 649 b.

Tisamenus denique ab Harpocrat. s. v. *καταπλήξ*, Scholiasta Aristoph. Vesp. 1216 et Photio s. v. *ὀλόλους* laudatus nomen traxisse videtur a Tisameno, Mechanionis filio, auctore plebisciti, ex quo post solutum triginta virorum dominatum Solonis leges recognoscerentur. V. Andocidem de myst. p. 82, Lysiam c. Nicom. p. 864 Rsk. Cfr. Th. Bergk. in Epist. ad Schillerum p. 153 et Wolfius Proleg. ad Leptin. p. CXXVIII. Nec diversus esse videtur ab eo quem ob *πανουργίαν* cum Phaenippo coniungit Aristophanes Acharn. 603

νεανίας οἵος σὺ διαδεδρακότας
τοὺς μὲν ἐπὶ Θρᾴκης μισθοφοροῦντας τρεῖς δραχμάς,
Τισαμενοφαινίππους Πανουργιππαρχίδας.

Qui praeterea laudantur fabularum tituli *Ἐποποιοί*, *Πόλεις* et *Τρικάρανος*, commenticii sunt. *Ἐποποιοὶ* laudantur sane a Scholiasta Apollonii Rhod. IV 57, ubi inter scriptores qui fabulam de Endymione tractaverint recensentur etiam Pherecydes, Nicander *καὶ Θεόπομπος ἐν Ἐποποιοῖς.*

Sed legendum ibi, quo ducunt etiam scholia a Schaefero edita, *Θεόπομπος ὁ ἐποποιός*, cuius memoriam habemus apud Fulgentium I 2, ubi laudatur Cyprium carmen Theopompi, et apud Athenaeum IV p. 183 b: *Θεόπομπος ὁ Κολοφώνιος ἐποποιὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἁρματίῳ*

Σκινδαψὸν λυρόεντα μέγαν χείρεσσι τινάσσων
ὀξύϊνον, προμάλοιο τετυγμένον αἰζήεντος.

Fortasse ad hoc carmen spectat *τὸ Ἁρματίου ὑπόμνημα* apud Etymol. M. p. 782 8 *Ὑπόγραμμα. τὸ Ἁρματίου ὑπόμνηνα: ᾧ τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφουσι.* Nec fugit illa emendatio Pflugkium de Theop. p. 9. *Πόλεις* habes apud Polluc. X 145 *Θεόπομπος ἐν Πόλεσιν.* Sed recte Meursius Bibl. Att. p. 1619 et Fabricius Bibl. gr. II p. 502 corrigunt *Καπηλίσιν.* *Τρικάρανος* denique apud Syncell. Chron. p. 65 aliosque non fabulae titulus, sed historici operis inscriptio est, cuius auctor Theopompus Chius ferebatur. V. Pflugk l. l. p. 44, Muelleri Proleg. Mythol. p. 98 et I. H. Vossium in Seebodii Archiv II 1 p. 139, quorum notatis adde locum inprimis memorabilem apud Aristid. Orat. vol. I p. 139 Cant. et Suidam s. v. *Φίλιστος*, ubi in Philisti scriptorum recensu qui commemoratur liber *πρὸς τὸν Τρικάρανον*, non dubitari potest quin in refutandis Pseudo-Theopompi commentis occupatus fuerit. Sed historicus Theopompus etiam ab aliis passim cum comico poeta confunditur, velut a Schweighaeusero, qui Athenaei verba III p. 43 d. *Θεόπομπος δέ φησι, παρὰ τὸν Ἐριγῶνα ποταμὸν ὀξὺ εἶναι ὕδωρ, καὶ τοὺς πίνοντας αὐτὸ μεθύσκεσθαι καθὰ καὶ τοὺς τὸν οἶνον*, ad comicum spectare statuit. Idem de his Photii verbis existimandum in Lex. s. v. *τετύχηκεν* p. 503 *τὸ μέντοι γεγράφηκεν παρὰ Θεοπόμπῳ καὶ ἑτέροις βάρβαρον.* Historicum enim *περὶ τὰς λέξεις ῥάθυμον* fuisse praeter alios monuit etiam Dio Chrysost. Orat. XVIII p. 479 Rsk.

Non dissimulandum tamen etiam Theopompi comici orationem habere non adeo rara labentis Atticismi indicia. Ita ὄλολος de superstitioso dixit apud Photium Lex. p. 329, σκληφρὸς de muliere apud Pollucem II 10, ὠτίον apud Athenaeum XI p. 481 d, σπηλάδιον et κυνάριον apud Pollucem IX 16 et Thomam Mag. p. 201 aliosque, ῥαχίστης i. e. ἀλαζὼν apud Photium p. 484, αὐτόκακος i. e. ἑαυτὸν κολάζων apud Antiatticistam p. 83, τετρωβολίζειν i. e. τεττάρων ὀβολῶν μισθὸν λαμβάνειν apud Pollucem IX 64, λεπύχανον i. e. λέπυρον apud Pausaniam Eustathii ad Odyss. p. 1863 49, λάσιον substantive de vestimento vili et crasso apud Erotianum Lex. Hippocr. p. 244, ἀνενεχθῆναι i. e. ἀναπνεῦσαι ad se redire apud Eustath. ad Odyss. p. 1604 5. Porro ut ad insolitas verborum formas veniam, Χάρη casu vocativo pro Χάρης dixit apud Priscianum Gramm. VII p. 294, δόρη pro δόρατα, quo tragici poetae quamquam raro usi sunt, apud Pollucem VII 158, λεύσομαι apud Zonaram Lex. p. 388, γαῖα apud Eustathium ad Hom. p. 1854 22, κολάσομαι apud Suidam I p. 370, quamquam eadem futuri forma usi sunt Lysias et Isocrates. Sed γεμίσω apud Athenaeum XI p. 470 f coniunctivus esse videtur aoristi. Neque ἴξῃ scripsit apud Bekkerum Anecd. p. 323 sed ἥξει, quemadmodum nec ἔβλαστε prima brevi dixit apud Schol. Aristophanis Plut. 179. Denique ne quis ex glossa Antiattic. p. 86 16 γειτονιᾶν: ἀντὶ τοῦ γειτνιᾶν· Θεόπομπος Φιλίππῳ, nostro Theopompo aut verbum γειτονιᾶν aut fabulam Φίλιππος inscriptam affingat, certissima emendatione praeter Heringam Observ. p. 296 cavit Lobeckius ad Phryn. p. 82.

ALCAEUS. De hoc ita Suidas: Ἀλκαῖος, Μιτυληναῖος [εἶτα Ἀθηναῖος] κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας [πέμπτος, υἱὸς δὲ Μίκκου]. Verba uncis inclusa Eudocia p. 69 omittit. De patria quod dicit Suidas multum vereor ne Alcaeum

lyricum cum comico poeta confuderit. [35]) Tum perobscurum est quo sensu Alcaeum antiquae comoediae quintum poetam dixerit. Si genuinum est *πέμπτος*, Suidam antiquam comoediam pro media nominasse putem. Sed hoc quam incertum sit ipse intelligo: quamquam confirmat hanc coniecturam quodammodo, quod Pasiphaen fabulam simul cum Aristophanis Pluto secunda Olymp. XCVII 4 acta in certamen commisit. Argumentum Pluti: *Ἐδιδάχθη ἐπὶ ἄρχοντος Ἀντιπάτρου, ἀνταγωνιζομένου αὐτῷ Νικοχάρους μὲν Λάκωσιν, Ἀριστομένους δὲ Ἀδμήτῳ, Νικοφῶντος δὲ Ἀδώνιδι, Ἀλκαίου δὲ Πασιφάῃ.* De quo loco V. D. in Quaest. Aristoph. I p. 187 ita commentatus est. «Miror haec credidisse viros doctos, in his ipsum A. Meinekium. Equidem potius censeo, alteros binos ex his quattuor Comicis cum Pluto I certasse, alteros vero binos cum Pluto II. Neque alteros ab alteris discernere magni laboris est.» Vera haec puto, quamquam exempla quinque fabularum simul in certamen commissarum satis certa, ut mihi quidem videtur, habemus in monumento didascalico apud Boeckhium Inscr. I 231, ubi vide doctissimum editorem ad 232. Quod autem addit Fritzschius non adeo magni laboris esse poetas illos discernere, mihi quidem parum prospere operam cessisse non diffiteor. De Aristomenis quidem Admeto supra coniecturam protuli nequaquam improbabilem; neque de Alcaeo dubito. Nicocharis autem Lacones et Nicophontis Adonidem primaene an secundae Pluti commissioni adscribam

---

[35]) Simili errore Alcaeus Messenius a quibusdam cum Mytilenaeo poeta confusus est. Vid. Iacobsius ad Anthol. III 3 p. 838, ubi de Messenio poeta omnia sunt congesta, si excipias memorabilem Porphyrii locum apud Eusebium Praep. Evang. X 2 *Ἀλκαῖος δὲ ὁ τῶν λοιδόρων ἰάμβων καὶ ἐπιγραμμάτων ποιητὴς παρῴδηκε τὰς Ἐφόρου κλοπὰς ἐξελέγχων.*

incertus haereo. Sed de aetate Alcaei quae dixi etiam fabularum tituli confirmant, ex quibus hoc certe conicias novissimis eum antiquae comoediae auctoribus accensendum esse. Accedit quod passim grammatici ex Alcaei fabulis verborum formas afferunt, quibus antiquos illos nusquam usos esse videas, velut *βασίλισσα* apud Phrynichum Ecl. p. 225 *βασίλισσαν Ἀλκαῖόν φασι τὸν κωμῳδοποιὸν καὶ Ἀριστοτέλην — εἰρηκέναι*, ad quae confer Antiattic. p. 84. Porro *βιάζειν γυναῖκα* pro *βιάζεσθαι* apud eundem Antiattic. p. 86, *ἀλαζὼν* pro *ἀλώμενος* apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 374 20, nisi id *ἀλάζων* scribendum et ad lyricum Alcaeum referendum est; porro *ἔδω* pro *ἔδομαι* apud Athenaeum VII p. 316 c, *σμυρίζειν* pro *μυρίζειν* ibidem XV p. 691 b, *κεραννύω* apud Athen. IX p. 424 d, *κατέχεσον* pro *κατέχεσα* apud Herodianum *περὶ μονήρους λέξεως* p. 24 aliosque. Eodem traxerim *ἄγροθεν* prima syllaba producta apud Macrob. V p. 559. Mitto alia eiusdem generis. [36])

Fabularum, quas decem Alcaeum docuisse Suidas et Eudocia affirmant, elogia haec sunt: *Ἀδελφαὶ μοιχευόμεναι.* Semel laudatur ab Athenaeo VII p. 316 b. Frequentior Ganymedis memoria, in qua Iovis et Vulcani partes fuisse docet locus ab Antiatt. p. 102 29 servatus. Praeterea laudatur Athenaeo III p. 110 a. X p. 445 e, Polluci VII 23, Grammatico Bekkeri Anecd. p. 360, Crameri Anecd. I p. 176. IV p. 418, Herodiano de dict. solit. p. 24, Choerobosco apud Bekkerum ad Etymol. M. p. 1004, Antiattic. p. 84 26. 103 4. Endymionem habemus apud Priscianum XVIII p. 188, Pollucem IX 53, Antiattic. p. 91 17, Schol.

---

[36]) Haec quae de Alcaei aetate et orationis qua usus est indole commentatus sum, non legerat Th. Bergkius in Zimmermanni Ephem. Antiqu. stud. III 6 p. 542.

Aristophanis Av. 1707. In Sacris nuptiis (Ἱερῷ γάμῳ) Iunonis et Iovis nuptias plane ad mortalium ritus videtur repraesentasse. Suspicari id licet ex fragmento apud Photium Lex. p. 479 4 servato. Coenae nuptialis in fabula celebratae indicia habemus apud Athenaeum IX p. 408 c. X p. 424 d. Callistonis duo supersunt fragmenta apud Athenaeum VIII p. 399 f et Antiattic. p. 85 6. Quorum quod Athenaeus servavit, non in Arcadia, quod ex titulo suspiceris, sed in ipsa Attica dramatis scenam fuisse ostendit.

Comoedotragoedia commemoratur ab Photio et Harpocrat. s. v. ἀδηφάγος, et ab Macrobio Saturn. V 20, ubi quod vulgo editur Alcaeus in Coelo tragoedia verissime emendavit Fabricius Bibl. gr. II p. 283, sed male dubitans sitne haec fabula ad Alcaeum tragicum referenda an ad comicum; siquidem de Alcaeo tragico quae unus, ni fallor, Suidas memoriae prodidit, ad fabulas reiicienda sunt. Minus recte apud Suidam fabulae titulus scriptus est Κωμῳδοτραγῳδός. Eodem nomine inscriptas fabulas docuerunt Dinolochus, Siculae poeta comoediae celeberrimus, et Anaxandrides. Antiattic. p. 87 24 Γελασίνην: τὴν πολλὰ γελῶσαν. Ἀναξανδρίδης ἐν Κωμῳδοτραγῳδίᾳ. Idem p. 112 29 Πέπαυνται: τὸ πληθυντικόν, ὁ αὐτὸς (praecedit locus e Dinolochi Telepho) Κωμῳδοτραγῳδίᾳ. In hisce fabulis quid consilii poetae sequuti sint quamquam difficile ad iudicandum est, non inutile tamen fuerit Plauti admonuisse, Amphitruonem fabulam, in qua deorum servorumque partes essent, Tragicocomoediam appellantis Prol. Amphitr. 59. Ad humanam vitam risu luctuque plenam vocabulum illud transtulit Porphyrius apud Stobaeum Floril. XXI 28 ἵνα μὴ τὴν τοῦ ἀθανάτου ἀξίαν περιτιθέντες τῷ φθαρτῷ καὶ γηΐνῳ καταγέλαστον αὐτὸ ποιῶμεν, καὶ πάλιν ἄξιον δακρύων ἐν τῇ κωμῳδοτραγῳδίᾳ τῇ τῶν ἀνοήτων βίων ἐνε-

χόμενον. Similiter Plato Philebo p. 50 B *τῇ τοῦ βίου ξυμπάσῃ τραγῳδίᾳ καὶ κωμῳδίᾳ.* Rursus Porphyrius ad Marc. p. 5 *ἀπομειλιττόμενος τοὺς ἐν τῇ κωμῳδοτραγῳδίᾳ προστάτας δαίμονας τὸν γαμικὸν ὕμνον ἀγωνίσασθαι οὐκ ὤκνησα ἀσμενέστατα.*

Reliquae Alcaei fabulae sunt Palaestra, quod muliereulae nomen est, et Pasiphae, quarum illam commemorat Athenaeus VIII p. 370 f. 396 c et XV p. 691 b, quo loco minus recte editur *Ἀλκαῖος ἐν Παλαίστραις Μυρίσασα συγκατέκλεισεν ἄνθ᾽ αὑτῆς λάθρᾳ,* pro *Παλαίστρᾳ Σμυρίσασα κτλ.* De Palaestra mulieris nomine constat ex Rudente Plauti. Pasiphaes duo supersunt fragmenta apud Grammaticum Bekk. Anecd. p. 454 4 et Pollucem X 11.

Ex incertis fabulis quae fragmenta servata sunt, partim ita sunt comparata ut dubius haereas utrumne ad lyricum an ad comicum Alcaeum referri debeant, velut apud Photium Lex. s. v. *μετρῆσαι* et *Πιτάνη εἰμί* aliisque locis, de quibus suo loco dicetur. Sed apud Scholiastam Nicandri Ther. 613 non dubitari potest quin lyricus intelligi debeat. Verba haec sunt: *Ἀλκαῖός φησιν ἐν τοῖς περὶ Ἀρχεανακτίδην καὶ τὸν πρὸς Ἐρυθραῖον* (leg. *Ἐρυθραίους*) *πόλεμον φανῆναι τὸν Ἀπόλλωνα καθ᾽ ὕπνους ἔχοντα μυρίκης κλῶνα.* Qui locus satis memorabilis est non solum propter Mytilenaeorum bellum contra Erythraeos gestum, sed etiam propter Archaeanactidae commemorationem, qui fortasse tyrannus fuit Mytilenaeus, quamquam a Strabone inter reliquos tyrannos non commemoratus. Eiusdem familiae cognationem attingebat haud dubie Archaeanax is quem Strabo XIII p. 340 Sigeum condidisse refert. Ceterum *Ἀρχεανακτίδης* scribas an *Ἀρχαιανακτίδης* perinde est. *Ἀρχεάνασσαν* habes in epigrammate apud Athen. XII p. 569 c. Denique fuerunt qui ad Alcaeum comicum Hesychii glossam refer-

reat, *Ἄλκεον: ὅπλον ἢ ἀλεξιφάρμακον φυτόν. Ἐρατοσθένης δὲ ὄνομα εἶναί τινος ἀνθρώπου κωμῳδουμένου.* Ubi recte quidem *Ἀλκαῖον* corrigunt, sed de comico poeta multum falluntur; neque enim dubitari potest quin Alcaeus citharoedus intelligendus sit, de quo Scholiasta ad Aristophanis Thesmoph. 162 *Ἀλκαίου τοῦ κιθαρῳδοῦ — καὶ Εὔπολις ἐν Χρυσῷ γένει μέμνηται «ὦ Ἀλκαῖε Σικελιῶτα Πελοποννήσιε.»* Fortasse igitur apud Hesychium *κιθαρῳδοῦ* scribendum est pro *ἀνθρώπου*. Ac nescio an is idem sit qui ab incerto antiquae comoediae poeta *Ἀλκίδης* dictus est. Hesychius, *Ἐξηκεστιδαλκίδαι: οἱ περὶ τὸν Ἐξηκεστίδην καὶ Ἀλκίδην τοὺς κιθαρῳδούς.*

Iisdem ferme temporibus vixit EUNICUS, quem vitiosis codicibus decepti A e n i c u m vocant Suidas et Eudocia p. 69 *Αἴνικος, κωμικός. ἔστι δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. δράματα* (fort. *δραμάτων*) *αὐτοῦ Ἄντεια.* Neque aliter infimae aetatis scriptor Theognostus apud Bekkerum Anecd. p. 1369 disputans de *ι* in nominibus propriis producta: *τὸ Αἴνικος, ὄνομα ποιητοῦ, Κάϊκος, Τρήνικος* (leg. *Γρήνικος*) *ὀνόματα ποταμῶν, Ἑλλάνικος* [37]), *Φίλικος*. Cui similia habet Arcadius de accentibus p. 51 23 *τὰ εἰς κος ὑπερδισύλλαβα, εἰ παραλήγοιτο ῑ μακρῷ, Ἄνικος* (sic) *κύριον, Κάϊκος, Γρήνικος, Φίλικος,* et qui propius etiam ad genuinam nominis formam accedit Eustathius ad Iliad. p. 890 16. *Γρήνικος προπαροξύνεται κατὰ τὸ Ἑλλάνικος, Ξένικος, Ἀριστόνικος*, ubi pro *Ξένικος* legendum *Εὔνικος*. Omnino mihi quidem Aenici nomen parum graece sonare videtur,

---

[37]) De Hellanico recte statuit, poteritque etiam hinc refelli Passovius, qui penultimam huius nominis corripi existimabat. V. Lobeck ad Phrynich. p. 670 et Osann ad Philem. p. 250. Sed de Philico multum fallitur Theognostus. V. Naekii sched. crit. p. 19.

mirorque Hemsterhusium aliosque, qui apud Pollucem X 100 *ὑποδηλοῖ δὲ Εὔνικος ἐν Ἀντείᾳ*, genuinam formam obliterarunt. Pessime omnium haud dubie Schweighaeuserus ad Athen. III p. 86 e. utrumque ei nomen fuisse suspicatur. Anteam fabulam ab aliis Philyllio tributam esse docet Athenaeus XIII p. 567 c *Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου Ἄντεια*, ubi dramata recenset meretricum nominibus inscripta. Haec Antea non diversa fuisse videtur ab ea quam commemorat Demosthenes c. Neaer. p. 1351 quaeque etiam Antiphani vel Alexidi fabularum argumentum praebuit; quamquam id incertum est, ut infra docebimus. Commemoratur etiam, sed tanquam mortua, in Anaxandridis loco apud Athenaeum XV p. 570 e, ubi amica Laidis Corinthiae dicitur: *ἦν ἐκείνῃ τις φίλη Ἄνθεια*, ut Schweighaeuserus e cod. Ven. dedit pro *Ἄντεια*. Athenaeus XIII p. 587 e postquam Lysiae locum ex oratione contra Laidem apposuit, in quo Anthea inter eas recenset meretrices quae iuvenes scortari desierint, sic pergit: *μήποτε δὲ δεῖ γράφειν ἀντὶ τῆς Ἀνθείας Ἄντειαν· οὐ γὰρ εὑρίσκομεν παρ᾽ οὐδενὶ Ἄνθειαν ἀναγεγραμμένην ἑταίραν. ἀπὸ δὲ Ἀντείας καὶ ὅλον δρᾶμα ἐπιγραφόμενον, ὡς προεῖπον, Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου Ἄντειά ἐστιν*, ubi vide Schweighaeuserum, cuius notatis adde Anecdota Bekkeri p. 403. *Ἄνθεια ὄνομα ἑταίρας, τινὲς δὲ ἀντὶ τοῦ θ Ἄντεια γράφουσιν.* Praeter Anteam nonnisi una commemoratur Eunici fabula, *Πόλεις* inscripta, sed quam alii aliis auctoribus tribuebant. Athenaeus III p. 86 e *Φιλύλλιος δ᾽ ἢ Εὔνικος ἢ Ἀριστοφάνης ἐν Πόλεσιν* (ita enim recte Schweighaeuserus edidit pro vulgato *Φρύνιχος*, cuius loco libri habent *Δύνικος*) et IV p. 140 a *Ἀριστοφάνης ἢ Φιλύλλιος ἐν ταῖς Πόλεσιν*. Denique, ut nihil huius generis omittamus, male Eunici nomen pro Epinico legitur in cod. Ven. Athenaei XV p. 500 f, ubi vide interpretes.

CANTHARUS, Atheniensis, testibus Suida s. v. *Κάνθαρος* et Eudocia p. 269. Aetatis indicium unum hoc habemus, quod quae Platonis ferebatur fabula *Συμμαχία*, eadem ab aliis Cantharo tribuebatur. Neque enim unquam fabulam duobus auctoribus tribui videas, nisi tempore fere aequalibus. Praeter *Συμμαχίαν*, quae male *Συμμαχίαι* appellatur a Suida, et cuius pleraque fragmenta collegit Porsonus Advers. p. 265, laudantur Canthari *Μήδεια* a Suida et Michaele Apostolio s. v. *Ἀράβιος αὐλητής*, Polluce IV 61, Antiatticista p. 85. 97, et *Τηρεὺς* apud Athenaeum III p. 81 d, Suidam et Mich. Apostolium s. v. *Ἀθηναία* et Antiatticistam p. 79 *Ἀνασεῖσαι: ἀντὶ τοῦ ἀναπεῖσαι, Κάνθαρος Τηρεῖ.* Quas praeterea Suidas et Eudocia Cantharo fabulas tribuunt *Μύρμηκες* et *Ἀηδόνες*, earum nulla supersunt fragmenta. De *Μύρμηξι* cfr. p. 163.

DIOCLES, Atheniensis sive ut aliis placuit Phliasius. Suidas: *Διοκλῆς Ἀθηναῖος ἢ Φλιάσιος, ἀρχαῖος κωμικός, σύγχρονος Σαννυρίωνι καὶ Φιλυλλίῳ.* Fortasse Phliuntem patriam habuit, postea attica civitate donatus. Fabulas eius Suidas et Eudocia p. 132 commemorant hasce:

Βάκχαι, quo nomine etiam Lysippus et Antiphanes fabulas docuerunt, laudantur Polluci X 78, Antiatticistae p. 87, Grammatico Seguer. p. 452, Suidae et Photio s. v. *κακὰ κακῶν*, ubi quod editur *Διοκλῆς Βάκχῃ*, correxerunt Hemsterhusius ad Pollucem II p. 1246 et Toupius Emend. III p. 101.

Sequitur *Θάλαττα*, quod meretricis nomen, teste Suida, qui sua hausit ex Athenaeo X p. 567 c. Fragmentum fabulae unum superest apud eundem VII p. 307 d.

Κύκλωπες ab aliis Calliae tribuebantur, ut supra monuimus p. 214.

Μέλιτται, quae *Μέλιττα* minus recte ab Eudocia

dicitur, passim obvia, ut apud Athenaeum X p. 426 d, ubi lege τὸν οἶνον δεῖ με τέτταρα καὶ δύο, Pollucem X 99, Hesychium s. v. Τίγγα sive potius τιγγάβαρι (ut apud Photium et Eustathium legitur), Antiatticistam p. 87 4 aliisque locis. De argumento fabulae quae commentus est Hemsterhusius ad Pollucem l. l. fortasse apum solertiam et sedulam industriam, quae constitutam bene rempublicam imitarentur, in ea expositas fuisse, eiusmodi sunt ut etiam falsissima haberi possint. Mellis fabricam commemoratam esse docet locus apud Grammaticum Seguer. p. 350 14.

Θυέστης et *Ὄνειροι* a nemine commemorantur nisi ab Eudocia et Suida, quorum illa alteram fabulam *Ὄνειρα* appellat. Thyestae duae fuisse videntur recensiones. Certe Suidas habet *Θυέστης β'*. Non credo tamen Thyesten ab ullo unquam poeta comico scriptam esse. Orestem pro Thyeste calami puto errore nominat Fabric. Bibl. Gr. II p. 437.

Non ineleganti fuisse poetam ingenio, docet locus in Lexico Seguer. p. 339 ita, ni fallor, legendus:

Μηδεὶς ποθ' ὑμῶν, ἄνδρες, ἐπιθυμησάτω
γέρων γενέσθαι; τοῦτο δὲ προνοησάτω
ὅπως νέος ὢν ἀγαθόν τι τῇ ψυχῇ παθὼν
ὥρᾳ καταλύσει, μηδ' ἀγόμφιόν ποτε
αἰῶνα τρίψει.

In oratione quae singularia reperiuntur in fragmentis fere haec sunt. Τιμαῖος pro τιμῆς ἄξιος apud Photium Lex. p. 509 17, γυναικηρός apud Antiattic. p. 87 2 et δραπέτευμα ibidem p. 88 20, λάσανον i. e. χυτρόπους apud Pollucem X 99, γυναικάριον apud Grammat. Bekkeri p. 87 4. Ceterum non omittenda sunt quae Suidas de nostro Diocle tradidit: τοῦτον δέ φασιν εὑρεῖν καὶ τὴν ἐν ὀξυβαφίοις ἁρμονίαν ἐν ὀστρακίνοις ἀγγείοις, ἅπερ ἔκρουεν ἐν ξυλυφίῳ. Quae eadem repetuntur s. v. ξυλυφίων, ubi pro ἔκρουεν

legitur *ἔχρονον*, et s. v. *ὀξυβάφιον*, ubi abest *ἐν* ante *ὀστρακίνοις*. Cfr. Casaubonus ad Athenaeum V 4. Sed videndum ne haec non ad comicum poetam, sed ad alium Dioclem spectent, quem Suidas s. v. *Ἀλκιδάμας* de rebus musicis (*μουσικά*) scripsisse memoriae prodidit.

NICOCHARES, Cydathenaeus, Philonidis comici poetae filius. Stephanus Byz. s. v. *Κυδαθήναιον*, Suidas s. v. *Νικοχάρης* et Eudocia p. 311. Certavit et ipse cum Aristophane, ut docemur in Argumento Pluti II. Floruit igitur extremis antiquae comoediae temporibus, immo si vera est coniectura Boeckhii lacunam monumenti didascalici Corp. Inscr. I p. 354 ita explentis *Νι[κοχάρ]ης Ποιητῇ*, vitam ultra Olymp. CVI 3 produxisse censendus est. In nomine viri ita fere variatur, ut alii *Νικόχαρις* alii *Νικοχάρης* habeant. Alteram formam *Νικοχάρης* praeferunt Iungermannus ad Pollucem X 93 et T. Hemsterhusius ad Aristophanis Plut. p. 57. [38]) Et recte quidem, ut vel hoc argumento intelligitur, quod secundum casum constanti usu efferunt *Νικοχάρους*. V. Pollucem VII 45. X 141 et Argumentum Pluti p. 5. Semel, si recte memini, Eudocia p. 311 contra usum formavit *Νικοχάρητος*, ut *Χάρης Χάρητος*.

Fabulae Nicocharis a Suida et Eudocia enumerantur haece: *Ἀμυμώνη* semel laudata Athenaeo X p. 426 e

Οἰνόμαος οὗτος χαῖρε, πέντε καὶ δύο,
κἀγὼ τε καὶ σὺ συμπόται γενοίμεθα.

Ubi ex Oenomai mentione haud temere coniicias plenum fabulae titulum fuisse *Ἀμυμώνη ἢ Πέλοψ*, siquidem Pelopem Suidas tanquam singularem fabulam proximo post Amymonen loco nominat, dum ceterorum dramatum titulos

---

[38]) Idem ad Pollucem X 107 utramque nominis formam recte habere existimabat.

ordine alphabetico enumerat. Quamquam haec etiam ita expediri possunt, ut quam Nicochares Amymonen inscripserat fabulam ab aliis sub Pelopis nomine laudatam esse dicamus, quod errorum genus satis frequens est in scriptis grammaticorum. Ita Euripidis Hecubam pro Troadibus nominavit Etymol. M. p. 702 *ῥάχις — ὡς δέ τινες τράχις διὰ τὴν τραχύτητα τῶν συνεστηκότων αὐτῇ κονδύλων· διὰ τοῦτο δὲ καὶ ἀκανθοτάτας* (leg. *ἀκανθώδεις*) *ἐκ τούτων ἀποφύσεις εἶναι. ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ πέτρας καὶ ἐπὶ σώματος· καὶ ἐπὶ σώματος μὲν εἴρηται παρὰ τὸ τραχύ, ὡς Εὐριπίδης ἐν Ἑκάβῃ ἀκανθώδη εἶπε τὴν ῥάχιν.* Ubi pro *ἀκανθώδη* scribe *ἄκανθαν* et respici puta Euripidis Troad. 117 *καὶ διαδοῦναι νῶτον ἄκανθάν τ' εἰς ἀμφοτέρους τοίχους μελέων*, ubi v. scholia. Electram citari pro Oreste apud Fulgent. Myth. III 5 notatum video a Valcken. Diatr. p. 16 B. Plura eius generis composuit Dobraeus Collat. Aristoph. Ran. 305. Cfr. Gesner. ad Luc. I p. 557.

Galatea Cyclopis et Galateae amores complexa laudatur Polluci lib. X 93, ubi quod commemoratur vasculum,

σοφαῖσι παλάμαις τεκτόνων εἰργασμένον,
καὶ πόλλ' ἐν αὐτῷ λέπτ' ἔχον καδίσκια,

fortasse in muneribus fuit Galateae a Cyclope oblatis; neque inepte, opinor, coniicias quae ex eodem dramate affert Scholiasta Aristophanis Plut. 179

Ἦ δῆτ' ἀπαιδευτότερος εἶ Φιλωνίδου
τοῦ Μελιτέως,

Galateae ad Cyclopem verba esse. Si vera est nostra de argumento fabulae suspicio, simul de tempore quo acta est fabula probabilem coniecturam capere licebit. Scilicet Galateae et Cyclopis amores, postea ab Alexandrinis potissimum poetis, Theocrito, Callimacho apud Athenaeum VIII p. 284 Bione apud Moschum III 58, Hermesianacte apud Herodia

num de dictione solit. p. 16 14, celebratos, primus omnium finxisse fertur Philoxenus Cytherius, teste Duride Samio apud Scholiastam Theocriti Idyll. VI 7 *Δοῦρίς φησι διὰ τὴν εὐβοσίαν τῶν θρεμμάτων καὶ τοῦ γάλακτος πολυπλήθειαν τὸν Πολύφημον ἱδρύσασθαι ἱερὸν παρὰ τῇ Αἴτνῃ Γαλατείας, Φιλόξενον δὲ τὸν Κυθήριον ἐπιδημήσαντα καὶ μὴ δυνάμενον νοῆσαι τὴν αἰτίαν ἀναπλάσαι ὅτι Πολύφημος ἤρα τῆς Γαλατείας,* quibus similia leguntur in argumento eiusdem idyllii. Carmen autem Philoxeni, in quo Cyclopis et Galateae amores tractaverat, quum brevi ante Aristophanis Plutum secundam in notitiam hominum venerit, Nicocharis Galateam multo ante Olymp. LXXXVIII in scenam fuisse productam non probabile est.

De Hercule duabus in fabulis Nicochares egerat, quarum altera *Ἡρακλῆς χορηγός* inscripta laudatur ab Athenaeo XIV p. 619 a et Polluce VII 45, ubi qui affertur versus, *φέρε νῦν ταχέως χιτῶνα τόνδ' ἐπενδύτην,* non male convenit Herculi scenicum ornatum apparanti. Altera a Suida appellatur *Ἡρακλῆς γαμῶν,* a Polluce autem VII 40 *Ἡρακλῆς γαμούμενος,* quod ineptum est, nisi forte in ipso fabulae indice poetam acumen quaesivisse putabimus, ut Hercules significetur Omphales imperio subiectus, quo sensu verbo *γήμασθαι* de viro usum esse constat praeter alios Anacreontem, *ἐκεῖνος οὐκ ἔγημεν ἀλλ' ἐγήματο.*

Quae deinceps commemorantur a Suida fabulae, *Κένταυροι* sive ut in Lexicis Seguer. dicitur *Κένταυρος, Κρῆτες* et *Λάκωνες,* simul cum Pluto Aristophanis in scenam producta, earum perpauca supersunt fragmenta. *Λήμνιαι* quater laudantur, quarum quod argumentum fuerit subindicat locus apud Etymol. M. p. 550 14 *πλέομεν ὦ κόρη 'πὶ κῶς,* quae Iasonis ad Hypsipylen verba esse monuerunt T. Hemsterhusius ad Plutum p. 57 et Odofredus Muellerus de

Minyis p. 302. Male vulgatur Νικοχάρης Δημνίᾳ· ἐπλέομεν etc. quod emendavit Porsonus, et ex parte iam Casaubonus ad Athen. p. 328 e. Denique Χειρογάστορες, de qua infra in Nicophonte dicetur. Ceterum idemne sit hic Nicochares cum eo cuius Δηλιάδι, in quo carmine Delios irriserat, affert Aristoteles Art. Poet. II 7, ut incompertum in medio relinquam. Fabulis tamen Delias illa accenseri a Fabricio aliisque non debuit.

NICOPHON, Theronis filius, Atheniensis, teste Suida in v. Νικοφῶν. Ita enim recte Kusterus edidit pro Νικόφρων. Viderunt etiam Meursius Bibl. Attica et Iungermannus ad Pollucem vol. II p. 709. Vitiosam formam, non suspectam illam Casaubono ad Athen. IX p. 370 f tenet Eudocia p. 311 et iterum Suidas s. v. ἀράχνη, et cod. Falckenb. Pollucis III 18, qui tamen propius ad verum habet Νικοφρῶν. Eadem corruptela in versu incerti comici apud Stobaeum Ecl. phys. p. 239 ὁ πολὺς χρόνος πάντ' ἐξελέγχει Νικοφρῶν. De τονώσει nominis Νικοφῶν admonuit Herodianus de dictione solit. p. 9 27, ubi cum Ἀντιφῶν Εὐρυφῶν Ξενοφῶν aliisque componitur Νικοφῶν ὁ κωμικός. Aetatem Nicophontis Suidas indicat Aristophanis eum aequalem fuisse dicens; neque id male, si extrema Aristophanis tempora intellexit. Veteris comoediae poetam diserte perhibent Athenaeus III p. 126 e et Harpocratio s. v. κορδακισμός. Sed mediae eum comoediae tempora attigisse docent fabularum tituli, quos Suidas et Eudocia p. 311 hoc ordine recensent: Ἄδωνις una cum Aristophanis Pluto secunda in certamen commissa, ut ex argumento Pluti constat. Fragmentorum nihil superest. Ἀφροδίτης γοναί, passim laudata. Ἐξ ᾅδου ἀνιών ab uno Suida et Eudocia ad partes vocata. Frequentior Πανδώρας mentio, etiam apud Photium Lex. p. 290 Νέακας, τοὺς νέους. Κτησιφῶν Παν-

δῶρα, ubi recte Ruhnkenius ad Tim. p. 282 *Νικοφῶν* corrigit. Eiusdem fabulae nomen pro *Πανδάρῳ* Suidae s. v. *κοιμίσαι* restituit Kusterus

Χειρογάστορες. Huius fabulae plenum titulum sunt qui Scholiastam Aristophanis Av. 1550 servasse credant, ubi citatur *Νικοφῶν ἐν Χειρογαστόρων γέννᾳ*

Αὐτὸς ὀλίγον ἄναγε δή

ἀπὸ τῆς διφροφόρου.

Sed permirum est in atticae comoediae indice vocabulum et usu et forma mere poeticum atque a communi dicendi consuetudine prorsus alienum. Operariorum origines vel natales si significare voluisset Nicophon, non dubitari potest quin *Χειρογαστόρων γοναί* fabulae indicem facturus fuisset, quem ad modum *Πανὸς γονὰς* scripsit Araros, *Διὸς γονὰς* Philiscus, *Μουσῶν γονὰς* Polyzelus, *Ἀθηνᾶς γονὰς* Hermippus, *Ἀφροδίτης γονὰς* Antiphanes et ipse de quo agimus Nicophon. Ac nescio an vel hoc argumento corruat Welckeri, ingeniosissimi viri, coniectura, qui in Annalibus Instit. archaeol. II 2 p. 245 sqq. illo Nicophonteae fabulae titulo confisus *Χειρογαστόρων*, quos Palicos esse voluit, natales in vasculi ab ipso descripti pictura ad Nicophontis imitationem repraesentatos esse sibi persuasit. [39]) Corruptus igitur est Nicophonteae fabulae qualis ab uno Scholiasta Aristophanis proditus est, index, scribendumque sine dubitatione *ἐν Χειρογάστορσιν*, *γέννᾳ* autem, in quo quid lateat fortasse aliis eruere continget, cum poetae *χρήσει* coniun-

---

39) Haec dum scribo commode affertur Hermanni diss. de Aeschyli Aetnaeis, in qua p. 9 sqq. Welckerianam illius vasculi picturae interpretationem gravissimis, ut mihi videtur, argumentis impugnavit. Quod vir summus Nicophonteae fabulae titulum in suspicionem non vocavit, casu potius quam consilio factum arbitror.

gendum. Eiusdem fabulae titulus levi vitio corruptus legitur apud Antiattic. p. 89, ubi laudatur *Νικοφῶν Χειρογάστορσι*, minus levi errore *Ἐγχειρογάστορες* vocatur a Suida et Eudocia, quamquam hanc formam non plane inusitatam fuisse docet Athenaeus I p. 4 d cll. Hesychio s. v. *ἐγχειρογάστωρ* et Scholiasta Apollonii Rhod. I 989, ubi tamen scholia Par. habent *ἐγγαστρόχειρας*. Cetera dramatis fragmenta vide apud Athenaeum III p. 126 e. IX p. 389 a. XIV p. 645 e, Pollucem IV 55, Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 455 et Etymologum M. p. 367 32, ubi qui versus legitur:

Κόλλικας, ὀβελίαν, μελιτοῦτταν, ἐπιχύτους,

eundem cum duobus aliis ex cognomine Nicocharis fabula affert Athenaeus XIV p. 645 c. Sed Nicocharis *Χειρογάστορες* quum nemo alius ad partes vocaverit (nam Suidas sine dubio non nisi ex ipso illo Athenaei loco cognitam habuit), non temere, opinor, etiam apud Athenaeum Nicophontis nomen reponendum putamus. [40]) Denique *Σειρῆνας* praeter Suidam aliquoties laudat Athenaeus, ex cuius lib. VI p. 270 a. hanc etiam fabulam *ἀδίδακτον* fuisse discimus.

PHILYLLIUS, Atheniensis, Dioclis et Sannyrionis aequalis, teste Suida s. v. *Διοκλῆς*. Recte antiquae comoediae poetis accensetur ab eodem Suida s. v. *Φιλύλλιος*, siquidem iam ante Aristophanis Ecclesiazusas h. e. ante Olymp. XCVI 4 eum inclaruisse e Scholiasta Aristoph. Plut. 1195 discimus; quamquam qui fabularum titulos consideraverit, non dubitabit quin aetas eius etiam ad mediae tempora comoediae pertinuerit, idque confirmant etiam ea quae supra p. 250 de *Anthea* fabula disputavimus. Nec obstat orationis color, in qua deprehendas nonnulla a genuinorum et veterum Atticorum usu aliena. Ita *κατὰ χειρῶν δοῦναι* dixit

---

[40]) Sequutus est Dindorfius.

pro eo, quo constanter usi sunt veteres illi, *κατὰ χειρὸς δοῦναι* apud Athenaeum IX p. 408 c. Forma *ἅλας, ἅλατος*, usus est apud Grammaticum Seguer. p. 381 6. Singulare item quod Antiatticista p. 83 servavit *ἀναλφάβητος* pro *ἀμάθητος γραμμάτων*, et *βέδυ* h. e. *ἀὴρ* apud Clementem Alex. Str. V p. 569 b. In rebus scenicis nonnihil novasse Philyllium, e Strattidis loco apud Scholiastam Aristophanis Plut. 1195 colligitur, ubi primus omnium faces in scenam protulisse dicitur, quo spectant fortasse haec Athenaei lib. XV 700 e. *Φιλύλλιος δὲ τὰς λαμπάδας δᾷδας καλεῖ.* Nomen poetae miris saepe modis corruptum legitur. *Φιλλύλιος* scribitur apud Suidam s. v. et in *Φιλοκλῆς*. Eundem errorem suscepit Eudocia p. 428 et ante Iungermannum Pollux VII 192. In *Φιλαῖος* abiit apud Photium Bibl. 167 p. 115 Bekk., in *Φιλόλαος* apud Hesychium vol. II p. 491, in *Φιλλύδεος*[41]) apud Clementem Alex. Strom. V p. 243 Sylb. Mitto alia, de quibus praeter Ruhnkenium ad Timaei Lex. p. 167 et ad Rutilium Lup. p. 103 v. interpretes Pollucis VII 192. Fabulas Philyllii hoc ordine Suidas et Eudocia p. 428 enumerant: *Αἰγεύς, Αὔγη, Ἄντεια* (*ἑταίρας ὄνομα*), *Δωδεκάτη, Ἡρακλῆς, Πλύντρια ἢ Ναυσικάα, Πόλις* (leg. *Πόλεις*), *Φρεωρύχος, Ἀταλάντη, Ἑλένη*. Ubi postremae fabulae Atalanta et Helena praeter litterarum ordinem illatae dubitationem movent. *Αἰγεὺς* tribus locis commemoratur, apud Suidam s. v. *ἀναλφάβητος*, Antiatticistam p. 83 et Stephanum Byz. s. v. *Γαλεῶται*, ubi tamen Ruhnkenius ad Timaeum l. l. *Αὔγῃ*[42]) pro *Αἰγεῖ* scribendum et huius fabulae titulum ex librariorum errore ortum

---

[41]) Scilicet ex *ΦΙΛΥΛΛΙΟC* factum *ΦΙΛΥΔΛΙΟC* idque deinceps prono errore abiit in *ΦΙΛΥΔΕΟC*.

[42]) Constanti errore Ruhnkenius scripsit *Αὔγῇ*.

existimat. Eadem Salmasii fuisse videtur sententia Exercitt. Plin. p. 757 et Casauboni ad Athenaeum III p. 100 f et XI p. 485 b. Sed eodem iure Augen, quae et ipsa nonnisi tribus locis laudatur, proscribendam et ex Aegeo corruptam esse statuas. Praestat igitur et Augen et Aegeum Philyllio relinquere. De *Ἀντείᾳ* vide supra, ubi de Eunico egimus p. 250. *Δωδεκάτη* permirus fabulae index semel laudatae apud Polluc. X 70, ubi inepte Kuhnius ad explicandam tituli rationem meretricis *δωδεκαμηχάνου* admonet. Rectius admoneas glossae Hesychianae: *Δωδεκάτη, ἑορτὴ Ἀθήνησιν, ἣν χόες ἔλεγον.* Cfr. Meursius Lectt. Att. IV 13. Fabularum a deorum solennitatibus denominatarum exempla passim vidimus. *Ἡρακλῆς* ad Herculis *ἀδηφαγίαν* spectabat, ut coniicias e loco apud Athenaeum IV p. 171 d, ubi *Δορπίαν* prologum, ut videtur, fabulae agentem habemus:

Βούλεσθε δῆτ᾽ ἐγὼ φράσω τίς εἰμ᾽ ἐγώ;
ἡ τῶν προτενθῶν Δορπία καλουμένη.

Sequitur *Πλύντρια ἢ Ναυσικάα*, quem plenum fabulae titulum unus Suidas servavit, eumque sequuta Eudocia. Recte autem corrigit *Πλύντριαι* Iungermannus ad Pollucem VII 192, quod idem certatim viri docti restituunt Scholiastae Aristophanis Av. 1568, ubi vulgatur *ἐν ταῖς Πλυντηρίαις*. Videtur una ex prioribus poetae nostri fabulis fuisse, si quidem Laespodiam in ea perstrinxit. Argumentum dubitari non potest quin ex Odysseae libro sexto ductum fuerit.

Πόλεις, male apud Suidam *Πόλις* vocata, passim laudatur Athenaeo, sed ita fere ut de auctore fabulae dubitatum esse appareat. Ita lib. III p. 92 e *Φιλύλλιος ἢ ὅστις ἐστὶν ὁ ποιήσας τὰς Πόλεις.* Similiter IX p. 381 a, disertius IV p. 140 a *Ἀριστοφάνης ἢ Φιλύλλιος*, et III p. 86 e *Φιλύλλιος ἢ Εὔνικος ἢ Ἀριστοφάνης ἐν Πόλεσιν.* Semel tantum simpliciter *Φιλύλλιος ἐν Πόλεσιν* III p. 104 f ut ali-

quoties Pollux et semel Hesychius s. v. *λιχνοφειδωλάργυρος*. Eodem titulo fabulas docuerunt Eupolis et Anaxandrides.

Denique *Φρεωρύχος*. Pollux VII 191 *καὶ φρεωρύχος δὲ ἂν εἴη τέχνης εἶδος. Φιλυλλίῳ γὰρ δρᾶμά τι ὁ Φρεωρύχος*. Laudatur etiam ab Athenaeo et tacito fabulae titulo ab Eustathio ad Odyss. *ε'* 249.

POLYZELUS, de cuius fabularum ingenio et argumento uberius se dicturum esse frustra pollicitus est T. Hemsterhusius ad Polluc. II p. 1244, et ipse antiquae comoediae poeta fuit, ut colligas e fragmento fabulae *Δημοτυνδάρεως* apud Photium et Suidam s. v. *τριῶν κακῶν*.

Τριῶν κακῶν γοῦν ἣν ἑλέσθ' αὐτῷ τι πᾶσ' ἀνάγκη,
ἢ ξύλον ἐφέλκειν ἢ πιεῖν κώνειον ἢ προδόντα
τὴν ναῦν ὅπως τάχιστα τῶν κακῶν ἀπαλλαγῆναι.
ταῦτ' ἐστὶ τρία Θηραμένους, ἅ σοι φυλακτέ' ἐστί.

In eadem fabula Hyperboli, quem mortuum esse constat Olymp. XCII 1, peregrinam originem notaverat, teste Scholiasta Luciani Tim. 30. Eundem tamen etiam mediae aetatem comoediae attigisse nescio an fabularum tituli doceant, ex quibus Suidas s. v. *Πολύζηλος* hosce commemorat: *Νίπτρα, Δημοτυνδάρεως* [43]), *Διονύσου γοναί, Μουσῶν γοναί, Ἀφροδίτης γοναί*. Quibus *Ἄρεως γοναί* adduntur ab Eudocia p. 359. Omnes enim fabulas quibus a deorum natalibus nomina sunt imposita, si unius Hermippi *Ἀθηνᾶς γονὰς* excipias, a mediae comoediae auctoribus esse editas infra docere conabor. Quod Casaubonus ad Athen. IX 370 f scribit «in Stobaei marginibus notare memini *Ἑρμοῦ γονὰς* «*Πολυζήλου*: cuius dramatis meminit aliquot locis Iul. Pol-

[43]) Kusterus *Μῖμος Τυνδάρεως* coniicit, deceptus loco Pollucis X 76, ubi nunc recte e libris editum est *Δημοτυνδάρεῳ*.

«lux» falsissimum est. Nihil eiusmodi neque in Stobaei margine legerat nec in Polluce, qui semel laudat *Μουσῶν γονάς* VI 168 (quam habes etiam apud Athenaeum X p. 370 f, Zenobium VI 50 et Etymol. M. s. v. *ἐπάκριος*) et semel *Διονύσου γονάς* X 109. *Ἑρμοῦ γοναὶ* fabula fuit Philisci. Quae in didascalico monumento apud Boeckhium Corp. Inscr. vol. I 230 commemoratur fabula *Διονύσου γοναί* Olymp. CIII 4 acta, eam ad Polyzelum pertinere posse fortasse non recte negat Clintonus Fast. Hellen. p. 127 Kr. si praelongam viro vitam obtigisse statuamus. Praeterea nonnisi e *Δημοτυνδάρεῳ* fragmenta supersunt, cuius argumentum de Attici populi restitutione in integrum egisse suspicatur Kuhnius ad Polluc. X 76, e titulo fabulae coniecturam capiens, siquidem Tyndareum Aesculapii arte et consilio a mortuis resuscitatum ferunt. Quae si vera est suspicio, fabulam Olymp. XCIV 2 actam coniicere licet, quo anno, everso triginta tyrannorum dominatu, populi imperium restitutum esse constat. De Tyndareo ab inferis revocato Kuhnius laudat Lucianum de Salt. 45 et Plinium H. N. XXIX 1. Potuisset vetustiorem adferre auctorem, Panyasin apud Sextum Empir. adv. Gramm. I 12 et Scholiastam Euripidis Alc. 1. Cfr. Zenobius I 45, Eudocia p. 217 et Suidas s. v. *ἀναβιῶναι*. Laudatur Demotyndareos praeterea a Polluce X 76, Etymologo M. s. v. *ἐννεάκρουνος*, et Erotiano p. 130 *οἶνον αὐτίτην, τὸν ἀπαράχυτον, ὡς καὶ Πολύζηλος ἐν Δήμῳ Τυνδάρεων*, leg. *Δημοτυνδάρεῳ*. Ad eundem Polyzeli locum respicit Athen. I p. 31 e. *Πολύζηλος δὲ αὐτίτην καλεῖ οἶνον ἐν Ῥόδῳ*. Ubi male Schweighaeuserus Polyzelum historicum [44]) significari statuit. Incertae fabulae unum fragmentum superest apud Pollucem II 118.

---

[44]) Quem a comico poeta diversum esse recte statuit Ca-

SANNYRIO, Atheniensis, Dioclis et Philyllii aequalis, teste Suida s. v. *Διοκλῆς*. Fabulas docuisse videtur inde ab Olymp. XCIII. Si Io fabula, quam archonte Hippodamante commissam esse ex monumento didascalico apud Boeckhium Corp. inscr. I p. 353 discimus, ad Sannyrionem spectat, hunc ultra Olymp. CI 2 vitam extendisse confectum esset. Casauboni error (ad Athen. VII p. 286 c) Sannyrionem antiquae comoediae poetarum antiquissimum dicentis unde fluxerit indicavi p. 25. Propter corporis gracilitatem et macilentiam ridetur a Strattide apud Pollucem X 189 *ὅθεν καὶ Στράττις ἐν τῷ Κινησίᾳ τὸν Σαννυρίωνα διὰ τὴν ἰσχνότητα κάναβον καλεῖ*, et apud Athenaeum X p. 551 c *Σαννυρίωνος σκυτίνην ἐπικουρίαν*, acerbius etiam ab Aristophane, qui eum una cum Cinesia et Meleto, tenuissimis hominibus, ad inferos tanquam *ἀδοφοίτην* quendam et legatum missum esse lepidissime fingit in Gerytade p. 109 Dind.

εἰσὶ γάρ τινες
ἄνδρες παρ' ὑμῖν ἀδοφοῖται; β' νὴ Δία
μάλιστά γ', ὥσπερ Θρᾳκοφοῖται [45]. *πάντ' ἔχεις.*
α' καὶ τίνες ἂν εἶεν; β' πρῶτα μὲν Σαννυρίων
ἀπὸ τῶν τρυγῳδῶν, ἀπὸ δὲ τῶν τραγικῶν χορῶν
Μέλητος, ἀπὸ δὲ τῶν κυκλίων Κινησίας.

Vicissim Aristophanem irrisum esse a Sannyrione docet Scholiasta Platon. p. 331 Bekk. De fabulis eius Suidas ita: *δράματα αὐτοῦ ἐστὶ ταῦτα· Γέλως, Δανάη, Ἰώ, Ψυχασταί, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.* Eudocia autem p. 382 neglecta Danae hosce nominat titulos: *Γέλως, Ἰνώ, Ἰώ,*

---

saubonus ad Athen. X p. 370 f. Mireris dubitasse T. Hemsterhusium ad Polluc. II p. 1244.

[45]) Similiter qui Libyam adirent dicebantur *Λιβυφοῖται*. Hesychius, *Λιβυφοίτην: τὸν ἐπιγενόμενον Λίβυσιν.* Memini me etiam alia eius generis legere.

Σαρδανάπαλλος, Ψυχασταί. Quae unde Inonem et Sardanapallum arripuerit nescio, Psychastas autem non dubito quin Suidas ex hoc Athenaei loco negligentius inspecto assumpserit: *περὶ δὲ τοῦ Σαννυρίωνος καὶ Στράττις ἐν Ψυχασταῖς «Σαννυρίωνος σκυτίνην ἐπικουρίαν»* lib. XII p. 551 c. *Γέλως* septies laudatur; Danaes unum fragmentum apud Scholiastam Euripidis Orest. 269 superest, in quo Hegelochum Euripidis in Oresta histrionem ridet facetissime:

Τί γὰρ γενόμενος εἰς ὀπὴν ἐνδύσομαι
*φέρ' εἰ γενοίμην * * * * * γαλῆ;*
*ἀλλ' Ἡγέλοχος * * με μηνύσειεν ἂν*
ὁ τραγικός, ἀνακράγοι τ' ἂν εἰσιδὼν μέγα
«ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ.»

Quae Iovis verba esse suspicor in Danaes thalamum illapsuri. Denique *Ἰοῦς* memoriam praeter Suidam servavit Athenaeus VI p. 261 f *καὶ Σαννυρίων Ἰοῖ· Φθείρεσθ' ἐπίτριπτοι ψωμοκόλακες.* Sic enim pro vulgato *Σαννυρίων· Ποῖ φθείρεσθ' ἐπίτριπτοι*, legendum esse vidit Porsonus. Ceterum alius sine dubio Sannyrio est is quem Aelianus V. H. XIII 15 in bardorum stupidorumque hominum numero simul cum Coroebo Meletide aliisque commemorat. Mimum eiusdem nominis habemus apud Alciphronem III 55, ubi cfr. Bergierus.

DEMETRIUS. Hunc antiquae fuisse poetam comoediae constat expresso Diogenis Laert. V 85 testimonio, ubi inter alios poetas Demetrios etiam commemoratur *ὁ ἀρχαίαν κωμῳδίαν πεποιηκώς.* Ac confirmant hoc sane quos e Sicilia Demetrii fabula versus servavit Athen. III p. 108 f

ἐκεῖθεν εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀνέμῳ νότῳ
διεβάλομεν τὸ πέλαγος εἰς Μεσσαπίους.
Ἄρτος δ' ἀναλαβὼν ἐξένιζ' ἡμᾶς καλῶς.

Ubi quum Artus Messapiae regulus commemoretur, a quo constat Athenienses in Siculo bello iaculatorum manu sustentatos esse, Thucyd. VII 33 cll. Suida s. v. Ἄρτος, non mirer equidem, si quis fabulam illam Olymp. XCII actam esse statuat. Enimvero aliquanto serius id factum esse ex alio eiusdem dramatis fragmento apud Etymol. M. p. 335 18 et Hesychium s. v. ἐμπήρους intelligitur:

Λακεδαιμόνιοί θ' ἡμῶν τά τε τείχη κατέβαλον,
καὶ τὰς τριήρεις ἔλαβον ἐμμήρους, ὅπως
μηκέτι θαλαττοκρατοῖντο Πελοποννήσιοι.

Quae ante Olymp. XCIV scribi non potuisse apertum est. Hactenus igitur nihil vidimus, quod quominus Demetrium antiquae comoediae poetis accenseamus prohibeat. At gravissimam dubitationem movet alius eiusdem Demetrii ex Areopagita fabula locus apud Athenaeum IX p. 405 e, ubi coquus gloriator inter alia haec de se praedicat:

ἀβυρτακοποιὸς παρὰ Σέλευκον ἐγενόμην,
παρ' Ἀγαθοκλεῖ δὲ πρῶτος εἰσήνεγκ' ἐγὼ
τῷ Σικελιώτῃ τὴν τυραννικὴν φακῆν.

Quae quum propter Seleuci et Agathoclis mentionem auctorem prodant qui ultra Olymp. CXVIII vitam produxerit, non sane ab eodem poeta scribi potuerunt qui iam Olymp. XCIV vel paullo serius fabulas in certamen commiserat. Itaque nihil relinqui video, nisi ut duos diversos Demetrios fuisse statuamus [46]), quorum alter antiquae alter novae comoediae poeta fuerit. E Sicilia fabula (quam rectius fortasse Etymol. M. Σικελοὺς vocat) praeter allata loca non nisi unum fragmentum superest apud Aelian. H. A. XII 10.

---

[46]) Ita etiam Clintonus Fast. Hell. p. 190 Kr. sed minus recte addens, fortasse tamen errasse Diogenem. Scilicet non meminerat vir eximius locorum ex Sicilia vel Siculis allatorum.

De loco Scholiastae Aristophanis ad Ran. 1017 in quo quis Mammacythum Demetrii commemorari existimare possit, dixi supra p. 219. Praeterea laudatur Demetrius ab Athenaeo II p. 56 a et Stobaeo Serm. II 1, ubi Gesneri margo Democriti nomen habet.

APOLLOPHANES, et ipse antiquae poeta comoediae, testibus Suida in v. *Ἀπολλοφάνης* et Eudoc. p. 61. Strattidis ferme aequalem fuisse docent ea quae supra p. 226 de Iphigeronte fabula attulimus. Ac fortasse hic idem est Apollophanes quem in Cinesiae sodalibus numerat Lysias apud Athenaeum XII p. 551 f, a quo diversus est is de quo agit Harpocratio p. 140 20. Fabulas Apollophanem Suidas et Eudocia tradunt scripsisse quinque, quarum hi sunt tituli: *Δάλις* (sic), *Ἰφιγέρων*, *Κρῆτες*, *Δανάη*, *Κένταυροι*. Prioris fabulae duo supersunt fragmenta apud Athenaeum III p. 114 f ubi edd. *Δαλνίδι*, cod. Ven. *Δαλνίδει*, Casaubonus in notis *Δαυλίδι*, Schweighaeuserus *Δαλίδι*, et ibid. XI p. 467 f, ubi edd. *Δαυλίδι*, cod. Ven. *Δαλίδι*, quod recepit Schweighaeuserus, admonens Hesychii: *Δαλίδας, τὰς μεμνηστευμένας.* Itaque *δαλὶς* nihil differre videtur a *τᾶλις*, quamquam illud prorsus contra veri speciem fecit Schweighaeuserus, quod apud Photium Lex. p. 567 17 *τάλιδος, τῆς μελλογάμου. οὕτως Ἀριστοφάνης*, Apollophanis nomen restitui voluit. Ubi si quid mutandum, malim *Σοφοκλῆς* pro *Ἀριστοφάνης*, quo errore nihil frequentius est. [47]) Respicere enim vide-

---

[47]) Scholiasta Statii Theb. 12 510 hanc tragoediam (de Oedipo Colonensi) Aristophanes scripsit. Pollux VII 7 *τοὺς μὴ ἀκριβεῖς τεχνίτας φαυλουργοὺς κατὰ Ἀριστοφάνην λέγε.* Fortasse legendum *φλαυρουργοὺς* et *Σοφοκλῆν* cll. Philoct. 35 *φλαυρουργοῦ τινος τεχνήματ᾽ ἀνδρός.* In Photii glossa nunc eandem emendationem fecit Dindorfius Annot. ad Sophocl. p. 209.

tur Sophoclis Antig. 624 *τάλιδος ἥκεις τῆς μελλογάμου.* Verus igitur fabulae titulus fuit *Δαλίς*, quem tamen non de virgine desponsata intelligam. Nomen proprium mulieris fuisse, docet *Δαλίδος τῆς Κερκυραίας γραμματικῆς* memoria apud Scholiastam ad Iliad. σ' 483.

D a n a e s et C e n t a u r o r u m nullum fragmentum superest. De I p h i g e r o n t e supra dictum est p. 226. C r e t e n s e s denique habemus apud Athenaeum III p. 75 c, ubi male editur *᾿Αντιφάνης ἐν Κρησί*, pro quo *᾿Απολλοφάνης* scribendum esse coniecit Porsonus, quod confirmare licet auctoritate Etymologici M. p. 793 25 et Photii Lex. p. 646 23. Ac fortasse apud eundem Photium s. v. *῞Υης* p. 616 15 legendum: *᾿Απολλοφάνης δὲ συγκαταλέγει ξενικοῖς θεοῖς τὸν ῞Υην,* pro edito *᾿Αριστοφάνης.* [48]) Certe Apollophanes peregrinos deos enumeraverat in ipsa, de qua agimus, fabula, teste Hesychio s. v. *θεοὶ ξενικοί — οὓς καταλέγει ᾿Απολλοφάνης Κρησί.* Praeterea C r e t e n s e s laudat Athenaeus XI p. 485 e et Photius Lex. s. v. *Μυσικάρφης.* Tacito fabulae titulo Apollophanem commemorant Aelianus H. A. VI 51 et Photius p. 624 21.

CEPHISODORUS. Recte hunc antiquae comoediae poetam dicunt Suidas et Eudoc. p. 270. Vicit enim Olymp. XCIV 3 archonte Euclide, docente Anonymo apud Lysiam Apolog. *δωροδ.* p. 699 Rsk. *ἐπὶ δὲ Εὐκλείδου ἄρχοντος κωμῳδοῖς χορηγῶν Κηφισοδότῳ ἐνίκων καὶ ἀνήλωσα σὺν τῇ τῆς σκηνῆς ἀναθέσει ἑκκαίδεκα μνᾶς.* Quae ad nostrum poetam spectare et Cephisodoto Cephisodori nomen substituendum esse vidit Clintonus Fastis Hellen. p. 95. Aliud aetatis indicium suppeditat titulus fabulae *᾿Αντιλαΐς* inscri-

---

[48]) Probare videtur Dindorfius fragm. Aristoph. p. 201. Ipse nunc dubito an non necessaria sit correctio.

ptae, quem de aemula Laidos, meretricis celeberrimae, intelligi debere apertum est. Fabulas Cephisodori Suidas et Eudocia commemorant quattuor: *Ἀντιλαΐς, Ἀμαζόνες, Τροφώνιος, Ὗς*. Postremae titulum miris saepe modis corruptum, vid. interpretes ad Athenaeum III p. 119 d et VIII p. 345 f. XV p. 701 b, latere etiam apud Herodianum *περὶ μον. λέξ.* p. 39 intellexit Dindorfius: *Κηφισόδωρος ἐν ὑπείνῳ· Καὶ λέων καὶ μυγδαλῆ καὶ σκορπίος*, ubi verissime corrigit *Κηφισόδωρος ἐν Ὑΐ· Ὦ καὶ λέων κτλ.* Pro *μυγδαλῆ* legendum *μυγαλῆ*. Argumentum fabulae ad suem Boeotiam spectasse nescio quam recte suspicatur Hemsterhusius ad Polluc. X 110. Trophonium habes tum alibi, tum apud Pollucem VII 87

σανδάλια δὲ τῶν λεπτοσχεδῶν
ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ ταῦτ' ἔπεστιν ἄνθεμα·
νῦν δ' ὡσπερεὶ θεράπαιν' ἔχω περιβαρίδας.

Ex quo corrigendus Clemens Alex. Paed. XI p. 205 B ed. Col. *αἰσχρὰ γοῦν ἀληθῶς τὰ σανδάλια ἐκεῖνα, ἐφ' οἷς ἐστὶ τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα.* Legendum *ἄνθεμα*. Spectant autem versus illi ad eundem hominem cuius mollities describitur in fragmento apud Athenaeum XV p. 689 f. Neque alio pertinere videntur verba *σμηκτρὶς γῆ* quae ex eadem fabula affert Pollux VII 40. Denique cottabi ludnm in Trophonio locum habuisse docet Athenaeus XV p. 667 d. Amazones laudat Athenaeus XIV p. 629 d, Suidas et Photius s. v. *ὄνος ὕεται*. Antilaidos, quo titulo etiam Epicrates fabulam docuit, praeter nomen nihil reliquum est. Incertarum fabularum fragmenta servata sunt duo, alterum ab Athenaeo XI p. 459 a, alterum a Polluce VI 173. In orationis conformatione verborumque usu nannulla singularia habuit Cephisodorus. Ex hoc genere est *λυχναψία* apud Athenaeum XV p. 701 a, *λαικάσασθαι* disperdendi vel prosti-

tuendi significatione apud eundem XV p. 689 f, *στάσιμα* de trutinae lancibus apud Polluc. IV 173, *ἄγαμαι* quaeso vel sodes apud Athenaeum XII p. 553 a, alia, quae commemorare nihil attinet.

EPILYCUS. Suidas: *Ἐπίλυκος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶ Κοραλίσκος*, sive potius *Κωραλίσκος*. Idem vitium tollendum e Grammatico Bekkeri p. 411 17 et Photio Lex. s. v. *τεττιγόνιον*. Ipse Photius p. 198 15 *Κωραλίσκον: τὸ μειράκιον, Κρῆτες.* Idem vocabulum leviter corruptum est apud Herodianum de dict. solit. p. 20 30, *ἀστερίσκος, ὀβελίσκος, μανίσκος, κωρακίσκος*, lege *κωραλίσκος*. Fragmenta fabulae servavit Athenaeus IV p. 133 b. 140 a et XIV p. 650 c, ubi ante Schweighaeuserum legebatur *Φωραλίσκῳ*. Neque mihi dubium videtur quin ex eadem fabula petita sint quae leguntur apud Athenaeum I p. 28 e et Photium Lex. p. 353 15. Antiquae comoediae poetam fuisse, ut de fragmentorum indole taceam, ex eo colligere licet, quod ab Athenaeo IV p. 140 a et Grammatico Bekk. l. l. cum Aristophane et Philyllio coniungitur. Epilycum *ποιητὴν ἐπῶν*, Cratetis comici fratrem, habemus apud Suidam s. *Κράτης*.

EUTHYCLES. De hoc ita Suidas: *Εὐθυκλῆς. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶν Ἄσωτοι ἢ Ἐπιστολή, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς*, quibus addit Eudocia p. 167: *ἔστι δὲ καὶ οὗτος τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας.* Praeter *Ἀσώτους ἢ Ἐπιστολὴν* Athenaeo III p. 124 c laudatam, ferebatur eius *Ἀταλάντη*, Suidas s. v. *βοῦς ἕβδομος*, quo nomine etiam Calliam Philyllium Strattidem Alexin et Philetaerum fabulas scripsisse constat. Eiusdem Euthyclis nomen Casaubonus ad Athenaeum III p. 124 c etiam Polluci restitui voluit lib. VI 161 *καὶ ἡμίκακον δὲ Εὐκλείδης λέγει.* Atqui idem Euclides iterum a Polluce laudatur III 82 *σύνδου-*

λον δὲ λέγει Λυσίας καὶ Εὐριπίδης. Ὑπερίδης δὲ καὶ Εὐκλείδης ὁμόδουλον λέγουσιν. Ita enim e MS legendum.

MENANDER ab uno Suida commemoratur: *Μένανδρος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος.* Sed hunc ego non minus quam PHILISTIONEM, quo de in Praefat. ad Menandrum p. VIII dictum est, vehementer vereor ne unice Suidae errori debeamus.

XENOPHON et ARCESILAUS. Diogenes Laert. II 59, ubi de variis Xenophontibus agit: *πέμπτος μυθώδη τερατείαν πεπραγματευμένος, ἕκτος Πάριος ἀγαλματοποιός, ἕβδομος κωμῳδίας ἀρχαίας ποιητής.* Eidem scriptori ARCESILAI memoriam debemus lib. IV 45 *γεγόνασι δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Ἀρκεσίλαοι, ποιητὴς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἄλλος ἐλεγείας, ἕτερος ἀγαλματοποιός.*

AUTOCRATES, Atheniensis, quem antiquae comoediae poetam fuisse unius Suidae constat testimonio, qui ex fabulis eius unam commemorat *Τυμπανιστάς.* Eandem ad partes vocat et perelegantem ex ea eclogam servavit Aelian. H. A. XII 9. Praeterea Autocrates semel laudatur in Lexic. Seguer. I p. 336, ubi qui servatus est versus, *ἀμνοὶ δὲ βληχάζουσιν ὑπ' ἀγαλακτίας*, propter correptionem syllabae ante *βληχάζουσιν* documento est Autocratem, si tamen recte antiquae comoediae poetis adscribitur, certe novissimis demum huius aetatis temporibus fabulas docuisse. Quod Suidas eumque sequuta Eudoc. p. 69 scribit, Autocratem etiam tragoediarum auctorem fuisse feracissimum, ut errore natum praetermittimus.

Postquam ita eorum poetarum qui antiquam comoediam illustrarunt historiam enarravimus, susceptae disputationis ordo et continuitas ad mediam, quam veteribus criticis dicere placuit, comoediam nos ducit, cuius aetatem ita definire licebit, ut circiter inde ab Olympiade XCVI usque ad pugnam Chaeronensem h. e. ad Olympiadem CX 3 pertinuerit. Huius aetatis poetae ab Anonymo de com. p. XXVIII numerantur septem et quinquaginta, fabulae autem septendecim supra sexcentas, repugnante Athenaeo, qui lib. VIII p. 336 d se plus octingentas mediae comoediae fabulas legisse affirmat: *πλείονα τῆς μέσης καλουμένης κωμῳδίας ἀναγνοὺς δράματα τῶν ὀκτακοσίων καὶ τούτων ἐκλογὰς ποιησάμενος οὐ περιέτυχον τῷ Ἀσωτοδιδασκάλῳ.* Itaque videndum est ne Anonymus, accuratissimus scriptor et qui optimis auctoribus usus est, pro *χιζ* scripserit *ωιζ* h. e. octingentas septendecim, qui numerus iam cum eo, quem Athenaeus posuit, optime concordat. Sed huius aetatis poetas antequam sigillatim recenseam, quae fuerit eorum indoles et ratio breviter exponemus. Ac veteris comoediae, qualem quidem florentissimis temporibus cognitam habemus (nam quas inde fere ab nonagesima quinta vel sexta Olympiade antiquae comoediae auctores docuerunt fabulas, eas ab vetusta illa et genuina ratione aliquantum degenerasse et ad mediae indolem comoediae compositas fuisse nemo mirabitur) veteris igitur comoediae hanc indolem fuisse constat, ut quidquid ad rem publicam pertineret sub censuram vocaret, ac si quis dignus esset

describi, quod malus ac fur,
quod moechus foret, aut sicarius aut alioqui
famosus,

multa cum libertate atque ita notaret, ut ipsos illos, quos vellicare vellent poetae, in scenam producerent et liberrima petulantia exagitarent. Quam licentiam quum inclinata populi libertate tueri amplius comoedia non posset, aliam circumspicere debuit ludendi formam, quae nihil haberet quod in potentium hominum, quibus tum summa in civitate potestas mandata esset, reprehensionem incurreret. Omissa igitur sive potius angustioribus finibus circumscripta singulorum hominum irrisione, poetae comici hanc fere rationem tenuerunt ut quum eadem, quae antiquae comoediae auctores exagitassent, vitia insectarentur, generales morum descriptiones exhiberent et fictis plerumque luderent nominibus. Eius rei gravissimum testem habemus Antiphanem novae rationis auctorem praecipuum, cuius ex fabula *Ποίησις* inscripta Athenaeus VI p. 223 a per memoratu dignum servavit locum, in quo expositis tragicorum poetarum opportunitatibus de comicis haec infert:

ἡμῖν δὲ ταῦτ᾽ οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν, ὀνόματα καινά, τὰ διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν παρόντα, τὴν καταστροφήν,
τὴν εἰσβολήν. ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ
Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται·
Πηλεῖ δὲ ταῦτ᾽ ἔξεστι καὶ Τεύκρῳ ποιεῖν.

Similiter antiquae et eius quae antiquam sequuta est comoediae discrimen adumbravit Arist. Art. poet. IX 3: *ἡ μὲν ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ᾽ ἱστορία τὰ καθ᾽ ἕκαστον λέγει. ἔστι δὲ καθόλου μὲν τῷ ποίῳ τὰ ποῖ᾽ ἄττα συμβαίνει λέγειν ἢ πράττειν κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον, οὗ στοχάζεται ἡ ποίησις ὀνόματα ἐπιτιθεμένη. τὰ δὲ καθ᾽ ἕκαστον, τί ᾿Αλκιβιάδης ἔπραξεν ἢ τί ἔπαθεν. ἐπὶ μὲν οὖν τῆς κωμῳδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονε. συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων, οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασι,*

καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοί, περὶ τῶν καθ᾽ ἕκαστον ποιοῦσιν. Ubi apertum est de suae aetatis comoedia loqui Aristotelem, cui recte opponit ἰαμβοποιούς, quo nomine cum omnes significentur qui aperto quod aiunt capite conviciantur, etiam antiquae comoediae poetas comprehendi consentaneum est. Eandem rem alio loco tangit Aristoteles in Eth. Nicom. IV 8 ἡ τοῦ ἐλευθέρου παιδιὰ διαφέρει τῆς τοῦ ἀνδραποδώδους, καὶ αὖ τοῦ πεπαιδευμένου καὶ ἀπαιδεύτου· ἴδοι δ᾽ ἄν τις καὶ ἐκ τῶν κωμῳδιῶν (fort. κωμῳδῶν) τῶν παλαιῶν καὶ τῶν καινῶν· τοῖς μὲν γὰρ ἦν γελοῖον ἡ αἰσχρολογία, τοῖς δὲ μᾶλλον ἡ ὑπόνοια. Quo loco ὑπόνοια de ea iocandi ratione dictum est quae per ambages et quosdam quasi anfractus instituitur, cfr. Ruhnkenius ad Tim. Lex. p. 200, αἰσχρολογία autem non de verborum obscenitate, sed de ignominiosa nullisque involucris septa cavillatione intelligendum est, ut apud Platonem Polit. III p. 395 E κωμῳδοῦντας ἀλλήλους καὶ αἰσχρολογοῦντας, et apud Artemidorum Onirocr. I 56 τὸ κωμῳδῶν ἀκούειν ἢ κωμικὰ ἔχειν ἀναπλάσματα ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας, σκώμματα καὶ ταραχὰς καὶ στάσεις καὶ αἰσχρολογίας σημαίνει. Neque aliud indicare voluerunt ii qui mediae comoediae αἰνιγματώδη χαρακτῆρα tribuunt. V. Scholiastes Dionysii Thrac. p. 749 τρεῖς διαφορὰς ἔδοξεν ἔχειν κωμῳδία, καὶ ἡ μὲν καλεῖται παλαιά, ἡ ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα, ἡ δὲ μέση (καὶ) αἰνιγματώδης, ἡ δὲ νέα κτλ. Quibus similia habet Andronicus apud Bekkerum Anecd. III p. 1461, Tzetzes apud Cramerum Anecd. III p. 377 et Anonymus de com. p. XXXI.

Neque vero his testimoniis ita utendum est, ut nusquam mediae comoediae poetas altiores spiritus sumpsisse vel ab singulorum certorumque hominum irrisione prorsus abstinuisse credamus. Qua de re multa fabulose narrata

video a Kannegiessero in libro quem vernaculo sermone de Atheniensium comoedia edidit, velut p. 215 quae de Anaxandride scripsit propter unam voculam in quodam Euripidis versu mutatam capitis damnato, vel p. 129 de Misgolae nomine in Smigolam mutato, scilicet ne Alexis *ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν* videretur. Sed is quidem non dubito quin de mediae comoediae poetis aliquanto honorificentius iudicaturus fuisset, si ipsa eorum fragmenta paullo accuratius inspexisset, in quibus si vel maxime virulentam antiquorum comicorum maledicentiam desideramus, luculenta tamen insunt ingenui spiritus indicia, quamquam fere humanitatis quodam temperamento emollita. Quam in rem laudare sufficiat quae Eubulus apud Athenaeum I p 8 b et X p. 449 e de Callistrato et Philocrate, Philetaerus et Timocles VIII p. 342 a de Hyperide, et idem Timocles IV p. 165 f. VI p. 224 a. VIII p. 341 e. f de Ctesippo, de Demosthene, de Callisthene aliisque viris principibus liberrime tradiderunt. Quid quod ne legem quidem illam, qua ne certi quidam homines per totas fabulas vellicarentur superiore aetate subinde prohibitum est, illis temporibus valuisse suspicari licet. Cuius opinionis idoneum, ut mihi quidem videtur, argumentum ab ipsis fabularum indicibus peti posse crediderim. Ita ut potiora commemorem, habemus Alexidis Amphicratem Demetrium Dropidem Crateuam Lyciscum Midonem Milconem Protochorum Phaedrum, Amphidis Dexidemidem, Anaxandridis Sosippum, eiusdem et Anaxilae Nereum, Antiphanis Euthydicum Heniochum Cleophanem Lamponem Leptiniscum Leonidam Lyconem Timonem, Aristophontis Callonidem Philonidem et Platonem, Cratini minoris Theramenem, Eubuli Dionysium et Pamphilum, Heniochi Thorycionem et Polyeuctum, Mnesimachi Philippum, Sophili Androclem, Nicostrati et Philetaeri Antyllum. Quibus in fabulis quin ipsos

illos, a quibus denominatae sunt, in scenam produxerint poetae totumque fabularum argumentum ad eos vel ludificandos vel quocunque modo carpendos direxerint, dubitari non potest. Itaque multis quidem in fabulis eandem quam antiquae comoediae auctores rationem sequuti sunt, sed ita ut, quum illi acerbo quodam plenoque invidiae iocandi genere usi essent, mediae comoediae auctores lene quoddam minimeque virulentum irrisionis genus sectarentur. Cuius rei causas non ex lege illa περὶ τοῦ μὴ κωμῳδεῖν ὀνομαστί, quam qui brevi ante Aristophanis Cocalum latam tradit Anonymus de Com. p. XXXVII sq. diversa tempora videtur commiscuisse, sed ex languore quodam et inertia illis temporibus per omnes civium ordines aequabiliter diffusa repetendas existimo. [49]) Ceterum non dissimulandum est fabularum quas supra recensui non eandem omnium fuisse rationem. Aliae enim, ut Dionysus Eubuli, Philippus Mnesimachi, fortasse etiam Cratini Dionysalexander, non in atticis civibus perstringendis versabantur, sed infestos Atheniensium nomini reges Syracusarum Macedoniae Thessaliae exagitabant. Alias porro non a vivis et aequalibus poetarum hominibus, sed ab dudum defunctis vocatas esse suspicor, ex quo genere sunt Theramenes Lampon Timon, fortasse etiam Androcles, quorum nominibus ita poetas usos esse puto, ut in Theramene Atheniensium levitatem et inconstantiam, in Lampone sacricolarum et hariolorum arrogantiam, in Timone hominum lucifugorum austeritatem et tristitiam, in Androcle turbulentorum demagogorum furores exagitatos fuisse existimem. Aliarum denique hanc rationem fuisse suspicari licet, ut non tam in vellicandis carpendisque quam in laudandis hominibus iis, quorum nomina gerunt, versatae

[49]) Cfr. Ritteri Dissert. de Aristoph. Pluto p. 43.

esse videantur: ex quo genere fuerunt, ni fallit coniectura, Nereus et Demetrius. Sed de his ut de ceteris quae verbo attigi, infra, ubi ad singulas fabulas pervenero, dicam copiosius.

His illud fabularum genus affine est, quibus a meretricibus nomina imposita sunt. Huiusmodi fabulas sane etiam antiqua comoedia habuit, sed et numero paucas et ab eo omnes poeta scriptas, qui, si dramatum indolem et argumenta spectamus, multa habuit cum mediae comoediae poetis communia. Pherecratem dico, cuius fuerunt fabulae a meretricibus denominatae Petale Corianno Thalassa. Nam Nemea Theopompi et Anthea Philyllii vel Eunici ad seriora tempora pertinent. A mediae autem comoediae poetis quanto studio hoc fabularum genus frequentatum fuerit, vel ex earum indice apparet. Sunt autem fere hae: Alexidis Agonis Atthis Choregis Isostasium Lampas Polyclea Pezonice Opora, Antiphanis Chrysis Lampas Neottis Melitta Malthace Philotis, Anaxilae et Euphronis Aeschra, eiusdem Anaxilae Neottis, Augeae Timoclis et Xenarchi Porphyra, Axionici Philinna, Ephippi Philyra, Eubuli Chrysilla Clespydra Neottis Nannium Plango, Timoclis Neaera et Dracontium. Harum fabularum etsi quae forma et descriptio fuerit ignoramus, non dubitandum tamen videtur quin de plerisque idem dicendum sit quod Antiphanes Alexandro Magno respondisse traditur, qui cum regi fabulam a se scriptam recitaret eaque non valde delectari Alexandrum intelligeret, non se mirari inquiebat, *δεῖ γάρ, ὦ βασιλεῦ, τὸν ταῦτα ἀποδεχόμενον* (lege *ἀποδεξόμενον*) *ἀπὸ συμβόλων τε πολλάκις δεδειπνηκέναι καὶ περὶ ἑταίρας πλεονάκις καὶ εἰληφέναι καὶ δεδωκέναι πληγάς.* Lycophron apud Athenaeum XIII p. 555 a. Itaque convivia amores simultates irae ceterique meretricii amoris furores illis in fabulis repraesentati sunt.

Progredior ad aliud fabularum genus itidem a mediae comoediae poetis frequentatum, quod brevitatis causa aenigmaticum appellare licebit. Quod etsi nec ab antiquae comoediae auctoribus plane neglectum fuit, mediae tamen comoediae proprium existimandum est. Scilicet Graeci, ut erant in omni vita hilaritatis omnisque generis facetiarum amantissimi, ita etiam inter epulandum et convivandum liberalem animi oblectationem cum aliis rebus tum aenigmatis sollerter excogitandis studiose quaerebant. Aristophanes Vesp. 20

> *οὐδὲν ἄρα γρίφου διαφέρει Κλεώνυμος.*
> *πῶς δή, προσερεῖ τις τοῖσι συμπόταις λέγων,*
> *ὅτι ταὐτὸν ἐν γῇ τ' ἀπέβαλεν κἀν οὐρανῷ*
> *κἀν τῇ θαλάττῃ θηρίον τὴν ἀσπίδα;*

Antiphanes apud Athenaeum X p. 448 f *περὶ τῶν γρίφων Ἀντιφάνης μὲν ἐν Κνοιθιδεῖ ἢ Γάστρωνί φησιν*

> *Ἐγὼ πρότερον μὲν τοὺς κελεύοντας λέγειν*
> *γρίφους παρὰ πότον ᾤόμην ληρεῖν σαφῶς.*

Athenaeus X p. 451 b. *Δίφιλος δ' ἐν Θησεῖ τρεῖς ποτε κόρας Σαμίας φησὶν Ἀδωνίοισι γριφεύειν παρὰ πότον κτλ.* Ea res quum mature in quandam quasi ludendi insaniam degenerasset, comici poetae id ipsum notandum et festivissimis iocis exagitandum existimarunt. Antiquissimum eius rei exemplum habemus Cratini Cleobulinas, a Cleobulina, Cleobuli Lindii filia ingeniosissima multorumque aenigmatum auctore celeberrima, appellatas, qua in fabula Cratinus muliercularum coetum videtur exhibuisse aenigmatis multis modis ludentium. Cratini vestigiis institisse videtur Alexis, cuius Cleobulinam laudat Athenaeus XIII p. 586 a, et Eubulus, qui in Sphingocarione servum induxerat quidquid proferret tortuosis aenigmatum anfractibus obscurantem, v. Athen. X p. 449 f. Nec dissimile Antiphanis fuit consilium, qui in

Sapphone ipsam poetriam aenigmata proponentem et ab aliis proposita solventem, et in Problemate convivantes eodem ingenii lusu tempus iucundissime fallentes induxerat. V. Athen. X p. 450 c. e. Cum his quodammodo coniunctum est earum fabularum argumentum, in quibus homines proverbiorum impense amantes repraesentati sunt, ex quo genere est Antiphanis *Παροιμιαζόμενος* sive *Παροιμίαι* ab Athenaeo II p. 60 e et Photio Lex. p. 539 laudata. Qua in fabula non dubitari potest quin hominem exhibuerit Sanchonis Pansae instar proverbiis ilocaliter ludentem. Ceterum his lusibus poetas comicos simul ita usos esse, ut sub aenigmatum et proverbiorum involucris homines sibi invisos acerrime exagitarent, docet ut alia omittam ipse ille quem attuli Eubuli locus e Sphingocarione, in quo Callistratus acerrimis facetiarum aculeis pungitur.

Sed age reliquas quae antiquam inter et mediam comoediam intercedunt differentias persequamur. Ex his illud prae ceteris commemorandum videtur, quod ea fere argumenta singulari cum studio huius aetatis poetae sibi tractanda sumpserunt, quae aliorum poetarum maximeque tragicorum carmina quodam quasi parodiae lusu traducerent et fabulas ab antiquis poetis traditas ad lusum iocumque detorquerent. Platonius de com. p. XXXV *ἡ δὲ μέση κωμῳδία ἀφῆκε τὰς τοιαύτας ὑποθέσεις, ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθεν. ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτο· οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν*, et paucis interiectis quibus Cratinum Ulixibus docendis primum huiusmodi fabularum exemplum exhibuisse dicit: *μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον ὡς κακῶς ῥηθέντας.* Iam in iis fabulis quarum mythologicum argumentum fuit, maxime memorabiles videntur eae quibus a deorum dearumve natalibus

nomina imposuerunt, de quo dramatum genere quo melius iudicari possit, paullo copiosius dicendum est. Praeter Hermippi igitur *Ἀθηνᾶς γονάς* ferebantur *Διὸς γοναί* Philisci, *Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος γοναί* et *Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναί* itidem Philisci, *Διονύσου γοναί* Polyzeli et anonymi poetae in fragmento didascalico apud Boeckhium Corp. inscr. I p. 353, *Μουσῶν γοναί* et *Ἄρεως γοναί* eiusdem Polyzeli, *Πανὸς γοναί* Ararotis et Philisci, denique *Ἀφροδίτης γοναί* Nicophontis et Antiphanis. Ex his Araros Philiscus et Antiphanes mediae, Hermippus autem et Nicophon et Polyzelus antiquae comoediae temporibus floruerunt, sed, excepto Hermippo, iis antiquae comoediae temporibus quae mediae quam antiquae fuerunt propiora. Ex novae comoediae poetis qui simile argumentum tractaverit scimus neminem. Itaque totum hoc fabularum genus mediae comoediae proprium fuisse dicendum est, sed ita tamen ut prima eius initia ab Hermippo repetenda videantur, cuius fabulam iis antiquae comoediae temporibus assignandam esse suspicor, quibus comicae poesios libertas Morychidis lege ita accisa est, ut poetae ab rerum publicarum tractatione et singulorum hominum irrisione deterrerentur, atque alia quae minus invidiae haberent argumenta circumspicere cogerentur. Sed ut Hermippus reliquis comicis, ita Hermippo rursus lyricos poetas in eligendis huiuscemodi argumentis facem praetulisse credibile est. Eos enim frequenter in deorum natalibus celebrandis versatos esse docet Menander de Encomiis in Rhetor. Walz. vol. IX p. 149 *γραώδες καὶ δεινῶς μειρακιῶδες ὕμνον Διὸς προελόμενον πραγματείαν, μόναν γονὰς ἐκδέξασθαι. Ἀλλ᾽ ἐπεὶ εὕρηται καὶ τοῦτο τὸ εἶδος τῶν ὕμνων παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, καὶ ἤδη τινὲς καὶ Διονύσου γονὰς* [50])

---

[50]) Idem argumentum subiectum fuit Timothei carmini

ὕμνησαν, καὶ Ἀπόλλωνος ἕτεροι, καὶ Ἀλκαῖος Ἡφαίστου καὶ πάλιν Ἑρμοῦ, καὶ τοῦτο ἀποτετμήμεθα τὸ μέρος. A tragicis poetis talia prorsus aliena existimanda sunt; quod enim Suidas vol. III p. 474 in Timesithei dramatis *Ζηνὸς γονὰς* nominat, ex errore natum esse suspicor. Minime autem eiusmodi argumenta aspernabatur orchestica, quam in rem afferre sufficiat Luciani locum, ex quo Iovis natales in scena saltatos fuisse intelligitur, de Saltat. 80 p. 311 *τὰς Διὸς γονὰς ὀρχούμενός τις καὶ τὴν τοῦ Κρόνου τεκνοφαγίαν παρωρχεῖτο τὰς Θυέστου συμφορὰς τῷ ὁμοίῳ παρηγμένος.* Cfr. ibid. 37 et 50. Sed haec ad seriora spectant tempora; pictores autem ne florentissimis quidem artis temporibus ab eiusmodi argumentis abhorruisse, Ctesilochi et Cleanthis Corinthii exempla docent, quorum ille, ut Plinii H. N. XXXV 140 verbis utar, petulanti pictura innotuit, Iove Liberum parturiente mitrato et muliebriter ingemiscente inter obstetricia dearum. Cleanthis tabulam *Ἀθηνᾶς γοναί* dictam in Dianae Alpheoniae templo commemorat Strabo VIII 1 12 *ἐν δὲ τῷ τῆς Ἀλφειωσίας ἱερῷ γραφαὶ Κλεάνθους τε καὶ Ἀρήγοντος, τοῦ μὲν Τροίας ἅλωσις καὶ Ἀθηνᾶς γοναί, τοῦ δ' Ἄρτεμις ἀναφερομένη ἐπὶ γρυπός.* Eandem Demetrium Scepsium sequutus ita describit Athenaeus VIII p. 346 c *οἶδα δὲ καὶ τὴν ἐν τῇ Πισάτιδι γραφὴν ἀνακειμένην ἐν τῷ τῆς Ἀλ-*

Σεμέλης ὠδίν inscripto, in quo quam indecore parturientis Semelae eiulatus expresserit docet Stratonici dictum, qui *ἐπακούσας τῆς Ὠδῖνος τῆς Τιμοθέου, εἰ δ' ἐργολάβον, ἔφη, ἔτικτε καὶ μὴ θεόν, ποίας ἂν ἠφίει φωνάς,* apud Athenaeum VIII p. 352 a. Idem carmen respici videtur a Dione Chrysost. Orat. 77 p. 426 Rsk. ubi Alcmaeonem habemus utramque buccam aureis nummis implentem et speciem praebentem *αὐλοῦντος τὴν τῆς Σεμέλης Ὠδῖνα.*

φειωσίας Ἀρτέμιδος ἱερῷ· Κλεάνθους δ' ἐστὶ τοῦ Κορινθίου· ἐν ᾗ Ποσειδῶν πεποίηται θύννον τῷ Διὶ προσφέρων ὠδίνοντι, ὡς ἱστορεῖ Δημήτριος ἐν ὀγδόῃ τοῦ Τρωϊκοῦ διακόσμου. Quae profecto perfaceta est gravissimi argumenti tractatio et comicorum poetarum aemulatione dignissima: neque dubito equidem quin similes rerum imagines in plerisque illarum fabularum repraesentatae fuerint. Itaque non convenit mihi cum Viro Summo in Aglaoph. p. 437 qui commemorata Heerenii ad Stobaei Ecl. phys. I p. 239 sententia, qui Hermippeo dramati Minervae ortum, quem poetae tradidere, subiectum fuisse existimat, haerere hanc coniecturam affirmat in Polyzeli fabula; nam de Musarum partu comoediam nasci vix potuisse, neque intelligi qua ratione Philisco in una fabula Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναὶ amborum deorum ortus diversos includere licuerit. Huius vero difficultatis haud aliud suffugium esse existimat, quam ut hae fabulae a solemnibus denominatae putentur, quorum imaginem repraesentarent imitandis conviviis pervigiliis aliisque ludicris quae ad animi requietem delectationemque quaeruntur. Haec Lobeckius, cuius de Polyzeli fabula dubitationi ita fortasse occurri potest, ut periculosum esse dicamus, graeci poetae in inveniendo solertiam certis circumscribere velle limitibus. Sed licebit ulterius progredi; nam huius quoque fabulae argumentum a Musarum partu ductum fuisse, haud inepte ex his Zenobii verbis coniicias Cent. VI 50 ὥσπερ Χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν ἡ γυνή· ταύτης Πολύζηλος μέμνηται ἐν Μουσῶν γοναῖς ἐπί τινος πολλὰς θυγατέρας ἀπογεννώσης. Illam enim mulierem, quam cum Chalcidica centum filiarum matre comparat Polyzelus, quam tandem aliam fuisse putemus nisi ipsam Mnemosynem? Facilius etiam, ut mihi quidem videtur, alteram Lobeckii de Philisci Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναῖς dubitationem removeas.

Eius fabulae notitiam unice Suidae acceptam ferimus, cuius haec verba sunt vol. III p. 602 *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἄδωνις, Διὸς γοναί, Θεμιστοκλῆς, Ὄλυμπος, Πανὸς γοναί, Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναί, Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος.* Scribendum enim videtur *Ἑρμοῦ γοναί, Ἀφροδίτης γοναί.* Hermippeae autem fabulae argumentum ut in Minervae partu versatam esse existimemus, praeclara Porsoni coniectura effectum est, qui apud Photium Lex. p. 62 1 scribendum esse vidit *Ἕρμιππος ἐν Ἀθηνᾶς γοναῖς ἠσὶν ἀντὶ τοῦ φησίν· Ὁ Ζεὺς, δίδωμι Παλλάς, ἠσί, τοὔνομα,* pro eo quod codex habet, *διδωνω πολλὰς φησι.* Itaque de nomine deae recens natae imponendo in fabula actum esse apertum est. In progressu fabulae divinam virginem artis textoriae specimina edidisse coniicias ex loco apud Bekkerum Anecd. p. 462 26 servato: *Ἕρμιππος Ἀθηνᾶς γοναῖς*

Ἀπὸ τῆς τραπέζης τουτονὶ τὸν στήμονα
ἄττεσθ᾽ ἐπινοῶ.

Ita enim pro *ἐπινοῶν* scribendum est, quam emendationem qui primus proposuit Valckenarius ad Theocriti Adon. p. 206 c fragmenti sententiam plane videtur perspexisse. Similem actionis speciem Araros in Panis natalibus exhibuit apud Athenaeum IV p. 175 d

ὁ δ᾽ ἁρπάσας μόναυλον εὐθὺς πῶς δοκεῖς
κούφως ἀνήλλετο —

quibus verbis Panem recenti partu editum arreptaque fistula carmina canentem describi existimo. Sed quae de Hermippi Polyzeli et Ararotis fabulis probabiliter dici possunt, non etiam de reliquorum poetarum fabulis pro certo affirmaverim, quibus utrum nostra an Lobeckii interpretatio adhibenda sit, ut incompertum in medio relinquam, dum repertis forte, quae oculos meos subterfugerunt, fragmentis certiora afferre contigerit. Itaque revertar unde digressus sum. Agebatur

enim de mythologicis mediorum comicorum fabulis, quarum ut quam frequens fuerit illis, de quibus dicere institui, temporibus tractatio plane intelligatur, titulorum indicem subtexam. Itaque praeter Cocalum et Aeolosiconem Aristophanis ferebantur Anchises Anaxilae et Eubuli, Adonis Ararotis Antiphanis Nicophontis Philisci et Sotadis, Achilles Anaxandridis et Philetaeri, Athamas Amphidis et Antiphanis, Aeolus Antiphanis et Eriphi, Alcestis Antiphanis, Amazones Epicratis, Amalthea Eubuli, Antaeus et Antea Antiphanis, Antiope Eubuli, Artemis Ephippi, Aesculapius Antiphanis et Philetaeri, Atalante Alexidis et Philetaeri, Auge Eubuli, Bacchae Antiphanis, Bellerophon Eubuli, Busiris Antiphanis Ephippi Mnesimachi et fortasse Cratini iunioris, Calypso Anaxilae, Caeneus Antiphanis et Ararotis, Centaurus Timoclis et Ophelionis, Cercopes Eubuli, Cephalus Philetaeri, Circe Anaxilae et Ephippi, Cyclops Antiphanis, Cycnus Alexidis et Eubuli, Daedalus Eubuli, Deucalion Eubuli et Timoclis, Dolon Eubuli, Echo et Europa Eubuli, Galatea Alexidis, Ganymedes Antiphanis et Eubuli, Geryones Ephippi, Gigantes Cratini iunioris, Glaucus Anaxilae et Eubuli, Gratiae eorundem, Gorgones Heniochi, Hecate Nicostrati, Helena Anaxandridis et Heracliti, Helenae raptus et Helenae proci Alexidis, Hercules Anaxandridis, Hesione Alexidis, Iason Antiphanis et Alexidis, Ion Ixion et Leda Sophili et Eubuli, Linus Alexidis, Milanio Antiphanis, Meleager Antiphanis et Philetaeri, Meliboea Eriphi, Meropis Alexidis, Medea Antiphanis et Eubuli, Minos Antiphanis et Alexidis, Musae Euphronis et Ophelionis, Nausicaa Eubuli, Neoptolemus Theophili, Nereides Anaxandridis, Oenopio Nicostrati, Oedipus Eubuli, Oenomaus vel Pelops Antiphanis et Eubuli, Omphale Antiphanis et Cratini, Orestes Alexidis, Orpheus Antiphanis, Pan Amphidis, Pandarus Anaxandridis, Pandrosus

Nicostrati, Phaon Antiphanis, Philoctetes eiusdem, Pirithous Aristophontis, Priapus Xenarchi, Proetides Theophili, Procris Eubuli, Protesilaus Anaxandridis, Sciron Alexidis, Semele Eubuli, Septem contra Thebas Alexidis et Amphidis, Tereus Anaxandridis et Philetaeri, Titanes Eubuli, Trophonius Alexidis, Thamyras Antiphanis, Theseus Anaxandridis et Anaxilae, Tyndareus Alexidis et Sophili, Ulixes Eubuli Amphidis Alexidis et Anaxandridis, Xuthus Eubuli.

Non omnia enumeravi sed quae forte in promptu erant; quod ideo moneo ne quis unam alteramve fabulam inscitia omissam criminetur. Praeterea vero eidem aetati assignandae Alcaei Callisto Endymion Ganymedes, Aristonymi Iuppiter frigens et Theseus, Aristomenis Admetus et Dionysus, Aristophanis Aeolosicon Cocalus Plutus, Archippi Amphitruo et Hercules, Apollophanis Danae, Dioclis Bacchae, Calliae Atalante et Cyclopes, Canthari Tereus, Cephisodori Amazones, Euthyclis Atalante, Lysippi Bacchae, Nicocharis Galatea Hercules Amymone et Centaurus, Nicophontis Adonis et Sirenes, Platonis Adonis Daedalus Europa Cercopes Gryphes Iuppiter contumelia affectus Io Laius Menelaus Phao, Phillyllii Aegeus Atalante Auge Helena Hercules Nausicaa, Strattidis Atalante Medea Troilus Philoctetes Chrysippus, Sannyrionis Danae Io et Ino, Theopompi Admetus Althaea Penelope Ulixes Sirenes, et aliae fortasse aliorum. Hae enim fabulae pleraeque omnes ab iis antiquae comoediae poetis compositae sunt, quos vitam ultra nonagesimam sextam olympiadem produxisse maxima est suspicio. Cfr. Platonius de differ. com. p. XXXV *τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ ἔστιν εὑρεῖν, ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης.* Florentissimis autem antiquae comoediae temporibus rarissime poetae comoediarum suarum argumenta a rebus mythicis duxerunt, quos etsi

certum est de deorum heroumque rebus fatis amoribus multa ridicule et petulanter tradidisse, plerumque tamen id non fecisse videntur nisi in transcursu et quasi aliud agendo. Itaque perpaucae eorum fabulae commemorantur deorum heroumve et heroinarum nominibus insignitae. [51])

Vidimus supra ab Anonymo in iis quae propria essent mediae comoediae et peculiaria, etiam hoc fuisse positum, quod comici illius aetatis aliorum poetarum inepte minusque concinne dicta quodam quasi parodiae lusu riserint. Quam rationem, licet nec antiquis comicis incognitam, a mediae tamen comoediae poetis inprimis frequentatam fuisse vel illud indicio est, quod teste Athenaeo XI p. 472 e Antiochus Alexandrinus singulari libro *περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ κωμῳδουμένων ποιητῶν* exposuerat. Credo autem Anonymum ad eos maxime poetas respexisse, qui, ut ille ait, non humane sed poetice loquerentur et artificioso quodam et tortuoso dicendi genere uterentur. Ex quo genere est quod Antiphanes in Caeneo apud Athen. X p. 433 d Timotheum poetam lyricum risit, qui scutum *φιάλην Ἄρεως* dixerat. Idem Timotheus quum in carmine quodam pro simplici *χύτρα* dixisset *γᾶς πυρίκτιτα*, notavit hoc Anaxandrides in Aeschra apud Athen. X p. 455 f

ἀρτίως διηρτάμηκε, καὶ τὰ μὲν διανεκῆ
σώματος μέρη δαμάζετ᾽ ἐν πυρικτίτοισι γᾶς·
Τιμόθεος ἔφη πότ᾽, ἄνδρες, τὴν χύτραν οἶμαι λέγων.

Ita enim haec scribenda videntur; libri habent *πυρικτύποισι*

---

[51]) Praeter Aristophanis Daedalum Danaides et Centaurum, novimus Magnetis Dionysum, Cratetis Lamiam, Cratini Nemesin Ulixes et Chirones (nam Busiris iunioris Cratini fabula fuisse videtur), Hermippi Europam, Phrynichi Cronum et Musas, denique Pherecratis Chironem.

et tertio versu *εἶναι* pro *οἶμαι*. Eodem pertinet operosa casei circumscriptio apud Antiphanem Athenaei l. l.

τροφαλίδας τε λινοσάρκους, μανθάνεις; τυρὸν λέγω.

Item ollae Carystiae in Parasito IV p. 169 e

ἄλλος ἐπὶ τούτῳ μέγας
ἥξει τις ἰσοτράπεζος εὐγενής. B. τίνα
λέγεις; A. Καρύστου θρέμμα, γηγενής, ζέων.
B. εἶτ᾽ οὐκ ἂν εἴποις; ὕπαγε. A. κάκκαβον λέγω·

Ad idem genus rettulerim eiusdem Antiphanis locum ex Obrimo servatum a Polluce X 21:

Ἂν κελεύῃ με σταθμοῦχος — B. ἢ σταθμοῦχος δ᾽ ἔστι τις;
νὴ Δί᾽ ἀποπνίξεις με καινὴν πρός με διάλεκτον λαλῶν.
A. εἴ τι τάττοι μοι στεγάρχων —

Sed prae ceteris digna memoratu est *χρῆσις* quam ex Aphrodisiis eiusdem poetae attulit Athenaeus X p. 449 b. Eius hoc initium est:

πότερ᾽ ὅταν μέλλω λέγειν σοι τὴν χύτραν, χύτραν λέγω,
ἢ τροχοῦ ῥύμαισι τευκτὸν κοιλοσώματον κύτος
πλαστὸν ἐκ γαίας ἐν ἄλλῃ μητρὸς ὀπτηθὲν στέγῃ,
νεογενοῦς ποίμνης δ᾽ ἐν αὐτῇ πνικτὰ γαλατοθρέμμονα,
τακεροχρῶτ᾽ εἴδη κύουσαν; B. Ἡράκλεις· ἀποκτενεῖς
ἆρά μ᾽ εἰ μὴ γνωρίμως μοι πάνυ φράσεις κρεῶν χύτραν.

Sed nolo haec nunc uberius persequi: illud autem non inutile fuerit adiecisse, mediae comoediae poetas contra ac superiore aetate fieri solebat, non aequales tantum poetas, sed etiam dudum mortuos gnaviter lusisse. Ac prae ceteris Euripidem exagitandum sibi putarunt, qui ut vivus diversissima iudicia expertus est, ita etiam mortuus aliis pessimus aliis egregius ac pene divinus poeta visus est. Philemo quidem (Fragm. inc. p. 410) tanto eius amore et desiderio tenebatur, ut proposita Euripidem videndi condicione vitam se lubenter suspendio finire velle affirmaret:

εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
αἴσθησιν εἶχον, ἄνδρες ὥς φασίν τινες,
ἀπηγξάμην ἂν ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην.

Cfr. Diphilus Athenaei X p. 422 b et quae de Menandro commentatus sum p. XXXIII.

Sed quo maiore ille ab admiratoribus suis laudum praeconio efferebatur, eo acrius ab iis qui contrariam sententiam sequerentur, exagitatus est. Hinc factum est ut mediae comoediae auctores passim homines inducerent et ridendos propinarent, qui inepto Euripideorum carminum amore tenerentur. Quam in rem notabilis est locus Axionici ex Phileuripide, servatus ab Athenaeo IV p. 175 b

οὕτω γὰρ ἐπὶ τοῖς μέλεσι τοῖς Εὐριπίδου
ἄμφω νοσοῦσιν, ὥστε τἄλλ' αὐτοῖς δοκεῖν
εἶναι μέλη γιγγραντὰ καὶ κακὸν μέγα.

Eiusdem tituli et argumenti fabula ferebatur Philippi sive Philippidae, de qua infra dicendi locus erit. Sigmatismum Euripidis, ab antiquae poetis comoediae toties irrisum, Eubulus exagitavit in Dionysio apud Scholiastam Euripidis Med. 473.

Neque vero his finibus sese continuit mutata comoediae ratio; sed ut vetus comoedia Socratem et sophistas acerrime exagitaverat, ita mediae aetatis comici Platonis ceterorumque Academicorum ludendorum occasionem cupide arripuerunt. Ac Platonicae quidem irrisionis exemplum antiquissimum habemus in Aristophanis Pluto et Ecclesiazusis, quibus in fabulis Platonis amores, quos testatur Diogenes Laert. III 23, maligne tanquam inhonestos et spurcos exagitat. Eccles. 646. *Πραξ. πολὺ μέντοι δεινότερον τούτου τοῦ πράγματός ἐστι. Βλέπ. τὸ ποῖον. Πραξ. εἴ σε φιλήσειεν Ἀρίστυλλος φάσκων αὐτοῦ πατέρ' εἶναι. Βλέπ. οἰμώζοι τἂν καὶ κωκύοι. Πραξ. σὺ δέ γ' ὄζοις ἂν καλαμίνθης. ἀλλ'*

οὗτος μὲν πρότερον γέγονεν, πρὶν τὸ ψήφισμα γενέσθαι, ὥστ' οὐχὶ δέος μή σε φιλήσῃ. Βλέπ. δεινὸν μέντἂν ἐπεπόνθη. Plut. 313 *μινθώσομέν θ' ὥσπερ τράγου τὴν ῥῖνα· σὺ δ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων ἐρεῖς, ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι.* Prorsus enim credo Aristyllum his locis commemoratum ipsum esse Platonem, quem proprio nomine Aristoclem appellatum fuisse constat testimonio Alexandri apud Diogenem Laert. III 4 *ἐγυμνάσατο δὲ* (Plato) *παρὰ Ἀρίστωνι τῷ Ἀργείῳ παλαιστῇ· ἀφ' οὗ καὶ Πλάτων διὰ τὴν εὐεξίαν μετωνομάσθη, πρότερον Ἀριστοκλῆς ἀπὸ τοῦ πάππου καλούμενος ὄνομα, καθό φησιν Ἀλέξανδρος ἐν διαδοχαῖς.* Quibus similia leguntur in Vita Platonis e cod. Vindob. edita in Biblioth. veteris Litterat. et Artis fasc. V p. 6. Aristyllum autem veteres in locis Aristophaneis de Aristocle interpretatos esse, docent ea quae Eustathius ex antiquis grammaticis profert ad Iliad. p. 989 45 *ὅτι δὲ Ἡρακλῆς καὶ Ἡρακλείδης ἐκαλεῖτο ὡς Ἀριστείδης, ἔτι δὲ καὶ Ἥρυλλος ἐν τοῖς σατυρικοῖς, δηλοῦσιν οἱ κατὰ στοιχεῖον τὰ ῥητορικὰ ἐκθέμενοι, παρ' οἷς δῆλον καὶ ὡς ὑποκεκόρισται ὁ Ἥρυλλος ἐκ τοῦ Ἡρακλῆς, ὡς ἐκ τοῦ Ἀριστοκλῆς ὁ Ἀρίστυλλος παρὰ τῷ κωμικῷ, καὶ ἐκ τοῦ Βαθυκλῆς ὁ Βάθυλλος.* Quibus similia ex Herodiano protulit Etymol. M. p. 142 f *Ἀρίστυλλος: ὄνομα παρ' Ἀριστοφάνει. εἴρηται δὲ ὑποκοριστικῶς ὁ Ἀριστοκλῆς. ὡς γὰρ παρὰ τὸ Ἡρακλῆς Ἥρυλλος καὶ παρὰ τὸ Θρασυκλῆς Θράσυλλος καὶ παρὰ τὸ Βαθυκλῆς Βάθυλλος ὄνομα κύριον, — οὕτω καὶ παρὰ Ἀριστοκλῆς Ἀρίστυλλος. οὕτως Ἡρωδιανὸς εἰς τὴν Ἀπολλωνίου εἰσαγωγὴν ἢ περὶ παθῶν. Διογένης δὲ ἀντὶ τοῦ ἄριστος* (fort. *Ἀρίστων* vel certe *Ἄριστος*). *καὶ Ἀριστοφάνης ἐν Τελμισοῖς* (sic). Ac ni magnopere fallor, magnum huic de Aristyllo Aristophaneo coniecturae firmamentum in eo paratum est, quod Platonica de communione bonorum

doctrina in Ecclesiazusis manifesta irrisione traducitur. Vid. Morgensternii Comment. de Republ. Platon. p. 73 sqq. cuius disputationem qui nuper chronologicis rationibus convellere conatus est cl. Stallbaumius Prolegg. ad Platonis Rempubl. p. LXIX sqq. non iis mihi usus esse videtur argumentis quibus nihil opponi possit. Sed illuc redeo. Academicorum mollitiem et delicatum habitum ridet Ephippus in Naufrago apud Athenaeum XI p. 509 c.

εὔστοχος νεανίας
τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τις ὑπὸ Πλάτωνα καὶ
Βρυσωνοθρασυμαχειοληψικερμάτων
εὖ μὲν μαχαίρᾳ ξύστ᾿ ἔχων τριχώματα,
εὖ δ᾿ ὑποκαθιεὶς ἄτομα πώγωνος βάθη,
εὖ δ᾿ ἐν πεδίλῳ πόδα τιθεὶς ὑπὸ ξυρὸν
κνήμης ἱμάντων ἰσομέτροις εἰλίγμασιν,
ὄγκῳ τε χλανίδος εὖ τεθωρακισμένος.

Item Antiphanes in Antaeo apud Athenaeum XII p. 544 f.

ὦ τᾶν, κατανοεῖς τίς ποτ᾿ ἐστὶν οὑτοσί
ὁ γέρων; Β. ἀπὸ τῆς μὲν ὄψεως Ἑλληνικός,
λευκὴ χλανίς, φαιὸς χιτωνίσκος καλός,
πιλίδιον ἁπαλόν, εὔρυθμος βακτηρία,
βαιὰ τράπεζα· τί μακρὰ δεῖ λέγειν; ὅλως
αὐτὴν ὁρᾶν γὰρ τὴν Ἀκαδημίαν δοκῶ.

Aristophontem adeo integrae fabulae argumentum a Platonis irrisione duxisse intelligitur ex Athenaeo XII p. 552 e. Ac fortasse eundem sub *Ἡδυχάρους* nomine carpsit Theopompus, ex qua fabula quod fragmentum servavit Diog. Laert. III 22, ad Platonis Phaedonem spectare supra docui p. 238. Nolo reliquorum comicorum de Platone testimonia hoc loco apponere; non omittendus tamen Epicrates, cuius insigne extat incertae fabulae fragmentum apud Athenaeum II p. 59 c ex quo eius quam dixi irrisionis ratio optime perspicitur. Fin-

xit illo loco Epicrates Academicorum coetum in contemplanda et inquirenda colocyntae natura studiosissime occupatum, aliis olus aliis arborem aliis denique ex herbarum genere cucurbitam esse asseverantibus. Quorum nugas quum Siculus medicus infacete risisset,

ὁ Πλάτων καὶ μάλα πρᾴως
οὐδὲν ὀρινθεὶς ἐπέταξ' αὐτοῖς
πάλιν ἐξ ἀρχῆς τὴν κολοκύντην
ἀφορίζεσθαι τίνες ἐστὶ γένους·
οἱ δὲ διῄρουν.

Vides a quanta ferocia et male dicendi intemperie comoedia ad quantam humanitatem et mansuetudinem defluxerit. Neque minus Pythagoricorum, qui iam dudum a magistri divinitate degenerassent, immundities et paupertas multiplicem ridendi iocandique materiem praebuerunt, qua in re quae luserunt poetae melius legentur in fragmentis. Praeterea in scenam prodire iusserunt agricolas stupidos, vetulas bibaces, tibicines ineptos, piscatores et coquos insipide gloriosos, aleatores, amatores fervidos, lenones periuros, servulos callidos, patruos obiurgantes, parasitos edaces, milites praeliatores, medicos aliosque id genus homines, quibus succedenti aetati, quae tota fere in ἤθεσι describendis regnat, ita proluserunt, vix ut argumentum a novae comoediae poetis tractatum fuerit, cuius non prima stamina a mediae comoediae poetis ducta esse videantur.

In tanta igitur argumentorum, quibus media et antiqua comoedia lusit, diversitate non mirum est, etiam externam fabularum formam et speciem multis modis fuisse mutatam. Ac dictionis genere, ut inde ordiar, usos esse mediae aetatis comicos ab illo, quod vetustiores sequuti erant, multum diverso, non fugit Anonymum de Com. p. XXVIII, qui postquam de antiqua comoedia disseruit, ita

pergit: *τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας δύο* (leg. *οἱ*) *ποιηταὶ πλάσματος μὲν οὐχ ἥψαντο ποιητικοῦ, διὰ δὲ τῆς συνήθους ἰόντες λαλιᾶς λογικὰς ἔχουσι τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ᾽ αὐτοῖς· κατασχολοῦνται δὲ πάντες περὶ τὰς ὑποθέσεις.* Quorum verborum hic sensus est: mediae poetas comoediae non grandi quodam et magnifico dicendi genere usos esse, sed ad vulgaris sermonis veritatem composito et ad solutae orationis virtutes commendando. Ita passim *τὸ λογικὸν* de prosa oratione dici et *τῷ ποιητικῷ* opponi docuit Schaeferus ad Dionys. de Compos. verb. p. 213. Sed optime Anonymi locum illustrat Dionysius vett. script. cens. vol. V p. 423 *τῶν δὲ κωμῳδῶν μιμεῖται* (lege *μιμητέον*) *τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἁπάσας· εἰσὶ γὰρ καὶ τοῖς νοήμασι καθαροὶ καὶ σαφεῖς καὶ βραχεῖς καὶ μεγαλοπρεπεῖς καὶ δεινοὶ καὶ ἠθικοί.* Neque vero illa Anonymi admonitio eo spectat, ut mediae comoediae poetas altiorem orationis formam plane repudiasse existimemus, quod adeo non verum est, ut figuratum dicendi genus vel inprimis adamasse videantur, id quod probe intellexit vetus Aristophanis interpres, qui ad Plut. 515,

ἢ γῆς ἀρότροις ῥήξας δάπεδον καρπὸν Δηοῦς θερίσασθαι,

grandiori sermone offensus haec adnotavit: *ἀντὶ τοῦ γεωργίας ἐπιμελεῖσθαι. ἤδη τὸ ἔπος τοῦτο τῆς μέσης κωμῳδίας ὄζει.* Quibus non tantum nominis *Δηώ* usum mediae comoediae poetis familiarem, sed totam dictionis formam notare voluit. Similiter Antiphanes apud Athen. I p. 3f

παραβοηθεῖν τοῖς φίλοις
σπείρειν τε καρπὸν Χάριτος ἡδίστης θεᾶς.

Nec minus insigne figuratae orationis exemplum praebet Epicrates apud Athen. XIV p. 655f

οὐκ Ἦλις, ἔνθα δελφάκων ἐγὼ κρέα
κάλλιστ᾽ ὄπωπα πυρὸς ἀκμαῖς ἠνθισμένα.

Orationem supra soccum assurgentem habemus in Antiphanis Agricola apud Athenaeum IX p. 396 b.

καὶ πρῶτα μὲν
αἴρω ποθεινὴν μᾶζαν, ἣν φερέσβιος
Δηὼ βροτοῖσι χάρμα δωρεῖται φίλον·
ἔπειτα πνικτὰ τακερὰ μηκάδων μέλη
χλόην καταμπέχοντα, σάρκα νεογενῆ.

Quamquam propter ea quae mox sequuntur, *τί λέγεις; τραγῳδίαν περαίνω Σοφοκλέους*, haec fortasse rectius ad illud genus referas de quo supra dictum est p. 285 sqq. Sed idem Antiphanes in Thamyra apud Athen. VII p. 300 c.

καὶ σοῦ γ' ἐπώνυμός τις ἐν φήμαις βροτῶν
Θρῄκης κατάρδων ποταμὸς ὠνομασμένος
Στρύμων μεγίστας ἐγχέλεις κεκτημένος,

ubi versu secundo *Θρῄκην* legendum videtur, et in Philothebano XIV p. 623 b.

ἥ τε σύννομος
τῆς κυφονώτου σῶμ' ἔχουσα σηπίας
ξιφηφόροισι χερσὶν ἐξωπλισμένη
τευθὶς, μεταλλάξασα λευκαυγῆ φύσιν
σαρκὸς πτερωτοῖς ἀνθράκων ῥαπίσμασιν,
ξανθαῖσιν αὔραις σῶμα πᾶν ἀγάλλεται.

Quae in re ludicra tragicam affectant gravitatem, qualia multa in eodem genere lusit Aristophanes in Ecclesiazusis. Eiusdem generis sunt quae ex incerta Xenarchi fabula servavit Athenaeus II p. 63 f.

φθίνει δόμος
ἀσυστάτοισι δεσποτῶν κεχρημένος
τύχαις, ἀλάστωρ τ' εἰσπέπαικε Πελοπιδῶν.
ἄστυτος οἶκος, κοὔτε βυσαύχην θεᾶς
Δησῦς σύνοικος, γηγενὴς βολβός, φίλοις
ἐφθὸς βοηθῶν δύνατός ἐστ' ἐπαρκέσαι.

et paucis interiectis:

πουλίπους ἁλοὺς βρόχων
πλεκταῖς ἀνάγκαις τῆς τροχηλάτου κόρης
πίμπλησι λοπάδος στερροσώματον κύτος.

Quibus convenit fere quod Aristoteles dicit Rhet. III 3: *εἰσὶ γὰρ καὶ μεταφοραὶ ἀπρεπεῖς, αἱ μὲν διὰ τὸ γελοῖον (χρῶνται γὰρ καὶ οἱ κωμῳδοποιοὶ μεταφοραῖς), αἱ δὲ διὰ τὸ σεμνὸν ἄγαν καὶ τραγικόν.* Ad comicos enim ubi provocat Aristoteles, mediam potius quam antiquam comoediam spectare solet comoediam. Haud minor audacia Nausicratis in Naucleris apud Athen. VII p. 296 a et 330 b.

δύο μὲν ἁπαλοὶ καὶ καλοὶ
ἐπώνυμοι τοῦ ναυτίλοισι πολλάκις
ἤδη φανέντος πελαγίοις ἐν ἀγκάλαις,
ἃν καὶ τὰ θνητῶν φασιν ἀγγέλλειν πάθη.
B. γλαῦκον λέγεις γαλακτοχρῶτα Σικελὸς ἂν
πήγνυσ' ὄχλος ῥόμβοισι.

Ita enim haec legenda videntur. Memorabile item luxuriantis dictionis exemplum praebet Timothei fragmentum apud Ioannem Damasc. p. 392 Lips.

— ὁ πτερωτὸς ἰξὸς ὀμμάτων Ἔρως,
ὁ Κύπριδος κυναγός, ἡ φρενῶν ἄκις,
ὁ μὴ τίνων θεοῖσιν ὁρκίων δίκας.

Praeterea confer Antiphanem Athenaei XI p. 781 d, Timoclem in Icariis VIII p. 342 a, Eubulum in Orthane III p. 108 a, in Titanibus VI p. 229 a, in Nannio XIII p. 568 f, Alexin in Milesiis IX p. 379 c et in Cycno XI p. 472 a. Quae omnia quum cogito in eam adducor sententiam, ut de dictione mediis comicis usitata Anonymo rectius iudicasse credam Scholiasten Aristophanis.

Sed ut in totius orationis colore, ita etiam in verborum formis et significatione, in particularum usu, denique in me-

tris et mensura medios ab antiquis comicis differre videas. Neque id mirum videri debet; nam quum comoedia communem populi sermonem sequatur, is ipse autem illis temporibus, quum aucto Atheniensium cum exteris commercio multi inquinate loquentes diversis ex locis Athenas confluxissent, v. Xenophont. Athen. resp. II 8 et Cicer. Brut. 74, multis modis corrumperetur, etiam comicorum sermonem a severis antiquae dictionis legibus non nihil remittere et multas magnasque mutationes subire necesse erat. Earum plerasque quum infra, ubi de singulis poetis disputatum est, attigerim, hoc loco ea tantum commemorabo quae ad verborum mensuram spectant, nec omnia tamen, sed ea tantum quae forte in promptu sunt. Constat poetas tragicos non nunquam vocales ante consonas *βλ* et *γλ* corripuisse. Nunquam id fecit Aristophanes neque alius quisquam antiquae poeta comoediae. Quae enim contra afferri possunt corrupta sunt omnia. Apud Aristophanem Equ. 767 quod legebatur olim *εἰ δέ σε μισῶ καὶ μὴ περὶ σοῦ μάχομαι μόνος ἀντιβεβληκώς*, nunc merito cessit emendationi Reiskianae *ἀντιβεβηκώς*. Plato apud Grotium Exc. p. 487.

νοεῖ μὲν ἕτερ' ἕτερα δὲ γλώττῃ φθέγγεται.

Apud Suidam s. v. *Τελέας*, unde hunc versum petiit Grotius, legitur *ἕτερα δὲ τῇ γλώττῃ φθέγγεται*, quod verum est, modo pro *φθέγγεται* scribas *λέγει*, ut habet Schol. Aristoph. Av. 168. Eupolis apud Etymol. M. p. 200 54.

ἅμα βλυστονῆσαι καὶ χλοῆσαι τὴν πόλιν.

Corrige *ἀμβλυστονῆσαι*. Similiter corruptus est Aristophanes Lysistr. 384

ἄρδω σ' ὅπως ἀναβλαστάνῃς.

Dindorfius *ἅμ βλαστάνῃς*. Scribendum potius *ἀμβλαστάνῃς*. Theopompus apud Schol. Aristoph. Plut. 179.

ὄνος μὲν ὀγκᾶθ' ὁ Μελιτεὺς Φιλωνίδης.
ὄνῳ μιγείσης μητρὸς ἔβλαστε τῇ πόλει.

Sunt duo diversi loci fragmenta, quorum alterum corruptelae arguit caesurae vitium. Fortasse corrigendum *ἔβλαστεν πόλει.* Unus superest locus Aristophanis ex Thesmophoriazusis secundis apud Dindorf. 313 p. 145.

ἡνίκα Κράτητι τε τάριχος ἐλεφάντιναν
λαμπρὸν ἐκόμιζεν ἀπόνως παραβεβλημένον.

Ubi *παρακεκλημένον* suspicabar: certe corruptum esse locum non dubito. Contra certissimis exemplis firmata est illa correptio apud mediae novaeque poetas comoediae. Antiphanes apud Athenaeum XIV p. 655 b.

ἐν Ἡλίου μέν φασι γίγνεσθαι πόλει
φοίνικας ἐν Ἀθήναις δὲ γλαῦκας. ἡ Κύπρος
ἔχει πελείας διαφόρους —

Menander apud Stobaeum Flor. LII 9.

μὴ τοῦτο βλέψῃς εἰ νεώτερος λέγω.

Autocrates apud Bekk. Anecd. p. 336 27.

ἀμνοὶ δὲ βληχάζουσιν ὑπ' ἀγαλαξίας.

Machon apud Athenaeum XIII p. 581 b.

καὶ τὰ δόρατ' ἀποβλέψασα δραχμὰς χιλίας
ἔταξεν.

Mitto alia. Similis generis est correptio accusativi nominum in *ευς* desinentium, quam quum Euripides aliquoties admiserit, nunquam sibi licitam esse putaverunt antiquae auctores comoediae. At frequenter eam syllabam corripuerunt sequentium aetatum poetae. Antiphanes Stobaei Flor. LXXIX 7.

πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ γονέας οὐκ ἔστιν κακός.

Alexis apud Athen. XI p. 473 d.

κάνθαρον καταστρέφοντα, πλησίον δὲ κείμενον
στρωματέα καὶ γύλιον αὐτοῦ.

Idem apud eundem XI p. 502 d *τρικότυλον ψυγέα.* Theophilus apud Schol. Dionysii Thrac. p. 724.

τὸν τροφέα τὸν σωτῆρα, δι᾽ ὃν εἶδον νόμους.

Philemo p. 387.

ἠγόρασα νῆστιν κεστρέ᾽ ὀπτὸν οὐ μέγαν.

Possem his alia addere de productione ante mutas et liquidas, de mutata mensura verborum *ἐλάα* et *θύειν*, de hiatu et similibus, nisi ea annotationibus ad fragmenta reservare satius videretur.

Sequitur ut de metris, quibus mediae comoediae auctores usi sunt, paucis dicam: de qua re quo melius iudicari possit, quidquid liberiorum minusque usitatorum numerorum in fragmentis deprehenditur, hic subiiciam. Ac dactylicis hexametris usus est Antiphanes Problemate in aenigmatis apud Athenaeum X p. 450 c.

ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον ἀνὴρ πολλοῖς ἐπιβάλλων
οἰηθεὶς μεγάλῃ δεπάνῃ μίαν εἵλκυσε πέρκην·
καὶ ταύτην ψευσθεὶς ἄλλην κεστρεὺς ἴσον αὐτήν
ἦγεν. βουλομένη δ᾽ ἕπεται πέρκη μελανούρῳ.

et paucis trimetris iambicis interiectis:

πίννη καὶ τρίγλη φωνὰς ἰχθῦ δύ᾽ ἔχουσαι
πόλλ᾽ ἐλάλουν. περὶ ὧν δὲ πρὸς ὃν τ᾽ ᾤοντο λέγειν τι
οὐκ ἐλάλουν· οὐδὲν γὰρ ἐμάνθανεν, ὥστε πρὸς ὃν μὲν
ἦν αὐταῖς ὁ λόγος, πρὸς δ᾽ αὐτὰς πολλὰ λαλούσας
αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιτρέψει.

Idem Sapphone X p. 450 e.

ἔστι φύσις θήλεια βρέφη σώζουσ᾽ ὑπὸ κόλποις
αὐτῆς· ὄντα δ᾽ ἄφωνα βοὴν ἵστησι γεγωνόν,
καὶ κατὰ πόντιον οἶδμα καὶ ἠπείρου διὰ πάσης,
οἷς ἐθέλει θνητῶν· τοῖς δ᾽ οὐ παρεοῦσιν ἀκούειν
ἔξεστιν· κωφὴν δ᾽ ἀκοῆς αἴσθησιν ἔχουσιν.

Fortasse etiam in Minoe II p. 58 d.

τρώγοντες μολόχης ῥίζαν,

nisi τρώγοντε scripsit. Hexametro pentametrum subiecit elegiacum in Milanione Athen. X p. 423 d.

τοῦτον ἐγὼ κρίνω μετανιπτρίδα τῆς Ὑγιείας
πίνειν ζωροτέρῳ χρώμενον οἰνοχόῳ.

Quae res Valckenario Diatr. p. 279 A adeo mira visa est ut Milanionem non comoediae titulum, nec Antiphanis illud sed alius poetae carmen fuisse suspicaretur, non memor, ut videtur, Euripidem carmen elegiacum intexuisse Andromachae vs. 103—116. Porro hexametris dactylicis usus est Anaxandrides Pharmacomante apud Athen. II p. 68 b.

ἀσφάραγον σχῖνόν τε τεμὼν καὶ ὀρίγανον, ὅς δή
σεμνύνει τὸ τάριχον ὁμοῦ μιχθεὶς κοριάννῳ.

Cratinus minor in Titanibus apud Athen. VI p. 241 c.

Κόρυδον τὸν χαλκοτύπον πεφύλαξο
εἰ μή σοι νομιεῖς αὐτὸν μηδὲν καταλείψειν,
μηδ᾽ ὄψον κοινῇ μετὰ τούτον πώποτε δαίσῃ,
τοῦ Κορύδου, προλέγω σοι· ἔχει γὰρ χεῖρα κραταιάν.

Alexis Infitiatore apud Athen. VI p. 255 b.

κόλακος δὲ βίος μικρόν χρόνον ἀνθεῖ
οὐδεὶς γὰρ χαίρει πολιοκροτάφῳ παρασίτῳ.

Idem Archilocho XIV p. 644 b.

ὦ τὴν εὐτειχῆ ναίων Πάρον, ὄλβιε πρέσβυ,
ἣ κάλλιστα φέρει χώρα δύο τῶν συναπασῶν,
κόσμον μὲν μακάρεσσι θεοῖς, θνητοῖς δὲ πλακοῦντας.

Eubulus Sphingocarione apud Athen. XII p. 553 a.

ἐν θαλάμῳ μαλακῶς κατακείμενον· ἐν δὲ κύκλῳ νιν
παρθενικαὶ τρυφεραὶ χλανίσιν μαλακαῖς κατάθρυπτοι
τὸν πόδ᾽ ἀμαρακίνοισι μύροις τρίψουσι τὸν ἐμόν.

Apud eundem eadem in fabula X p. 449 e — 450 c duodecim habemus hexametros, quibus itidem aenigmata sunt inclusa. Idem metri genus adhibuit in Nutricibus apud Athen. III p. 113 f

οὗτοι ἀνιπτόποδες χαμαιευνάδες ἀερίοικοι
ἀλλοτρίων κτεάνων παραδειπνίδες ὦ λοπαδάγχαι,

et interposito ithyphallico in Echo VII p. 300 b.

νύμφα δ' ἀπειρόγαμος τεύτλῳ περὶ σῶμα καλυπτὰ
λευκόχρως παρέσται
*ἔγχελυς, ὦ μέγα μοι μέγα σοι φῶς * * ἐναργές.*

Eandem numerorum consociationem habemus apud Euripid. Androm. 117 sq. similem apud Aristophanem Athenaei VI p. 247 a. Tetrametris dactylicis idem usus est in Stephanopolisin apud Athen. XV p. 679 b.

ὦ μάκαρ, ἥτις ἔχουσ' ἐν δώματι
*στρούθιον ἀερόφοιτον * **
λεπτότατον περὶ σῶμα συνίλλεται
ἡδύτατον περὶ νυμφίον εὔτριχα,
κισσὸς ὅπως καλάμῳ περιφύεται
αὐξομένου ἔαρος ὀλολυγόνος
ἔρωτι κατατετηκώς.

Et in eadem fabula:

Αἰγίδιον, σὺ δὲ τόνδε φορήσεις
στέφανον πολυποίκιλον ἀνθέων,
γρυπότατον, χαριέστατον ὦ Ζεῦ.
*τίς γὰρ * αὐτὸν ἔχουσα φιλήσει.*

Quae multis modis corrupta fortasse alii emendabunt. Paeonicos numeros legimus in Eubuli Nutricibus apud Athen. XV p. 685 e.

ὡς γὰρ εἰσῆλθε τὰ γερόντια τότ' εἰς δόμους,
εὐθὺς ἀνεκλίνετο· παρῆν στέφανος ἐν τάχει,
ἤρετο τράπεζα, παρέκειθ' ἅμα τετριμμένη
μᾶζα χαριτοβλέφαρος.

Singularem in modum dactylicos versus trochaicis tetrametris intermiscuit Antiphanes in Similibus apud Athen. XI p. 471 c et XIV p. 642 a.

ὡς δ' ἐδείπνησαν, συνάψαι βούλομαι γὰρ τὰν μέσῳ,
καὶ Διὸς σωτῆρος ἦλθε Θηρίκλειον ὄργανον,
τῆς τρυφερᾶς ἀπὸ Λέσβου σεμνοπότου σταγόνος
πλῆρες ἀφρίζον, ἕκαστος δεξιτερᾷ δ' ἔλαβεν.
εἶτ' ἐπεισῆγεν χορείαν ἢ τράπεζαν δευτέραν
καὶ παρέθηκε γέμουσαν πέμμασι παντοδαποῖς.

Ita enim haec, quae duobus locis disiuncta leguntur, ad unius fragmenti continuitatem coniungenda esse suspicor, nisi quod inter quartum et quintum versum aliquid excidisse videtur. Dactylicos hosce versus, quorum hoc schema est:

–́ ◡ ◡ – ◡ ◡ – – –́ ◡ ◡ – ◡ ◡ –

Diphilios vocant Grammatici, quorum testimonia infra ubi de novae comoediae metris agitur adscribam. Epitritorum cum creticis coniunctorum vestigia deprehendisse mihi videor in Eubuli loco ex Orthane apud Athen. III p. 105 f

–́ ◡ – χαρῖδα καθῆκε κἀνέσπασ' αὖθις –́ ◡ –

Apertius apud Anaxilam in Circe IX p. 374 f hac forma:

–́ ◡ ◡ – ◡ ◡ – – –́ ◡ – – –́ ◡ ◡ – ◡ ◡ –
–́ ◡ – – ◡ – – ◡ – – ◡ –
–́ ◡ –

τοὺς μὲν ὀρειονόμους ὑμῶν ποιήσει δέλφακας ἠλιβάτας,
τοὺς δὲ πάνθηρας, ἄλλους ἀγρώστας λύκους
καὶ λέοντας.

Ita enim pro ὀρεινόμους et ὑλιβάτας legendum est; ἠλιβάτης habet etiam Antiphanes apud Athen. IX p. 402 e. in Cyclope, ubi vulgo editur βοῦς ἀγελαῖος τράγος ὑλιβάτας. Sed ἠλιβάτας scribendum ex Eustathio ad Odyss. p. 1753 24. Glyconeorum unum dumtaxat exemplum reperio in eadem Anaxilae fabula apud Athen. III p. 95 b.

δεινὸν μὲν γὰρ ἔχονθ' ὗος
ῥύγχος, ὦ φίλε, κνησιᾶν.

Quo de loco supra dictum est p. 228. Nam Nicostrati ex

Antyllo fragmentum apud Athen. III p. 108 c vehementer dubito an non recte Dindorfius Seidleri coniecturam sequutus ita ediderit:

οὔποτ' αὖθις
σηπίαν ἀπὸ τηγάνου
τολμήσαιμι φαγεῖν μόνος.

Sed de hoc in fragmentis dicam. Nec magis certum quibus numeris Timoclis locus scribendus sit in Icariis apud Athen. VIII p. 339 d. Ἄνυτος ὁ παχὺς πρὸς Πυθιονίκην ὅταν ἐλθὼν φάγῃ τι. καλεῖ γὰρ αὐτόν, ὥς φασιν, ὁπόταν τοὺς δύο σκόμβρους ξενίσῃ μεγάλως ἡδομένη. Cfr. Hermanni Opusc. I p. 51. Dubitanter item affero haec Chariclidae ab Athen. VII p. 325 d servata:

Δέσποιν' Ἑκάτα τριοδῖτι τρίμορφε τριπρόσωπε,
τρίγλαις κηλευμένα.

Quae varie constitui possunt. Maxime autem memorabile est etiam Eupolideis versibus polyschematistis mediae comoediae poetas usos esse. Athenaeus X p. 417 e. appositis Eubuli Diphili et Mnesimachi de Boeotiorum voracitate testimoniis, haec infert: Ἄλεξις Τροφωνίῳ·

νῦν δ' ἵνα μὴ παντελῶς Βοιώτιοι
φαίνησθ' εἶναι τοῖς διασύρειν ὑμᾶς εἰθισμένοις,
ὡς ἀνίκητοί τε βοᾶν ἐστὲ καὶ πονεῖν μόνον
καὶ δειπνεῖν ἐπιστάμενοι διὰ τέλους τὴν νύχθ' ὅλην,
γυμνοῦθ' αὑτοὺς θᾶττον ἅπαντες.

Quae res tam mihi insolens olim visa est, ut Alexidis testimonium excidisse, versus autem illos ex Aristophanis vel Cratini Trophonio petitos esse existimarem. Sed ea et valde incerta est coniectura et eam quoque ob causam haud satis commendabilis, quod non credibile est Athenaeum veteris comoediae poetae testimonium reliquis, quae attulit, postposuisse. Accedit quod ne novae quidem comoediae scripto-

res Eupolideorum versuum usu prorsus abstinuerunt. Vid. Mar. Victor. Art. gramm. III p. 2551 de quo loco infra dicam. Ac fortasse ad eandem metri speciem revocanda sunt quae ex eiusdem poetae Sicyonio affert Antiattic. p. 84 1 *βαβαὶ βαβαί:*

– ⏑ οὐχὶ τῶν μετρίων, ἀλλὰ τῶν βαβαὶ βαβαί.

Ἄλεξις Σικυωνίῳ. Praeterea unus superest locus lyricis numeris inclusus, sed multis modis depravatus, Axionici dico fragmentum ex Phileuripide ab Athen. VIII p. 342 b servatum:

ἄλλον δ' ἰχθὺν
μεγέθει πίσυνόν τινα τοῖσδε τόποις
ἥκει κομίσας Γλαῦκός τις ἐν
πόντῳ γαλεοὺς σῖτον ὀψοφάγων
καὶ λίχνων ἀνδρῶν ἀγάπημα φέρω κατ' ὤμων.
τίνα τῷδ' ἐνέπω τὴν σκευασίαν;
πότερον χλωρῷ τρίμματι βρέξας
ἢ τῆς ἀγρίας
ἅλμης πάσμασι σῶμα λιπάνας
πυρὶ παμφλέκτῳ παραδώσω;
ἔφα τις ὡς ἐν ἅλμῃ
θερμῇ τοῦτο φάγοι γ' ἑφθὸν ἀνὴρ Μοσχίων φίλαυλος.
βοᾷ δ' ὄνειδος ἴδιον· ὦ Καλλία,
ἢ σὺ μὲν ἀμφὶ σῦκα καὶ [ἀμφὶ] τάριχ' ἀγάλλει,
τοῦ δ' ἐν ἅλμῃ παρεόντος οὐ γεύει χαρίεντος ὄψου.

Ex his, quae chorici carminis reliquiae sunt, priora duobus, ut videtur, constant systematis anapaesticis, sed foedissime corruptis. Cetera inde a versu undecimo ita constitui ut haec apparent metrorum species:

⏑ –́ ⏑ – ⏑ –́ ⏓
–́ – –́ ⏑ ⏑ – – ⏑ ⏑ – –́ ⏑ – ⏑ – ⏓
⏑ –́ ⏑ – ⏑ ⏑͡⏑ ⏑ – –́ ⏑ ⏓
–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏓
–́ ⏑ – –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏓

Nisi forte ultimo versu *ἁλμαίᾳ* scribendum est, ut hi evadant numeri:

–́ ⏑ – –́ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ – ⏒

Quae satis usitata est numerorum consociatio. Quod autem chorici carminis illas reliquias esse diximus, idem de aliis eorum quos adscripsi locorum statuendum videtur, et maxime quidem de iis quos ex Eubuli Stephanopolisin et Anaxilae Circe apposui. Neque enim in omnibus mediae comoediae fabulis choro locum denegatum fuisse existimo. Eubuleae quidem fabulae chorum ex ipsis illis puellis coronariis compositum fuisse suspicor. Sed fuit haec veteris chori non nisi umbra quaedam, quippe ad exiguum, ut credere licet, choreutarum numerum redacti. Cfr. Fr. Ritteri Diss. de Aristoph. Pluto p. 11 sqq.

De reliquis metrorum generibus, praeter iambicos trimetros et trochaicos tetrametros, maxime omnium anapaesticis dimetris usi sunt. Hos illi ad enormem et antiquae comoediae inusitatam versuum multitudinem coniunxerunt et iis maxime locis frequentarunt, ubi aut conviviorum apparatus aut ciborum aliarumque rerum varia genera describenda essent. Eius rei luculentissimum exemplum habemus in Protesilao Anaxandridis apud Athenaeum IV p. 131, ubi septuaginta versibus festivissime describitur nuptialis coena Iphicratis. Nec minus memoratu digna est quinque et sexaginta versuum ecloga ex Hippotropho Mnesimachi apud Athen. IX p. 402 f in enarrando convivii apparatu occupata. Ei similis fuit locus in Ephippi Cydone, ut docent fragmenta apud Athen. VII p. 322 f. XIV p. 642 e. Haud minoris ambitus fuisse videtur oratio Cyclopis in cognomine fabula Antiphanis apud Athen. VII p. 295 f et IX p. 402 e. Nec tantum in rerum descriptionibus, sed etiam in diverbiis frequentem huius metri usum fuisse intelligitur ex fragmentis

Ephippi IX p. 346 f et Epicratis II p. 59 c. Non iniuria igitur affirmare licet, systemata anapaestica apud mediae comoediae poetas in versuum anapaesticorum tetrametrorum in antiqua comoedia inprimis usitatorum locum successisse. Horum enim versuum, quod perdignum memoratu est, in ea, quam proprie mediam comoediam dicimus, ne unum quidem exemplum invenias. Ceterum longarum ῥήσεων, quales supra attigimus, sive anapaestis sive iambicis et trochaicis versibus inclusarum, huius aetatis poetas fuisse studiosissimos praeter allata loca docent fragmenta Anaxilae apud Athen. XIII p. 558 a, Alexidis II p. 107 a. III p. 107 a. 123 f. XIII p. 568 a, Diodori VI p. 239 b. Quibus nihil simile reperias apud Aristophanem aliosve auctores comoediae antiquae. Itaque ut in aliis multis ita etiam hac in re media comoedia Epicharmeae haud fuit dissimilis, in qua longarum ῥήσεων satis frequentem usum fuisse ex fragmentis intelligitur. Epicharmi exemplum sequutus est, qui tum Siculum poetam tum mediam Atticorum comoediam pluribus in fabulis expressit Plautus.

His expositis reliquum est ut, antequam de poetis qui mediam comoediam illustraverunt sigillatim exponam, ipsa eorum nomina adscribam. Sunt autem hi: Alexis, Amphis, Anaxandrides, Anaxilas, Antidotus, Antiphanes, Araros, Aristophon, Augeas, Axionicus, Callicrates, Cratinus iunior, Diodorus, Dionysius, Dromo, Ephippus, Epicrates, Epigenes, Eriphus, Eubulides, Eubulus, Euphro, Heniochus, Heraclides, Heraclitus, Mnesimachus, Nicostratus, Ophelio, Philetaerus, Philippus, Philiscus, Simylus, Sophilus, Sotades, Strato, Theophilus, Timocles, Timotheus, Xenarchus. Ex his veteres critici maxime omnium probasse videntur Antiphanem et Alexin. Vid. Grammatic. Bibl. Coisl. p. 597. Anonymus autem de Com. p. XXX τούτων δέ εἰσιν ἀξιολό-

γώτατοι Ἀντιφάνης καὶ Στέφανος, errore manifesto, si quidem Stephanus, qui filius fuit Antiphanis, aliquot sane patris fabulas suo nomine docuit et auctor habitus est fabulae Φιλολάκων inscriptae, v. Athenaeus XI p. 469 a. Sed ipsum etiam dramatis scribendis ad tantam laudem enisum esse ut in exemplis haberi potuerit, prorsus incredibile est.

Iam ad ipsos poetas ut veniamus, agmen ducat ANTIPHANES, de quo apud Suidam vol. I p. 231 haec scripta reperio: Ἀντιφάνης: Δημοφάνους, οἱ δὲ Στεφάνου καὶ μητρὸς Οἰνόης, Κιανός, ὡς δέ τινες Σμυρναῖος, κατὰ δὲ Διονύσιον Ῥόδιος· κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας, ἀπὸ δούλων ὥς τινες. γέγονε δὲ κατὰ τὴν ἐννενηκοστὴν τρίτην ὀλυμπιάδα, καὶ ἔγραψε κωμῳδίας τξέ, οἱ δὲ σπ΄. νίκας δὲ εἷλε ιγ΄. παῖδά τε ἔσχε Στέφανον καὶ αὐτὸν κωμικόν. τελευτᾷ δὲ ἐν Κίῳ οδ΄ ἐτῶν ὑπάρχων, κατά τινα τύχην ἀπίῳ βληθείς. Haec ita in brevius contraxit Eudocia p. 61 Ἀντιφάνης Σμυρναῖος, κωμικός. κατὰ δὲ Διονύσιον Ῥόδιος, τῆς μέσης κωμῳδίας. ἔγραψε κωμῳδίας τξέ, οἱ δὲ σπ΄. παῖδα ἔσχε Στέφανον καὶ αὐτὸν κωμικόν. τελευτᾷ ἐν Κίῳ οδ΄ ἐτῶν ὑπάρχων, κατά τινα τύχην ἀπίῳ βληθείς. Cum his coniungere placet quae leguntur apud Anonymum de Com. p. XXX τούτων (mediae comoediae poetas dicit) εἰσὶν ἀξιολογώτατοι Ἀντιφάνης καὶ Ἄλεξις. Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου Ἀθηναῖος· καὶ ἤρξατο διδάσκειν μετὰ (fort. κατὰ) τὴν στή ὀλυμπιάδα. καὶ φασιν αὐτὸν γενέσθαι μὲν τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκ Λαρίσσης, παρεγγραφῆναι δὲ εἰς τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν ὑπὸ Δημοσθένους. γενέσθαι δὲ λέγουσιν αὐτὸν εὐφυέστατον εἰς τὸ γράφειν καὶ δραματοποιεῖν. ἐτελεύτησε δὲ ἐν Χίῳ (fort. Κίῳ) καὶ ὀστᾶ αὐτοῦ εἰς τὰς Ἀθήνας μετηνέχθη, τῶν δὲ κωμῳδιῶν αὐτοῦ τινὰς καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδασκεν. ἔστι δὲ αὐτοῦ δράματα σξ΄. Natus igitur est Antiphanes Olymp. XCIII, mortuus autem

Olymp. CXII, aetatis anno septuagesimo quarto, postquam inde ab Olymp. XCVIII h. e. ab vicesimo aetatis anno fabulas docuit. Ex his apertum est falli Saxium Onom. I p. 54 florem Antiphanis ponentem Olymp. XCIII 1, neque audiendum esse Schweighaeuserum ad Athen. IV p. 134 c qui eum Socratis et Euripidis aequalem fecit, falsa loci illius interpretatione deceptus. Sed de obitus tempore quae ex Suida rettulimus nonnihil turbari videntur loco ex *Παρεκδιδομένῃ* fabula servato apud Athenaeum IV p. 156 c, ubi haec leguntur:

ὄμνυμι δ᾽ ὑμῖν, ἄνδρες, αὐτὸν τὸν θεόν
ἐξ οὗ τὸ μεθύειν πᾶσιν ἡμῖν γίγνεται,
ἦ μὴν ἑλέσθαι τοῦτον ἂν ζῆν τὸν βίον
ἢ τὴν Σελεύκου τοῦ βασιλέως ὑπεροχήν.

Nam quum Seleucus, Diodoro Sic. XX 53 teste, Olymp. CXVIII 2 regem se appellari iusserit, apparet haec scribi non potuisse ab eo qui iam Olymp. CXII supremum diem obiit. Hoc argumento ductus olim apud Suidam in natalis anni indicio erratum, apud Anonymum autem, ubi de tempore agitur quo fabulas docere coeperit Antiphanes, *μετὰ τὴν ρή ὀλυμπιάδα* scribendum esse existimabam. Probavit haec Bernhardius, Suidam scripsisse coniiciens *γέγονε κατὰ τὴν ἑκατοστὴν τρίτην ὀλυμπιάδα.* Atqui falsissimum hoc esse vel ex eo intelligitur, quod fabulam *Ἀνασωζόμενοι* inscriptam Olymp. CVI 1 in scenam productam esse antiqui lapidis fide constat apud Boeckhium Corp. Inscript. I p. 354. Neque Anteam et Omphalen longo tempore post Olymp. C docuit. Quae quum ita sint, nihil relinquitur nisi ut aut a Suida in mortis tempore indicando aut ab Athenaeo in fabulae auctore erratum esse statuamus. Horum alterum sequutus est accuratae doctrinae et rectissimi iudicii vir, Clintonus in Museo Philol. vol. I p. 607, qui motam a nobis difficultatem

ita componere conatus est, ut fabulam illam Alexidi potius quam Antiphani tribuendam esse existimaret. «For these «reasons, inquit, it may be suspected that this passage was «in reality written by Alexis, and ascribed to Antiphanes «by mistake. These two poets might well be sometimes «confounded [52]), since they flourished together; they were «placed together at the head of the middle Comedy, and «were the two most voluminous writers of the drama. Ale«xis left 245 comedies; to Antiphanes 260 were ascribed «by the lowest estimate. In that numerous collection they «composed many plays with the same title; and in quoting «from these, the two were sometimes confounded.» Commemoratis deinde iis fabulis quarum alii Alexin alii Antiphanem auctorem fuisse crederent, ita pergit: «Now, if the «*Παρεκδιδομένη* was a title common of both, or if the au«thor of this drama was doubted, from either of these cau«ses it might happen that Athenaeus committed an error; «and that the passage in which Seleucus was mentioned «was quoted from Antiphanes, when in reality it was writ«ten by Alexis.» Haec Clintonus, cuius sententiae nescio an etiam ex eo aliquid praesidii accedat, quod Alexis eundem illum Seleucum in Pyrauno commemoravit apud Athenaeum XIII p. 590 b:

ἐλάνθανον

πάλαι περιπατῶν ἀνδριάς, ἀλέτων ὄνος,
ποτάμιος ἵππος, τοῖχος, ὁ Σελεύκου τίγρις.

Quamquam hanc viam si insistere placet, etiam alia coniectura in promptu est. Nam quum fabulam *Παρεκδιδομένη*

[52]) Res Antiphanis et Alexidis iam ab antiquis scriptoribus inter se esse confusas etiam illud indicio est, quod utrique filium assignant Stephanum.

alio loco Athenaeus III p. 100 d [53]) Euphroni tribuat, haud minori veritatis specie illo de quo nunc agimus loco Euphronis nomen ab Athenaeo scribendum fuisse coniicias. Sed potest etiam altera quam indicavi iniri ratio, ut apud Suidam in mortis anno erratum dicamus. Quid enim si hunc non οδ', sed ρδ' scripsisse ponimus? Ita Antiphanes Olymp. CXIX h. e. aetatis anno centesimo quarto mortem obiisse efficeretur, postquam paucis ante mensibus Παρεκδιδομένην in certamen commiserit. Grandis, fateor, aetas et in rarissimis exemplis numeranda! Sed etiam Philemoni Alexidi multisque aliis longissima et ad extremum vitae spiritum poeticis studiis florentissima senectus obtigit. [54]) Attuli haec non quod vera putarem omnique dubitatione maiora, sed ut nihil eorum omitterem, quae ad expediendam hanc quaestionem aliquid utilitatis habere viderentur.

De natali solo Antiphanis magna fuit inter veteres scriptores dissensio, aliis Cium, Hellesponti urbem nobilissimam, aliis Smyrnam, aliis denique Rhodum eius patriam perhibentibus. De Smyrna etiam Stobaei habemus testimonium Floril. XXIX p. 200 33, ubi in margine Gesneriano scriptum est Antiphanis Smyrnaei. Quod etsi per errorem ex lemmate sequentis fragmenti, quod ex Bionis Smyrnaei Bucolicis ductum est, irrepsisse videri potest, non tamen plane de nihilo esse ex Suidae loco intelligitur. Ab his omnibus mirifice dissentit Anonymus, Larissam viro patriam assignans, cui quo minus fidem habeamus prohibent quae proxime

[53]) Ubi minus recte legi videtur Παραδιδομένη, quod quid significet non intelligo: recte contra Παρεκδιδομένη de puella quae simul cum alia elocatur. In Lexicis vocem non reperio.

[54]) Philemon nonaginta novem, Alexis sex supra centum annos compleverat. V. Prolegg. ad Menandr. et Phil. p. XLVI et quae infra de Alexide dicentur.

adiecta leguntur verba, quibus Antiphanem per Demosthenem demum Atticis civibus adscriptum esse traditur. Nam quum Demosthenes Olymp. XCIX extrema natus sit, Antiphanes autem iam Olymp. XCVIII fabulas docere coeperit, fieri sane non potuit ut Antiphanes Demosthene auctore in civium tabulas referretur. Peregrinis autem, antequam civitati adscripti essent, in publicis Bacchicorum sacrorum solennibus fabulas in certamen committendi potestatem factam esse, nullis puto argumentis doceri potest. Itaque fuit quum eo inclinaret animus, ut omnia illa Anonymi verba de Alexide intelligenda esse crederem. Valde enim perturbatum esse Anonymi de Antiphane et Alexide locum, vel illud indicio est, quod quum de utroque poeta se dicturum esse professus esset, de Alexide ne verbum quidem adiectum legitur. Fateor tamen ne hanc quidem coniecturam recte procedere, quum de Alexidis patria, quem Thuriis oriundum fuisse Suidas testatur, nulla unquam fuisse videatur controversia. Ceterum advertit animum, quod patriam Antiphanis Anonymus his verbis indicat, *γενέσθαι αὐτὸν τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκ Λαρίσσης*. Quidni enim simpliciter dixit Antiphanem genere fuisse Larissaeum? Fortasse igitur pater Antiphanis, urgente Lycophronis Pheraei tyrannide (Xenoph. Hellen. II 3 4), cum aliis Larissaeis relicta patria vitae domicilium Athenis posuerat. Patrem Antiphanis alii Stephanum alii Demophanem perhibuerunt. Prius ex eo aliquid firmamenti accipit, quod filio Antiphanis itidem Stephano nomen fuisse Suidas tradidit; avorum autem et nepotum plerumque eadem nomina fuisse nemo nescit. Oenoen Antiphanis matrem unus Suidas commemorat. De his omnibus certiora teneremus, si vel Demetrii Phalerei liber, quem de Antiphane scripsisse ex Diogene Laert. V 5 81 constat, vel Diodori Ascalonitae commentarius *περὶ Ἀντιφάνους καὶ τῆς παρὰ τοῖς*

νεωτέροις ματτύης ab Athenaeo XIV p. 662 f laudatus aetati nostrae asservatus esset.

De poesi Antiphanis veteres admodum honorifice sensisse ex testimoniis supra allatis apertum est. Eidem elegantiae laudem impertit Athenaeus I p. 27 d. IV p. 156 c. 168 d, fragmentorum indole egregie confirmatam. Elocutionis quidem ea est ratio, ut simplicitati orationis et perspicuitati studuisse videatur eximie, nisi ubi de industria atque ut pravam aliorum consuetudinem irrideret tortuosum et obscurum dicendi genus sequutus est. Cfr. quae supra dixi p. 286. In singulorum vocabulorum usu permulta deprehendas ab antiquiorum scriptorum munditie et castitate aliena. Pauca de multis ut afferam, *ἀναβῆναι* sive potius, ut probabiliter corrigas, *ἀναδῦναι* dixit pro *ἀναχωρῆσαι* apud Antiattic. p. 81 15, *ἀνὰ μέσον* pro *ἐν μέσῳ* ibid. p. 80 24, *ἀρδεύειν* pro *ἄρδειν* apud Grammat. Bekk. p. 443 22, *ἀρραβών* apud Stobaeum Floril. 65 2, *ἄρτι* futuro iunctum apud Athenaeum VIII p. 338 f, *βάκηλος* apud Athen. IV p. 134 b, *θέαινα* ibid. X p. 423 c, *ἴγδις* apud Polluc. X 103, *κατάλυσις* apud Antiattic. p. 103 15, *κέρμα* numero singulari apud Polluc. IX 88, *ἐπιστάτης* pro *διδάσκαλος* apud Antiattic. 96 12, *ἤθη* numero plurali apud eundem p. 98 15, *λαγγάζειν* ibidem p. 106 5, *ξενιτεύεσθαι* apud Photium Lex. p. 308 20 aliosque, *ῥίσκος* apud Polluc. X 137, *συμπάσχειν* i. e. *ἐλεεῖν* apud Antiattic. p. 114 4, *τύλη* apud Polluc. VII 192. X 40, *στρηνιᾶν* apud Athenaeum III p. 127 d, *σύαγρος* i. e. *σῦς ἄγριος* ibid. IX p. 401 f. Mitto alia de quibus suo loco dicendum est. Eadem insolentium formarum frequentia, ex quo genere est *αἴγεος* pro *αἴγειος* apud Athenaeum IX p. 402 d, *ἀλουργιαῖος* et *ἀμαρτύρητος* pro *ἀλουργής* et *ἀμάρτυρος* apud Suidam, *γαίης* sive potius *γαίας* apud Athen. X p. 449 b, *γάλατος* pro *γάλακτος* ibid. *γαμοῦμαι* de viro

uxorem ducente pro γαμῶ apud Antiattic. p. 86 14, quamquam id quidem consulto dixisse videtur; δεδιῳκημένος apud Antiattic. p. 88 18 pro διῳκημένος quo usus est apud Athen. VI p. 222 b, ἐπίτοκος pro ἐπίτεξ apud Phrynichum Ecl. p. 333, ἠκροᾶσο apud Antiattic. p. 98 28, καταλιμπάνω apud Athen. XV p. 690 a, μεσαῖος apud Athen. III p. 95 a. VII p. 303 f, μῦς et ὗς pro μύες et ὕας apud eundem IV p. 131 e et VII p. 295 c, μολόχη pro μαλάχη ibid. II p. 58.

Felicissimi ingenii poetam fuisse Antiphanem, tum Anonymus indicat εὐφυέστατον εἰς τὸ γράφειν καὶ δραματοποιεῖν poetam nostrum fuisse affirmans, tum ex dramatum quorum auctor habitus est numero intelligitur, quem ita definit Suidas, ut ab aliis trecentas supra quinque et sexaginta, ab aliis autem octoginta supra ducentas fabulas ei assignatas fuisse appareat. Horum quem primo loco commemoravi numerum non prohibeo quo minus fictus et commenticius habeatur, siquidem tercentum sexaginta vel tercentum sexaginta quinque antiquitus pro rotundo atque ut ita dicam symbolico numero fuisse iam ex Homero intelligitur, de Ulixis suibus agente Odyss. XIV 20 οἱ δὲ τριηκόσιοί τε καὶ ἑξήκοντα πέλοντο Porro testante Curtio lib. VI 20 pellices trecentae et sexaginta, totidem quot Darii fuerant, Alexandri regiam implebant, et auctore Schol. Iliad. IV 334 συνέστηκε πύργος ἐκ τξ ἀνδρῶν. Denique quod nostrae causae accommodatissimum est, trecentas sexaginta quinque veteris comoediae fabulas numeratas esse memoriae prodidit Anonymus de Com. p. XXVIII. [55]) Itaque alterum ponamus numerum, Anonymi consensu fere confirmatum, ut qui ducentarum et sexaginta fabularum auctorem Antiphanem fuisse perhibeat. Vel sic tamen Antiphanes feracissimos re-

---

[55]) Alia exempla vide apud Lobeckium Aglaoph. p. 172.

centioris temporis poetas scenicos, Lopem de Vega dico et Calderonem, ingenii ubertate longe longeque superavit. Sed magnam, immo vero maximam harum fabularum partem nunquam in certamen fuisse commissam vel ex eo efficias, quod pro tanta dramatum multitudine perraro h. e. nonnisi tredecies primum praemium obtinuit. Inscriptiones et fragmenta habemus fabularum ferme ducentarum triginta, sed in his haud paucas aut manifesto corruptas aut gravissimis dubitationibus obnoxias. Ex priore genere sunt *Κάρνη Θομβύκιος Σκλήριαι*. Et *Κάρνην* quidem ab Athenaeo XIII p. 503 b laudatam recte Fabricius Bibl. gr. vol. II p. 416 in *Καρίνην* mutavit, de quo fabulae titulo dixi ad Menandri Fragm. p. 91. *Θομβύκιος* laudatur Athenaeo IV p. 161 e *ἐν Θομβυκίῳ*. Ita enim codices habent pro vulgato *Θομβυκίωνι*. Non minus corrupte Pollux X 179 *ἐν Βομβυκίῳ*, pro quo alii libri habent *Βομβυκίοις*. Genuinum fabulae titulum servasse videtur Athenaeus III p. 125 f, ubi est *Ἀντιφάνης Βομβυλίῳ*, sive potius *Βομβυλιῷ*, quo poculi genus significatur angusto orificio et liquorem guttatim et bilbite cum sonitu emittens. Ita describitur fere ab antiquis grammaticis. Scholiasta Apollonii Rhod. II p. 569 *βομβύλη εἶδος μελίσσης, καὶ ποτηρίου δὲ εἶδος, ὡς Ἀντισθένης παραδίδωσιν· ἔστι δὲ τοῦτο στενοτράχηλον*. Antisthenis testimonio eadem in re usus est Pollux VI 98 *βομβυλιὸς δὲ τὸ στενὸν ἔκπωμα καὶ βομβοῦν ἐν τῇ πόσει, ὡς Ἀντισθένης ἐν Προτρεπτικῷ*, et X 68 *τὸ δὲ καλούμενον κυρίλλιον πρὸς τῶν Ἀσιανῶν, βομβυλιὸν μὲν Ἀντισθένης εἴρηκεν ἐν Προτρεπτικῷ, οἱ δὲ καὶ σύστομον αὐτὸ ὀνομάζουσιν*. Adde Socratem Athenaei XI p. 784 d *οἱ μὲν ἐκ φιάλης πίνοντες ὅσον θέλουσι τάχιστ᾽ ἀπαλλαγήσονται, οἱ δὲ ἐκ βομβυλιοῦ κατὰ μικρὸν στάζοντες*. Cfr. Athen. XIII p. 485 a *λεπαστὴ — ἀφ᾽ ἧς ἐστι λάψαι, τουτέστιν ἀθρόως*

πιεῖν, κατεναντίον τῷ λεγομένῳ βομβυλιῷ. Minus certum quid Scleriis faciendum ab Athenaeo II p. 77 d laudatis. Casaubonus quidem, qui se titulum fabulae diu de mendo suspectum habuisse dicit, postea autem incerti poetae fabulam Sclerias tribus locis apud Stobaeum repperisse affirmat, egregie fallitur. Stobaei Sclerias non fabulae titulus est sed nomen poetae Tarentini, comoediae Italicae auctoris minime obscuri. V. Florileg. II 9. XVIII 2. CIII 9. Rectius Antiphanem *Σκύριαι* fabulae titulum fecisse suspiceris, quo nomine Sophoclis et Euripidis ferebantur tragoediae, quarum argumentum ad Achillem inter filias Lycomedis Scyri delitescentem spectabat. Minime autem Antaeum ab Athenaeo XII p. 544 f laudatum, cui Anteam substitui volunt, in vitii suspicionem vocaverim. Sane notissimum est ipsique Athenaeo aliquoties ad partes vocatum Antiphanis drama Anteae nomine inscriptum; nec tamen contra librorum fidem quidquam novandum credo. Quod enim Schweighaeuserus Antaei fabulam tragoediae magis quam comoediae convenire affirmat, falsissimum est. Antaeo nullus unquam tragicorum poetarum pro tragoediae argumento usus est; nec potuerunt profecto, ut quivis intelliget qui fabulam Antaei, de qua vide erudite disserentem Salvagn. Boessium Miscell. p. 210 cll. Scholiasta Platon. Ruhnk. p. 452, cognitam habeat. At egregie convenit argumento dramatis satyrici, quale praeter Phrynichum, cuius *Ἀνταῖος ἢ Λίβυες* a Suida s. v. *Φρύνιχος* et a Schol. Aristoph. Ran. 700 laudatur, scripsisse Aristiam, satyrorum poetam nobilissimum, docet Herodianus de dictione solit. p. 10 16 *παρὰ Ἀριστίᾳ ἐν Ἀνταίῳ, ἔνθα φησὶν Ἀνταῖος, Αἰγαίου Ποσειδῶ παῖς πατὴρ δ' ἐμός,* Quidni igitur aptum eadem fabula comoediae argumentum praebuerit? de quo tanto minus dubitandum videtur, quum etiam Busiridis et Scironis fata, Antaeo

haud dissimilia, Cratino Mnesimacho Ephippo Alexidi atque ipsi adeo Antiphani fabularum et nomen et argumentum praebuerint.

Dubiis et suspectis fabularum titulis etiam eos adnumerare licebit, qui adeo inter se similes sunt, ut qui alterutrum in vitii suspicionem adducere velit, ei nequaquam temeritatis crimen verendum sit. Eo referendi videntur *Λαμπάς* et *Λάμπων*, *Κιθαριστής* et *Κιθαρῳδός*, *Φιλομήτωρ* et *Φιλοπάτωρ*. L a m p a d e m et L a m p o n e m Athenaeus binis utramque locis commemorat, illam X p. 486 f et 487 d, Lamponem autem VII p. 307 d, X p. 423 d. Iam Fabricius Bibl. gr. II p. 417 neutram ab altera diversam existimat, Schweighaeusero Animadv. vol. V p. 363 ubique Lamponis nomen inferri cupiente. Qui quum Lamponem ab Antiphane exagitatum fuisse existimat eum, quem ex Pericleae aetatis historia cognitum habemus omnes, longissime a vero aberrat. Facilius Antiphanem Lamponis nomine symbolice usum esse credam, ut crescentem in dies sacricolarum et hariolorum arrogantiam sub eo illuderet, quam rationem a mediae comoediae ratione minime alienam esse, supra indicavi p. 275. Sed utut est, certe nihil causae video cur Lampadis nomen corruptum putetur, praesertim cum eiusdem tituli fabula commemoretur in Alexideis, sive eam ad *λαμπαδοδρομίας* solennitatem spectasse sive a Lampade meretrice nomen duxisse statuimus. Porro C i t h a r o e d u m habemus apud Athenaeum VII p. 342 d, Etymol. M. p. 683 26, Hesychium s. v. *στειλέαν*, C i t h a r i s t a m autem, qui etiam Menandreae fabulae titulus est, apud unum Clearchum Athenaei XV p. 681 c, quo loco qui Citharoedi titulum restitui voluerunt, non cogitasse videntur, citharoedorum et citharistarum diversa fuisse munia, v. Valcken. apud Koppiersium Observ. p. 142 et Proleg. Hermog. apud Walzium Rhet. IV p. 7.

Nihil igitur obstat quo minus et *Κιθαρῳδόν* et *Κιθαριστήν* ab Antiphane scriptum existimemus. Pomponii Citharistam laudat Nonius v. irascere. Eadem ratio Philometoris et Philopatoris apud Athenaeum III p. 100 d et XII p. 559 d, quorum titulorum si alterutrum corruptum putamus, in Philometorem certe nullam corruptelae suspicionem cadere ipsa fragmenti sententia docet:

ἔμμητρον ἂν ᾖ τὸ ξύλον βλάστην ἔχει·
Μητρόπολίς ἐστιν οὐχὶ Πατρόπολις πόλις·
μήτρας τινὲς πωλοῦσιν ἥδιστον κρέας·
Μητρᾶς ὁ Χῖός ἐστι τῷ δήμῳ φίλος.

Ita enim haec legenda sunt. Nec de Philopatore dubitandum est, quam latine reddidisse videtur Turpilius, cuius Philopatorem aliquoties commemorat Nonius. V. Bothii fragm. Comic. p. 91. Nisi is Posidippi Philopatorem (Antiattic. p. 93) expressit.

Porro aliae sunt fabulae quae propter frequentissimam nominum Antiphanes et Antiphon permutationem dubitari potest utri auctori rectius assignentur. Spectat haec dubitatio ad Adonidem Meleagrum Medeam, fortasse etiam ad Philoctetem et Iasonem. Adonidis notitiam uni Antiatticistae debemus, a quo tribus locis hanc fabulam commemorari video. Primum p. 77 25 *Ἀκληρίαν: Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι· ὁ αὐτὸς εὐκλήρωμα ἀντὶ τοῦ κατόρθωμα*, ubi codex habet *Ἀντιφῶ*. Tum p. 80 24 *Ἀνὰ μέσον: ἀντὶ τοῦ ἐν μέσῳ· Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι.* Ita Bekkerus; sed *Ἀντιφῶν* ex Ruhnkenii apographo citat Petrus van Spaan Dissert. de Antiph. Rhamn. p. 254 et Wyttenbachius ad Plutarchi Mor. p. 103 c. Denique p. 103 15 *Κατάλυσιν: καὶ ταύτην ἐπαιτιῶνται. Ἀντιφάνης Ἀδώνιδι.* Ita igitur vix certi quidquam constituas; quamquam vocabulum *κατάλυσις*, eo praesertim quo Adonidis auctor sensu posuit, ita compa-

ratum est, ut in tragoedia vix locum habuisse videatur. Accedit quod fabula de Adonide Atticorum certe poetarum nullus unquam ad tragoediae compositionem usus est. Fecit id primus omnium is qui ut in vita ita in poesi nihil non sibi licere existimavit, Dionysius maior, cuius Adonidem tragoediam habemus apud Athenaeum IX p. 401 f. Post Dionysium idem argumentum tractavit Ptolemaeus Philopator, ut constat ex Schol. Aristophanis Thesmoph. 1059 *ἐζήλωσε δὲ αὐτὸν* (Euripidem in Andromeda) *Πτολεμαῖος ὁ Φιλοπάτωρ ἐν ᾗ πεποίηκε τραγῳδίᾳ Ἀδώνιδι.* Tanto frequentius Adonidis fabula comoediarum argumentum praebuit, ut docent exempla Platonis Nicophontis Philisci Ararotis Sotadis. Non dubito igitur quin Antiphanis fabula fuerit Adonis, in quam sententiam etiam Spaanius inclinabat. Ad Meleagrum ut veniamus, Antiphani eam fabulam adscribit Pollux X 73, Antiphonti Aristoteles Rhet. II 2: *ὑπόκειται ἡ ὀργὴ τῆς ὀλιγωρίας πρὸς τοὺς μὴ προσήκοντας, προσήκει δὲ τοῖς ἥττοσι μὴ ὀλιγωρεῖν. τοῖς δὲ φίλοις, ἐάν τε μὴ εὖ λέγωσιν ἢ ποιῶσιν, καὶ ἔτι μᾶλλον ἐὰν τἀναντία, καὶ ἐὰν μὴ αἰσθάνωνται ὥσπερ ὁ Ἀντιφῶντος Πλήξιππος* [56]) *τῷ Μελεάγρῳ· ὀλιγωρίας γὰρ τὸ μὴ αἰσθάνεσθαι σημεῖον,* et ibid. 24 *ἐκ τοῦ Μελεάγρου τοῦ Ἀντιφῶντος*

οὐχ ἵνα κτάνωσι (lege *κάνωσι*) *θῆρ᾽ ὅπως δὲ μάρτυρες*
ἀρετῆς γένωνται Μελεάγρῳ πρὸς Ἑλλάδα.

Qui locus ex prologo fabulae petitus videtur. Fortissimi quique Graecorum heroes (ita fere apud poetam fuisse vide-

[56]) Plexippi, qui Althaeae frater fuit, Apollod. I 7 10 et Hygin. fab. 173 sq. magnas in Meleagro Antiphontis fuisse partes docet Athenaeus XV p. 673 e. f, ubi Adrantum sive Adrastum in commentariis de Aristotelis Ethicis Nicom. copiose *περὶ τοῦ παρὰ Ἀντιφῶντι τῷ τραγῳδιοποιῷ Πληξίππου* egisse scribit. Sed de hoc iam Spaanium admonuisse video.

tur) convenerunt, non quo ipsi aprum Calydonium interficiant, sed ut Meleagri virtutem Graecis testificentur. Vides orationis et sententiae colorem esse eum, ut Meleagrum tragoediam fuisse appareat. Quid igitur Polluci faciendum Meleagrum tanquam Antiphanis fabulam laudanti: *καὶ γὰρ καὶ τοῦτο (ἀσκοπυτίνη) ἄν τις εὕροι ἐν Ἀντιφῶντος Μελεάγρῳ*

ἀσκοπυτίνην τινα
δίψους ἀρωγόν.

An hic etiam Antiphontis nomen Ruhnkenium sequuti reponemus? Non puto: vocabulum *ἀσκοπυτίνη* ne illis quidem quibus Antiphon scripsit temporibus tragico poetae concessum fuisse crediderim. Praestat igitur suum utrique Meleagrum relinquere. Tertium drama, de cuius auctore dubitari posse dixi, est Medea, a Polluce laudata VII 57 *Ἀντιφάνης δέ φησιν ἐν Μηδείᾳ· ἦν χιτὼν ἀμόργινος.* Ubi Ruhnkenius Antiphontis nomen restitui volebat, haud aliam ob causam puto, quam quod Iasonem Antiphontis ab Antiattic. p. 90 5 allatum non nisi titulo a Medea differre sibi persuaserat. Medeae fabulam a tractatione comicorum poetarum minime alienam fuisse, Strattidis Eubuli et Canthari exempla docent. Ac fortasse ne Iasonem quidem scripsit Antiphon, sed Antiphanes. Maiori cum iure Philoctetem Antiphani abiudices et Antiphonti tribuas, non quod tale argumentum a comica poesi abhorrere videatur (Epicharmi enim et Strattidis fabulae contrarium docent), sed quod unicum huius fabulae fragmentum a Stobaeo Flor. CXV 15 et Arsenio Viol. p. 430 servatum, nescio quid tragici coloris praefert:

σοφόν γέ τοί τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόν τε καὶ παθόν.

Sed hoc quam fallax argumentum sit ipse intelligo; nec commemoratur Antipho a Photio Biblioth. 167 p. 114 in

poetis quibus Stobaeus in concinnando Florilegio usus est. Omnino paucissima Antiphontis tragoediarum extant fragmenta. Praeter ea enim quae supra attuli, vix commemoratur nisi ab Aristotele Eth. Eud. VIII p. 1239 σημεῖον δ' ἕλοιτ' ἂν ὁ φίλος μᾶλλον, εἰ μὴ ἐνδέχοιτ' ἄμφω, γινώσκειν ἢ γινώσκεσθαι, οἷον ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς αἱ γυναῖκες ποιοῦσι, καὶ ἡ Ἀνδρομάχη ἡ Ἀντιφῶντος, et iterum Mechan. p. 847 20 καθάπερ γὰρ ἐποίησεν Ἀντιφῶν ὁ ποιητής, οὕτω καὶ ἔχει· τέχνῃ γὰρ κρατοῦμεν ὧν φύσει νικώμεθα, quem versum Violario suo intulit Arsenius p. 130. A grammaticis ne semel quidem ad partes vocatur Antiphon tragicus, ut hinc etiam sententiae nostrae, qua Adonidem Medeam et Iasonem Antiphonti abiudicavimus, argumentum petere liceat.

Haud minus ferax errorum permutatio nominum Antiphanis Apollophanis Antisthenis Aristophanis. Prioris generis exemplum habemus apud Athenaeum III p. 75 c, ubi qui laudantur Antiphanis C r e t e n s e s, non huius, sed Apollophanis fabulam esse alio loco demonstratum est. V. quae supra dixi p. 267. In Antisthenis locum irrepsit Antiphanes apud eundem Athenaeum XIV p. 656 f Ἀντιφάνης δ' ἐν Φυσιογνωμικῷ· καὶ γὰρ ἐκεῖναι τὰ δελφάκια πρὸς βίαν χορτάζουσι, καὶ ἐν Προτρεπτικῷ δέ· ἀντὶ δελφακίων προσφέρεσθαι, ex quo loco Φυσιογνωμικός et Προτρεπτικός in indices fabularum Antiphanis recepti sunt. Atqui Antisthenis nomen reponendum esse tum ex Polluce intelligitur VI 98 βομβυλιός — ἔκπωμα βομβοῦν ἐν τῇ πόσει, ὡς Ἀντισθένης ἐν Προτρεπτικῷ, quae supra attigi, tum vero Diogenes

---

[57]) Scripta haec sunt longo tempore ante Athenaeum a Dindorfio editum, qui allato Diogenis loco eandem Athenaeo emendationem adhibuit.

Laertius docet VI 1 15, ubi in scriptis Antisthenis commemoratur *περὶ σοφιστῶν Φυσιογνωμικός* et *περὶ δικαιοσύνης καὶ ἀνδρείας Προτρεπτικὸς πρῶτος δεύτερος τρίτος.*

Nec minus certum est, ex indice fabularum Antiphanis eliminandam esse Theogoniam. Eam unus omnium commemorat Irenaeus c. Haeret. II 14 (19) Valentinianorum doctrinam de rerum origine exponens. Multo verisimilius, inquit, et gratius de universorum genesi dixit unus de veteribus comicis Antiphanes in Theogonia. Ille enim de Nocte et Silentio Chaos emissum dicit, dehinc de Chao et Nocte Cupidinem et ex hoc lumen, dehinc reliquam secundum eum primam deorum genesin. Post quos rursus secundam deorum generationem inducit, et mundi fabricationem, dehinc de secundis diis narrat hominum plasmationem. Unde ipsi assumentes sibi fabulam quasi naturali disputatione commenti sunt, solummodo demutantes eorum nomina, id ipsum autem universorum generationis initium et emissionem ostendentes: pro Nocte et Silentio Bythum et Sigen nominantes, pro Chao autem Nun, et pro Cupidine, per quem, ut ait Comicus, reliqua omnia disposita, hi Verbum attraxerunt. Haec igitur Irenaeus, quem Antiphanis, qui dicitur, sententiam non satis sincere et fideliter reddidisse omnes concedant oportet qui cum graecae philosophiae vel levem consuetudinem contraxerint. Nocte et Silentio Antiphanes Chaos prognatum affirmat. Enimvero ut mittam, graecae cosmogoniae auctores Chaos omnium rerum principium posuisse, Silentium et Sige a vetustissima illa Graecorum philosophia plane ignorantur atque a Neoplatonicis demum et Gnosticis sunt introducta. Nec omit-

tendum est Irenaeum in reddenda graeci poetae sententia sibi ipsum repugnare, cum Valentinianos Antiphanis Nocti Bythum, Silentio autem Sigen substituisse affirmat. Cui difficultati si quis ita occurri posse in animum inducat, ut Silentium imperito interpreti imputandum esse, ipsum Irenaeum autem Galenen posuisse existimet (aliud enim vocabulum quod Silentio respondeat repertum iri diffido), ne ita quidem rem confectam esse apparet, si quidem etiam Galenes notio ex novitia Gnosticorum doctrina emanavit. Haec sufficere arbitror ad fidem Irenaei in reddenda Antiphanis sententia elevandam. Iam vero quid inscriptioni fabulae faciendum putabimus, ex qua Irenaeus cosmogonicam Antiphanis sapientiam derivavit? Num graecum poetam dramati, in quo deorum natales celebrarentur, Theogoniae nomen fecisse credibile est? Novimus *Ἀθηνᾶς γονάς, Διός γονάς, Διονύσου γονάς, Ἀπόλλωνος γονάς* et alia his similia, de quibus alio loco exposuimus. Sed *Διογονίαν* vel *Διονυσογονίαν* vel *Ἀπολλωνογονίαν* quis unquam vel fando audivit? Accedit quod unius quidem dei deaeve ortum in fabula aliqua repraesentari facile ferimus; sed quo pacto omnium deorum natales diversissimi unius fabulae finibus includi potuerint, prorsus me ignorare fateor. Percommode autem accidit ut omnes has dubitationes comparato Aristophaniarum Avium loco inde a versu 693 removere liceat. Notum est eo loco Aristophanem philosophorum de mundi origine decretis ita usum esse, ut avium genus immortalibus diis antiquius esse demonstraret. Sed audiamus Aves ipsas prosapiae antiquitatem iactantes:

Χάος ἦν καὶ Νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς·
γῆ δ᾽ οὐδ᾽ ἀὴρ οὐδ᾽ οὐρανὸς ἦν· Ἐρέβους δ᾽ ἐν ἀπείροσι κόλποις

τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν,
ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,
στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις.
οὗτος δὲ Χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ κατὰ Τάρταρον εὐρύν
ἐνεόττευσεν γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς.
πρότερον δ' οὐκ ἦν γένος ἀθανάτων, πρὶν Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα.
ξυμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' οὐρανὸς ὠκεανός τε
καὶ γῆ πάντων τε θεῶν μακάρων γένος ἄφθιτον. ὧδε μὲν ἐσμέν
πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μακάρων.

Haec siquis cum Irenaei doctrina comparaverit, in nonnullis quidem alterum ab altero dissentire reperiet, in universum autem tantam utriusque similitudinem deprehendet, vix ut dubitari posse videatur quin Irenaeus, sive quem ille auctorem sequutus est, hunc ipsum Aristophanis locum ante oculos habuerit; quod si verum est, iam nec Theogoniae nomen offensioni esse potest, quo nomine ad significandam hanc Aristophanicae fabulae partem non inepte, suo autem consilio accommodatissime usus est. Unum quod dubitationem movere possit hoc est, quod Irenaei verba: per quem, ut ait Comicus, reliqua omnia disposita, si ad verbum in graecum sermonem transferas (ac constat latinam interpretationem Irenaei diligentissime graeci exemplaris verba expressisse), perfectissimum efficiunt senarium, *δι' ὃν τὰ λοιπὰ πάντα διατεθειμένα,* sive ut Antiphanea forma (v. supra p. 310) utamur, *δεδιῳκημένα.* Sed ut in reliquis liberius versatus est Irenaeus, ita etiam illa per quem reliqua omnia disposita, Aristophanis verbis: *Ἔρως ξυνέμιξεν ἅπαντα,* respondere crediderim.

Ceterum frequentissime Antiphanis et Aristophanis nomina inter se esse permutata, eumque plurimorum errorum fontem extitisse uberrimum, infra patebit ubi de Antiphanis fabulis sigillatim exponam. Hoc loco unum tantum afferam exemplum. Clemens Alex. Strom. VI p. 751 haec habet: *Ἀριστοφάνους γράφοντος*

βέβαιον ἕξεις τὸν βίον δίκαιος ὤν,
χωρίς τε θορύβου καὶ φόβου ζήσεις καλῶς,

ὁ Ἐπίκουρος λέγει «δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία.» Hinc fragmentum illud inter Aristophanea recepit Dindorfius p. 206. Quod num recte factum sit vehementer dubito. Ita enim comparata est illorum versuum sententia, ut alienissima existimanda sit a poesi Aristophanis, egregie autem deceat Antiphanem h. e. poetam ethicis sententiis quam maxime abundantem.

Pervenimus ad eas Antiphanis fabulas, quarum de auctore iam veteres grammaticos dubitasse compertum habemus. Sunt autem hae: *Ἀλείπτρια, Ἄντεια, Ὕπνος, Ἀργυρίου ἀφανισμός, Δύσπρατος.* Quarum quas primo loco nominavi ab aliis Alexidi assignatas fuisse constat, de quo dissensu quid mihi statuendum videatur infra, ubi de Alexide disserui, expositum est. Neque alia duarum reliquarum fabularum fuisse videtur ratio, quarum alteram *Ἀργυρίου ἀφανισμὸς* inscriptam Athenaeus IX p. 409 d ita commemorat: *Ἐπιγένης ἢ Ἀντιφάνης ἐν Ἀργυρίου ἀφανισμῷ.* Eiusdem tituli et fortasse etiam argumenti ferebatur drama Strattidis. *Δύσπρατον* alios Epicrati tribuisse docet Athenaeus VI p. 262 d, ubi allatis aliquot ex Epigenis et Antiphanis Dysprato versibus inter se simillimis, ita pergit Athenaeus: *ἐκ τῆς παραθέσεως τῶν ἰαμβείων δῆλός ἐστιν ὁ Ἐπικράτης τὰ τοῦ Ἀντιφάνους μετενεγκών.* Quae quin ad iteratam Antiphaneae fabulae editionem ab Epicrate factam

spectent vix dubitaverim. Omissa de auctore dubitatione Antiphani eandem fabulam adscribit Athenaeus XIV p. 661 f.

His praemissis reliquas fabulas enumerabimus, quod ita commodissime fieri poterit, ut ingentem illam dramatum Antiphani tributorum multitudinem ad certas quasdam classes revocemus, initio ab iis fabulis facto, in quibus mythica argumenta tractata fuisse ex inscriptionibus coniicere licet. Praeter Adonidem igitur Antaeum Iasonem Medeam Meleagrum et Philoctetem, de quibus supra dictum est, ex hoc genere sunt Aeolus Aesculapius Alcestis Athamas Aphroditae natales Bacchae Busiris Caeneus Cyclops Deucalion Ganymedes Glaucus Milanio Minos Oenomaus vel Pelops Omphale Orpheus Phao Thamyras fortasse etiam Antea et Arcas. Quamquam enim **Antea** famosissimae meretricis nomen est, de quo supra p. 250 exposuimus, Antiphanis tamen fabula an non ab eodem scorto denominata sit, certe dubitari potest, siquidem Athenaeus XIII p. 567 e, ubi de meretricibus agit quae comoediis nomen et argumentum praebuerunt, Eunici quidem et Philyllii Anteas commemorat, de Antiphanis autem fabula ne verbum quidem addidit. Similiter p. 586 e *ἀπὸ Ἀντείας καὶ ὅλον δρᾶμα ἐπιγραφόμενον, ὡς προεῖπον, Εὐνίκου ἢ Φιλυλλίου, Ἄντειά ἐστι.* Itaque Antiphaneam fabulam ad Iobatae filiam Bellerophontis amore famosam, Homer. Iliad. VI 160 cll. Boettigero in Picturis vas. vol. I p. 107, spectasse coniicio. Ex prioribus Antiphanis fabulis fuisse Anteam docet Peronis unguentarii, Theopompo comico aequalis, commemoratio apud Athenaeum XV p. 690 c: *μνημονεύει τοῦ μυροπώλου τούτου τοῦ Πέρωνος καὶ Θεόπομπος ἐν Ἀδμήτῳ καὶ Ἡδυχάρει, Ἀντιφάνης δ' ἐν Ἀντείᾳ,* ex quo fabulam circa Olymp. C actam fuisse coniicias. Eandem postea ab Alexide paucis locis mutatam et iterum in certamen commissam fuisse ex Athenaeus III p. 127 b intelli-

gitur, qui commemorata Antiphanis fabula subiicit: *τὸ αὐτὸ δρᾶμα φέρεται καὶ ὡς Ἀλέξιδος ἐν ὀλίγοις σφόδρα διαλλάττον.* Praeterea laudatur ab Polluce VII 59.

Minus certa de Arcade pronunciare licet. Ea *Ἀρκαδία* vocatur ab Athen. X p. 444 d. *Ἀρκὰς* autem ab Herodico apud Athen. XIII p. 586 a. Prius illud haud dubie vitiosum est; nulli enim unquam comoediae titulus a provinciae vel urbis nomine inditus est. Sed Arcas utrum de fabuloso illo Iovis et Callistonis filio, an de homine Arcadico intelligendum sit, in medio relinquere praestat. Nec de Phaone a Polluce VII 192 et X 4 laudato res certa omnique dubio exempta est. Quis enim affirmare audeat, non famelicum illum Pythagoristam fabulae nomen dedisse quem commemorat Alexis apud Athen. IV p. 161 e

[illegible] *ἆρ᾽ οἶσθ᾽ ὅτι*
Μελανιππίδης ἑταῖρός ἐστι καὶ Φάων
καὶ Φυρόμαχος καὶ Φανός, οἳ δι᾽ ἡμέρας
δειπνοῦσι πέμπτης ἀλφίτων κοτύλην μίαν.

Aeoli quae ratio fuerit fragmenta fabulae satis docere videntur, quae servavit Athenaeus X p. 444 c. XII p. 552 f. Quorum quod primo loco commemoravi manifestam Euripidei dramatis ab Aristophane acerbissime exagitati [58]) imitationem continet. Cfr. Valckenarium ad Euripidis Hippol. 1303.

---

[58]) Exemplis iam addere licet Pac. 114, ubi Schol. Venetus: *παρὰ τὸ ἐξ Αἰόλου Εὐριπίδου, ἆρ᾽ ἔτυμος φάτειν ἔγνων Αἴολος εὐνάζειν τε τέκνα φίλτατα.* Quae ita corrigi posse videntur:

ἆρ᾽ ἔτυμον φάτιν ἔγνων
Αἴολον εὐνάζειν τέκνα φίλτατα.

De Aeolosicone Aristophanis, qua fabula Euripidis Aeolum data opera luserat, docte disseruit Grauertus in Museo Rhen. Niebuhrii vol. II p. 50 et 499.

Eadem Alcestidis ratio fuisse videtur ab Athenaeo III p. 122 d. XII p. 553 c laudatae. Neque enim dubito quin Antiphanes respiciatur ab auctore argumenti Euripid. Alcest. apud Matthiaeum vol. VII p. 114 παρὰ τοῖς κωμικοῖς ἐκβάλλεται (h. e. exploduntur) ὡς ἀνοίκεια τῆς τραγικῆς ποιήσεως ὅ τε Ὀρέστης καὶ ἡ Ἄλκηστις, ὡς ἐκ συμφορᾶς μὲν ἀρχόμενα, εἰς εὐδαιμονίαν δὲ καὶ χαρὰν καταλήξαντα. Ita enim pro edito τραγικοῖς legendum esse vidit Lachmannus apud Glumium Dissert. de Euripidis Alc. p. 53. Ceterum haud quaquam improbabilis est coniectura Boeckhii Alcestidem Antiphanis commemorari in monumento didascalico Inscr. I No. 231. Acta igitur fuerit Olymp. CVI 2.

Aesculapium laudat Athenaeus XI p. 485 b. Athamantem Pollux X 62. Quae Aphroditae natales inscripta fuit fabula, eius satis longum fragmentum servavit Athenaeus XV p. 666 f, unde sumpsit Schol. Luciani Lex. II p. 325, ubi pro Antiphane Aristophanis nomen scriptum est. De titulo fabulae supra diximus p. 279 sqq. Eandem fabulam fuerunt qui significari putarent ab Athenaeo X p. 449 b, ubi est Ἀντιφάνης ἐν Ἀφροδισίῳ, et ab Stobaeo Floril. XXIV 27, ubi quum in margine Gesn. scriptum legatur Antiphanis in Aphrodis., Grotius non codices, puto, sed suam coniecturam sequutus scripsit: Antiphanes Veneralibus h. e. Ἀφροδισίοις, idque probavit Koppiersius Observ. philol. p. 33. Sed Gaisfordius e codice edidit Ἀντιφάνους ἐξ Ἀφροδισίου. Neque aliter Antiattic. p. 94 32 ἐνειματεῖν: Ἀντιφάνης Ἀφροδισίῳ. Itaque diversa haec fabula fuit ab Ἀφροδίτης γοναῖς. Eius titulum haud cunctanter de Veneris festo in fabula repraesentato interpretarer, nisi hoc sensu requiri videretur pluralis Ἀφροδίσια. Hinc adducor fere ut verum dramatis nomen fuisse credam Ἀφροδίσιος, quo nomine hominem amoribus impense deditum significari

praeter alios docet Grammaticus Bekk. Anecd. p. 472: *λαμβάνεται (τὸ ἀφροδίσιος) ἐπὶ τῶν λάγνων, τῶν ἐρωτικῶς περὶ τὴν συνουσίαν καὶ σφοδρῶς διακειμένων.* Nisi forte de Veneris statua interpretari malis, quo sensu *Ἀφροδίσιον* habemus apud Grammaticum Bekk. l. l. *Ἀφροδίσιον ἰδίως τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἕδος*, et Athen. XIII p. 585 f *φιλάργυρός τις ἐραστὴς ὑποκοριζόμενος αὐτὴν* (Phrynen) *εἶπεν Ἀφροδίσιον εἶ Πραξιτέλους· ἡ δὲ Σὺ δὲ Ἔρως Φειδίου.*

Busirin ad partes vocant Athenaeus II p. 47 d, Pollux X 65, Antiatticista p. 89 33. Bacchas Athenaeus XI p. 441 d. Caeneum idem p. 433 d. Cyclopis quae diversis locis fragmenta servavit Athenaeus II p. 65 e. VII p. 295 f et IX p. 402 e, ad unum fragmentum commode coniungi possunt. Praeterea laudatur a Polluce IX 88. Deucalionem commemorat idem Athenaeus III p. 118 d. Ganymedem Scholiasta Euripid. Troad. 822 et Athenaeus XI p. 459 a. Glaucum Pollux III 43, ubi quidem, ut apud Scholiastam Euripidis, Aristophanis nomen pro Antiphane scriptum est. Milanionem affert Athenaeus X p. 423 d, de cuius loco supra dictum est p. 297. Eiusdem fabulae titulum fuerunt qui Polluci reddendum putarent VII 24, ubi laudatur *Ἀντιφάνης Μύλωνι.* Sed *Μύλων* pistrinum satis aptus est comoediae titulus. Compares Ergastulum Pomponii a Nonio laudatum. Porro Minoem habemus apud Athenaeum II p. 58 d. Oenomaum vel Pelopem ibidem IV p. 130 e. Omphalen, in qua magnae Herculis fuere partes, tribus locis affert Athenaeus III p. 112 e. 123 b. 125 a. Orpheum Pollux X 172, Thamyram Athenaeus VII p. 300 c. His addenda fortasse Andromeda, quam tanquam Aristophanis fabulam ad partes vocat Antiattic. p. 106 24 *Λείψας: ἀντὶ τοῦ λιπών. Ἀριστοφάνης Ἀν-*

δρομέδᾳ. Aoristum *λείψας* ab antiquae comoediae poeta alienum esse recte statuit Dindorfius ad Fragm. Aristoph. p. 10.

Succedant his eae Antiphanis fabulae quibus a certis quibusdam hominibus nomina imposuit, Cleophanem dico, Euthydicum, Gorgythum, Lamponem, Leptiniscum, Leonidam, Lyconem, Midonem, Obrimum, Philiscum, Sapphonem, Timonem, quibus dubitanter addo Heniochum et Philetaerum. Philetaerus enim ab Athenaeo IX p. 396 d laudata plane incertum est utrum poetae *Φιλεταῖρος* an *Φιλέταιρος* dicta fuerit, eademque dubitatio cadit in Philonidis Alexidis Amphidis et Heniochi fabulas eodem nomine inscriptas. Si viri nomen est, fortasse a Philetaero poeta comico, Aristophanis filio, fabula denominata est, sin adiective capiendum, hominem hoc dramate descripsisse poeta censendus est, qui officiosa sedulitate amicorum commodis inserviret. Talis hominis imaginem habemus ut alia mittam apud Timoclem Athenaei VI p. 237 d. Neque alia Heniochi ratio, cuius memoriam habemus apud Stobaeum Flor. CVIII 28. Huius nominis enim usus etsi frequentissimus est, nihil tamen obstare videtur quo minus ab auriga fabulam nominatam credamus. Aelius Dionysius apud Eustath. p. 576 42 *Ἀθήνησιν ἦν καὶ τάγμα ἀξιόλογον οἱ ἡνίοχοι. κατελέγοντο γὰρ οἱ εὐπορώτατοι ἁρματοτροφήσοντες.* Photius Lex. p. 71 20 *Ἡνίοχοι: οἱ εὐπορώτατοι Ἀθήνησι κατελέγοντο ἁρματοτροφήσοντες ὥσπερ ἱππεῖς.* De Cleophane ab Athenaeo III p. 98 f laudato nihil compertum habemus. Euthydicus, quam habemus apud Athenaeum IV p. 169 d. 323 c et Harpocrat. p. 133 29, fortasse de eo Euthydico denominata est, quem commemorat Aeschines c. Timarch. p. 65 Rsk. *οὗτος ἐκάθητο ἐν Πειραιεῖ ἐπὶ τοῦ Εὐθυδίκου ἰατρείου.* Cfr. ibid. p. 75 et Suidam vol. III p. 469 *πορνὸς ἐν Πειραιεῖ παρ᾽ Εὐθυδίκῳ διατρίψας.* Sed

fuerunt etiam alii Euthydici illis temporibus. V. Schmidtium ad Dinarch. adv. Demad. §. 33.

Multum dubitationis viris doctis attulit ea quae Gorgythus inscripta fuit fabula, ab uno laudata Athen. VIII p. 340 c. Nec sane inepta est Reinesii Var. lect. III 3 sententia pro Gorgytho Gergithii nomen esse reponendum suspicantis. Fuit is famosissimus adulator Alexandri magni, cuius nomen etiam Clearchus Solensis libro quem de adulatione scripsit praefixerat, v. Athen. VI p. 255 c. Nec tamen quidquam novandum puto. Gorgythus enim nomen fuisse videtur Asianum. Certe Gorgythion, quod nomen non diversum est a Gorgytho, in Priami filiis commemoratur ab Homero Iliad. VIII 302. Cfr. Apollod. III 12 13.

De Lampone supra dictum p. 313 et 275. Leptiniscum et Leonidam habemus apud Athenaeum XIV p. 641 f. X p. 422 e. Lyconi ab eodem VII p. 299 e commemoratae fortasse a Lycone Scarphensi, celeberrimo illis temporibus histrione, nomen inditum est; quem aliquando in comoedia, quam actitabat, versum, quo munus ab Alexandro magno peteret, inseruisse tradit Plutarchus de Alex. fort. p. 334 f. Cfr. Chares apud Athen. XII p. 538 f. In eundem Phalaeci extat epigramma Anal. Brunck. I p. 421. De Midone et Philisco, quas Pollux X 152. 176 commemorat, infra in Alexidis fabularum recensu coniecturam protulimus. Obrimum, quod viri nomen fuisse ex Stobaeo Flor. CXXII 15 intelligitur, commemorat Pollux X 21. Sapphonem supra attigi p. 278.

In Timone quid consilii sequutus esse videatur poeta indicavi p. 275. Huic enim fabulae, ab uno Athenaeo VII p. 309 d commemoratae, vix dubitare licet quin nomen a Collytensi illo, Echecratidis filio (Lucian. Tim. cap. 7 et Tzetzes Chil. VII 273) inditum sit. Is quum multos multis

beneficiis devinxisset, postmodum amicorum perfidiam expertus hominum congressus fugit totumque genus humanum odio habuit. De eo insignis est locus Plutarchi vit. Anton. 79 p. 114, ubi inter alia haec leguntur: *τὸν Τίμωνος ἀγαπᾶν καὶ ζηλοῦν βίον ἔφασκεν ὡς δὴ πεπονθὼς ὅμοια· καὶ γὰρ αὐτὸς ἀδικηθεὶς ὑπὸ φίλων καὶ ἀχαριστηθείς, διὰ τοῦτο πᾶσιν ἀνθρώποις ἀπιστεῖν καὶ δυσχεραίνειν. Ὁ δὲ Τίμων ἦν Ἀθηναῖος, ὃς καὶ γέγονεν ἡλικίᾳ μάλιστα κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ὡς ἐκ τῶν Ἀριστοφάνους καὶ Πλάτωνος δραμάτων λαβεῖν ἔστι· κωμῳδεῖται γὰρ ἐν αὐτοῖς ὡς δυσμενὴς καὶ μισάνθρωπος.* Aristophanis loci sunt in Lysistr. 809 et Av. 1548. Cfr. Phrynichum in Monotropo apud Bekk. Anecd. p. 344 22. Reliqua de Timone dicenda exhausit docta disputatio Hemsterhusii ad Lucian. I p. 99. Ceterum haud inepte, ut equidem opinor, Antiphanis fabulam a Luciano in Timone expressam esse coniicias.

Denique huic, de quo cum maxime agimus, fabularum generi fortasse M e t r o p h o n addenda ex Antiattic. p. 88, 24. *διδοῦσιν: οὐ διδόασιν. Ἀριστοφάνης Μητροφῶντι.* Quae ad Aristophanem referri non posse perspecte monuit Dindorfius fragm. Aristoph. p. 9.

A meretricibus complures denominavit fabulas, Chrysidem, Philotidem, Malthacen, Melissam, Neottidem, fortasse etiam Archestratam. Ex his C h r y s i d e m habemus apud Athenaeum IV p. 172 c. XI p. 500 e. Quae si eadem est Chrysis quam commemorat Menander in Adulatore p. 102, Antiphanea fabula postremis poetae dramatis accensenda est. Eandem cum aliis scortis habemus apud Timoclem Athenaei XIII p. 567 f *Χρυσὶς Κοναλλὶς Ἱερόκλεια Λοπάδιον.* P h i l o t i s laudatur Athen. VII p. 295 c. XIV p. 662 b. M a l t h a c e n affert Clemens Alex. Paed. III p. 218 Sylb. *Ἀντιφάνης ὁ κωμικὸς ἐν τῇ Μαλθακῇ τὸ ἑταιρικὸν τῶν γυ-*

ναικῶν ἀποσκώπτει, ubi scribendum *Μαλθάκῃ*. Cfr. Theophilus Athenaei XIII p. 587 f, ubi cum Nannario coniungitur,

τούτων τινὰ
ὧν ἐμπλέκουσι τοῖς λίνοις αἱ μαστροποί,
ἢ Ναννάριον ἢ Μαλθάκην.

Lucianus rhet. praec. vol. III p. 13 ὑπομειδιάσας τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο καὶ ἁπαλόν, Αὐτοθαΐδα τὴν κωμικὴν ἢ Μαλθάκην ἢ Γλυκέραν τινὰ μιμησάμενος τῷ προσηνεῖ τοῦ φθέγματος. **Melissam** habemus apud Stobaeum Floril. LIX 17. Meretricium hoc nomen fuisse docet Athenaeus IV p. 157 a: γέλωτος οὖν ἐπιρραγέντος παρῆν ἡ θεατροτορύνη Μέλισσα. Sed haec Athenaei fuerit aequalis. Itaque eam potius Melissam intellexerim, quam postea Maniam dictam esse memoriae prodidit Macho apud Athenaeum XIII p. 578 c. **Neottis**, cuius nomine etiam Anaxilas et Eubulus fabulas inscripserunt, commemoratur Athenaeo III p. 108 e. VII p. 223 e, ubi ridetur Demosthenes propter lusum verborum δοῦναι et ἀποδοῦναι, ex quo fabulam circa Olymp. CIX 2 scriptam esse coniicere licet. Cfr. Clintoni Fast. Hellen. p. 153 Kr. Denique **Archistratam** sive, quae legitima huius nominis forma fuerit, **Archestratam** habemus apud Athen. VII p. 322 c.

Progredior ad eas quas a provinciarum urbiumve incolis inscripsit fabulas. **Aegyptios** laudat Antiattic. p. 81 15. De **Arcade** supra dictum est p. 323. **Boeotium** habemus apud Athen. III p. 84 a. IX p. 367 f. Eadem **Boeotia** dicitur apud eundem XI p. 474 e. XIV p. 650 e et Polluc. X 88, ut utrum praeferendum sit dubitare liceat. **Byzantium** laudat Pollux VII 170. **Cares** Athenaeus IV p. 134 b. **Deliam** idem VIII p. 373 a κνηστὰ Ἀριστοφάνης ἐν Δηλίᾳ τὰ συγκοπτὰ λάχανα κνηστὰ ἢ στέμφυλα, ubi An-

tiphanis nomen reponendum videtur. Cfr. Dindorf. ad Aristoph. Fragm. p. 9. Ad eundem locum referenda videtur glossa Photii Lex. p. 173 14 *Κνηστὰ λάχανα: τὰ συγκοπτά.* Eiusdem tituli fabula ferebatur Sophili. Dodonis ad partes vocatur Athen. XII p. 526 d, ubi vulgo editur *'Αντιφάνης Δωδώνῃ,* sed B *Δωδῶνι,* quod in *Δωδωνίδι* mutandum videtur. Epidaurium habemus apud Polluc. IX 99 et Grammatic. Bekk. Anecd. p. 454 32. Eadem vitiose Epidaurus dicitur Antiattic. p. 98 28. Ephesia est apud Stobaeum Flor. LIX 6 et Apostolium VIII 37. Corinthia apud Athenaeum III p. 95 f. Lemnias idem laudat VI p. 230 d, nisi haec e mythologico genere fuit. Leucadium Athen. II p. 68 a, Pollux VI 66 et Suidas s. v. *ἀνάριστος.* Lydum habemus apud Athenaeum X p. 545 c. Ponticum ibid. VII p. 302 f. Eodem titulo inscriptae ferebantur fabulae Alexidis et Epigenis, quarum quod argumentum fuerit divinare licet, si memineris Ponticos, quorum plerique mercaturae causa (erant fere salsamentarii) vel ut philosophorum scholis interessent, Athenis versabantur, fere ludibrio habitos esse ab nasutioribus Atheniensibus. Eo spectat Antisthenis dictum, qui *πρὸς τὸ Ποντικὸν μειράκιον μέλλον φοιτᾶν αὐτῷ καὶ πυνθανόμενον τίνων αὐτῷ δεῖ, ἔφη· Βιβλιδαρίου καινοῦ καὶ γραφείου καινοῦ καὶ πινακιδίου καινοῦ, τὸν νοῦν παρεμφαίνων* Diogen. Laert. VI 1 3. Quibus adde Stratonici dictum apud Athenaeum VIII p. 351 c et Gnathaenae apud Machonem Athenaei XIII p. 580 f. Scythas vel Tauros affert Pollux VII 59 *'Αντιφάνης ἐν Σκύθαις ἢ Ταύροις,* sed Athenaeus VI p. 243 c et 247 f *'Αντιφάνης ἐν Σκύθῃ,* altera tituli parte omissa. Denique Tyrrhenus laudatur Athen. VII p. 329 e. Ita enim recte PV pro vulgato *Τυρρηνικῷ,* quod omnes libri servant p. 240 f.

His addendae quae ad Atticam spectant, Thoricii et Phrearrhius et fortasse Cnoethideus, quarum illa *Θορίκιοι ἢ Διορύττων* vocatur apud Athenaeum XV p. 689 e, sed *Θορίκιοι* simpliciter XII p. 553 d. Alteram indicis partem de homine qui furtis magnas opes sibi paraverit interpretatur Schweighaeuserus. Phrearrhium habemus Athen. XV p. 691 d. De Cnoethideo, cuius plenus titulus fuit *Κνοιθιδεὺς ἢ Γάστρων*, habemus testimonia Athenaei X p. 448 e, ubi olim legebatur *ἐν Κνοιθίδι ἢ Γάστρωνι*, et VII p. 287 e, ubi libri fere habent *ἐν Κνοισιδείᾳ*, quod emendavit Dindorfius, Photium antestatus in Lex. p. 173 15 *Κνοιθιδεύς: ὄρος τῆς Ἀττικῆς*. Mirum tamen a monte fabulae nomen inditum esse; fortasse igitur montis Cnoethidei genium introduxerat Antiphanes, quemadmodum Lycabettum Theopompus comicus apud Schol. Pindari Pyth. II 75.

Ab opificiis artibus aliisque communis vitae negotiis quae inscriptionem sortitae sunt fabulae, earum primo loco ponenda quae ab aliis *Ἄγροικος*, ab aliis *Ἄγροικοι* appellatur. Illud praeter Athen. IX p. 392 e. 396 b. XIII p. 567 d et Pollucem VI 55 quattuor locis habet Antiatticista p. 93 27. 97 5. 105 5. 108 8; pluralem autem habemus apud Athenaeum X p. 455 f. XV p. 692 f et Photium s. v. *ῥαγδαῖος*. Sed pleniorem fabulae titulum *Ἄγροικος ἢ Βουταλίων* posuit Athenaeus VII p. 304 b et 313 b, quarum inscriptionum alteram ad secundam fabulae editionem spectare putaremus, etiam si non diserte testaretur Athenaeus VIII p. 358 d *ὁ παρὰ τῷ αὐτῷ ποιητῇ* (praecedit locus ex Antiphanis Parasito) *ἐν Βουταλίωνι, ὅπερ δρᾶμα τῶν Ἀγροίκων ἐστὶν ἑνὸς διασκευή*. Ubi quod Butalionem unius *τῶν Ἀγροίκων* instauratam editionem esse dicit, perdifficile explicatu est. Plures enim fabulas *Ἀγροι-*

κος inscriptas, nec certo, quo inter se distinguerentur, cognomine discretas, Antiphanem in scenam commisisse nequaquam credibile est. Nec quidquam proficitur Casauboni coniectura, voculam *ἑνὸς* litura sanandam esse suspicantis. Appositis enim ex Butalione versibus, in quibus *Ἑλένης βρώματα* Antiphanes commemorat, statim subiicit Athenaeus: *ἐν δὲ τῷ Ἀγροίκῳ Ἑκάτης βρώματα ἔφη*, pro quo, si vera esset Casauboni coniectura, *ἐν τοῖς Ἀγροίκοις* Athenaeo scribendum fuisset. Hanc igitur *ἀπορίαν* sagacioribus solvendam relinquo. Ceterum praeter Antiphanem A g r i c o l a m docuerunt Anaxilas Anaxandrides Augeas Menander et Philemo. Q. Novii A g r i c o l a m, e graeca fabula haud dubie expressam, aliquoties commemorat Nonius. Vid. Bothii Fragm. p. 41. Ad Antiphanis et Anaxandridis Agricolam respexisse puto Aristotelem Eth. Eudem. III 2 *μάλιστα δ' εἰσὶ τοιοῦτοι* (sc. *ἀναίσθητοι*) *οἵους οἱ κωμῳδιδάσκαλοι παράγουσιν ἀγροίκους, οἳ οὐδὲ τὰ μέτρια καὶ τὰ ἀναγκαῖα πλησιάζουσι τοῖς ἡδέσιν.* Itaque simplices et ad omnem voluptatis sensum occalescentes rusticos his in fabulis produxerunt comici. Neque alio Butalionis nomen spectat, quo bardos stupidosque homines significari docet Scholiastes Aristoph. Ran. 1021. Talem hominem etiam Xenarchus repraesentaverat, cuius Butalionem habemus apud Athen. II p. 63 f. Antiphanes autem eandem simplicis hominis imaginem exhibuit in Acestria, v. Athen. IX p. 402 d, et si recte coniicio etiam in *Κουρίδι* fabula, cuius vide fragmentum ab Athenaeo VII p. 304 a servatum.

Ceterae huius generis fabulae sunt *Ἀκέστρια, Ἀλείπτρια, Ἁλιευομένη, Αὐλητής, Αὐλητρὶς ἢ Δίδυμαι, Ζωγράφος, Ἡνίοχος, Ἰατρός, Ἱππεῖς, Κναφεύς, Κηπουρός, Κιθαριστής, Κιθαρῳδός, Κοροπλάθος, Κουρίς, Προβατεύς, Στρατιώτης ἢ Τύχων, Τριταγωνιστής.*

Ex his *Ἀκέστριαν* habemus apud Athenaeum IX p. 402 d. XIII p. 586 a et Polluc. IV 125. Titulum fabulae dubius haereo de sartrice an de muliere famula vel curatrice interpreter. Alterius significationis auctorem habemus Etymol. M. p. 47 44 *ἐντεῦθεν ἀκεστὴς καὶ ἀκέστρια ἀντὶ τοῦ θεραπεύτρια.* Sed Atticos *ἀκέστριαν* de sartrice dixisse docet Lexicon Bekk. Anecd. p. 364 8 *Ἀκέσασθαι καὶ ἀκέσαι: ἰάσασθαι, ὅθεν καὶ οἱ Ἀττικοὶ τὴν ἠπήτριαν ἀκέστριαν καλοῦσι.* Ita etiam Aelius Dionysius Eustathii ad Odyss. p. 1647 58 et Etymol. M. p. 46 34 *ἀκέστρια καὶ ἀκεστής, οὓς νῦν ῥάπτας καλοῦσι. χρὴ δὲ εἰδέναι ὡς οἱ παλαιοὶ γυναιξὶν ἐχρῶντο εἰς ταύτας τὰς ἐργασίας, καθὰ καὶ νῦν Σκύθαι.* De acu idem dictum fuisse auctor est Erotianus Gloss. Hipp. p. 70 *οἱ Ἀττικοὶ τὰς ῥαφίδας ἀκεστρίας καλοῦσι παρὰ τὸ ἀκεῖσθαι καὶ ὑγιᾶ ποιεῖν τὰ ἱμάτια.* Sed is scripsit *ἀκέστρας.* Denique non praetereundum etiam Sophronis mimum *Ἀκέστριαι* fuisse inscriptum. Vid. Etymol. M. p. 490 10. *Καθόλου δὲ τοὺς πωλοῦντάς τι καπήλους ἔλεγον. ἔστι καὶ παρὰ Σώφρονι ἐν Ἀκεστρίαις.* Ita enim hunc locum e cod. Barocc. supplevit Bekkerus Anecd. p. 1464.

Ἁλιευομένη laudatur ab Photio Lex. s. v. *ὁρμιά,* Polluce IX 29 et Athen. VIII p. 338 e, ubi quae commemorantur meretrices Sinope Theano et Pythionice, indicio sunt hanc fabulam circa Olymp. CX in scenam esse commissam. Cfr. Clintoni Fast. Hell. p. 153.

Αὐλητὴν ab uno Athenaeo XIV p. 618 b commemorari video, quamquam haud sane inepta est Meursii Bibl. Att. p. 1410 et Hemsterhusii ad Aristophanis Plut. p. 365 sententia, ad eandem hanc fabulam pertinere quae traduntur a Plutarcho V. Demosth. cap. 4: *ἦν δ᾽ ὁ Βάταλος, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, αὐλητὴς τῶν κατεαγότων· καὶ δραμάτιον*

εἰς τοῦτον, κωμῳδῶν αὐτόν, Ἀντιφάνης πεποίηκεν. ἔνιοι δέ τινες ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ καὶ παροίνια γράφοντος τοῦ Βατάλου μέμνηνται. Itaque Batalus ille, quem quidem Antiphanes exagitavit, tibicen fuit in extremam mollitiem profusus. Plutarchi locum expressisse videtur Scholiastes Aeschinis c. Tim. §. 126. *Βάταλον καταπύγωνα καὶ μαλακόν. ὠνομάσθαι δέ φασιν οἱ μὲν ἀπὸ Βατάλου αὐλητοῦ μαλακοῦ, οἱ δὲ ἀπὸ ποιητοῦ κατεαγότα κρούματα γράφοντος, διόπερ καὶ Δημοσθένη διὰ μαλακίαν οὕτως ὀνομασθῆναι.* Quibus similia leguntur apud Grammatic. Bekk. Anecd. p. 221 *Βάταλος ἐκαλεῖτο παρὰ τοῖς παλαιοῖς μαλακός, ἀπὸ Βατάλου τινὸς αὐλητοῦ μαλακοῦ, ὃς καὶ Βατάλεια ταῦτα ἐξεῦρεν.* De Bataleis, quibus mollia et effeminata carmina significari videntur, nihil apud alios me legere memini. Permira autem sunt quae de eiusdem hominis carminibus hallucinatur Chrysostomus Caten. Matth. I p. 84 *βατταλογία — ἐκλήθη παρά τινος Βαττάλου παρ' Ἕλλησιν ὀνομαζομένου, ὅστις πλείστους τε καὶ ἀηθεῖς* (fort. *ἀηδεῖς*) *ὕμνους πλέκων προσέφερε τοῖς οἰκείοις θεοῖς.* Idem II p. 212 *βαττολογία — ἀπὸ Βάττου τινὸς Ἕλληνος μακροὺς καὶ πολυστίχους ὕμνους ποιήσαντος εἰς τὰ εἴδωλα καὶ ταυτολογίαν ἔχοντας.* Quae vereor ne suo ipse ingenio finxerit pater sanctissimus. Patria Ephesius fuisse dicitur primusque artem auloedicam fracta modorum mollitie depravasse. Libanius apud Photium Bibl. 266 p. 495 Bekk. *ἱστόρηταί τις Ἐφέσιος Βάταλος αὐλητὴς γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο καὶ μέλεσι κατεαγόσι, καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμαλάκισεν· ἀφ' οὗ τοὺς ἐκλύτους καὶ ἀνάνδρους Βατάλους ἐπονομάζουσιν.* Sed de Batalo illo sive tibicine sive poeta fides esto apud auctores; mihi quidem *βάταλος* antiquitus convicium fuisse videtur quo molliculus homo et dissolutus significaretur; id deinde ad voluptuosum quendam

et effeminatum tibicinem translatum pro ipso et proprio hominis nomine habitum est. Indicare id videtur Scholiastes Aesch. l. l. δοκεῖ δέ μοι λελέχθαι βάταλος παρὰ τὸ Εὐπόλιδος σκῶμμα· ἐκεῖνος γὰρ ὑπὸ τῶν Βαπτῶν ὀνόματα τοῖς αἰσχροῖς, καὶ τιγράνην βάταλον ὑπ' αὐτῶν καλεῖσθαι. Quae utcunque corrupta hoc tamen indicare videntur, Eupolin in Baptis sub ficto Batali nomine impudicum hominem, fortasse ipsum illum auloedum Ephesium, cuius verum nomen in depravato illo τιγρανην occultum latet, in scenam produxisse. Tales enim homines Eupolin in Baptis exagitasse, docet locus ab Athenaeo IV p. 183 f servatus,

ὃς καλῶς μὲν τυμπανίζει
καὶ διαψάλλει τριγώνοις.

Quibus versibus exoletum aliquem symphoniacum designari apertum est, monuitque nuper etiam Lobeckius. Iam si effeminatum illum hominem sub Batali nomine induxit Eupolis, non mirum est tum ab aliis tum ab ipso Eupolide (Schol. Aeschin. Reisk. p. 194 et Harpocr. p. 44 9) idem nomen ad posticum esse translatum. Hanc enim partem impudicorum et cinaedorum nominibus appellatam esse notissimum est. Ne longe abeam, Hesychius vol. I p. 534: Ἀριστόδημον οἱ κωμικοὶ τὸν πρωκτὸν καὶ Τιμησιάνακτα καὶ Θεόδωρον ἀπὸ τῶν ἡταιρηκότων, ubi plura attulerunt interpretes. De etymo vocis post Casauboni disputationem ad Sueton. Aug. 87 quod addam habeo nihil. Cfr. tamen Naekii Dissert. de Battaro Catonis in Niebuhrii Museo Rhen. II p. 115 sq. et Lobeckii Aglaoph. p. 1332. Tarentinos eodem sensu usurpasse βατὰς auctor est Hesychius, Βατάς: ὁ καταφερής. Ταραντῖνοι. Rectius fuerit βατᾶς, quae solennis est τῶν σκωπτικῶν τόνωσις. Ceterum hoc nomen in re tibiaria propriam quasi sedem habuisse, tum Hesychii glossa indicat quamvis corrupta, Βάτνος: αὐλὸς. Μεσσήνιοι, tum

vero ex eo intelligitur, quod scabellum, quo tibicines utebantur, *βάταλον* appellatum esse affirmat Scholiasta Aeschinis l. l. *καὶ νῦν δὲ οἷα καὶ* (legendum videtur *οἱ αὐληταὶ*) *ὑποπόδιον διπλοῦν ὑπὸ τὸν δεξιὸν πόδα ἔχοντες, ὅταν αὐλῶσι, κατακρούουσιν ἅμα τῷ ποδὶ τὸ ὑποπόδιον, τὸν ῥυθμὸν τὸ αὐτὸ* (fort. *τὸν αὐτὸν*) *συναποδιδόντες, ὃ καλοῦσι βάταλον.* Similiter Photius Lex. p. 180 21. *Κρουπέζαι: ξύλινα ὑποδήματα — οἱ δὲ κρόταλον, ὃ ἐπιψοφοῦσιν οἱ αὐληταί, τὸ βάταλον.* De scabellorum usu cfr. Casaubon. ad Sueton. Calig. 54. Ceterum ut Antiphanes *Βάταλον*, ita Theopompus scripsisse videtur *Βατάλην*. Vid. Scholiastes Aristoph. Plut. 1012, ubi confer Hemsterhusium.

Quam *Αὐλητρὶς ἢ Δίδυμαι* inscripsit fabulam habemus apud Athenaeum VIII p. 343 d. *Ζωγράφον* apud Antiattic. p. 82 10. *Ἰατρὸν* apud Athenaeum IV p. 175 a et Stobaeum Flor. CXCIX 31. *Ἱππεῖς* apud Athenaeum XI p. 503 b et XV p. 700 c, ubi Aristophani tribuitur, cui Antiphanis nomen substituendum esse monui in Curis crit. p. 75. Idem vitium tollendum ex Anecd. Cram. III p. 83. Porro *Κναφεὺς* laudatur a Stobaeo Floril. LXI 2. *Κηπουρὸς* ab Athenaeo XV p. 586 a. *Κοροπλάθος* a Polluce X 103. De *κοροπλάθοις* planguncularum fictoribus, qui etiam *κοραλλιοπλάσται* dicti, omnia exhausit erudita annotatio Ruhnkenii ad Timaei Lex. p. 165. Cfr. Spanhemium ad Iuliani Caes. 27. *Κουρὶς* laudatur Athenaeo III p. 120 a. VII p. 303 f. *Προβατεὺς* ibid. VII p. 295 c. *Στρατιώτης ἢ Τύχων* Athenaeo III p. 103 e. IX p. 379 e. XIV p. 654 e et omissa altera tituli parte ab eodem VI p. 257 d et Polluci IX 48. Tychonem utrum daemonem illum Venerium dicat, de quo v. interpretes Hesychii vol. II p. 1438 et Brunckium ad Anal. II p. 4, an pro nomine proprio, ipsius fortasse militis, habendus sit non defi-

niam. [59]) Prius si verum est, compares licet Eubuleae fabulae titulum *Ὀρθάνης*. Denique *Τριταγωνιστοῦ* insigne fragmentum habemus Athen. XIV p. 643 d, in quo Philoxeni Cytherii poesis summis effertur laudibus. De ceteris huius generis fabulis iam supra dictum est.

Quae reliquae sunt fabulae cum ad certa genera referri non possint, litterarum ordine eas recensere praestat, omissis tamen quas iam in superioribus data occasione attigimus. Itaque *Ἀδελφὰς* et *Ἀντερῶσαν* habemus apud Antiattic. p. 81 10 et 106 5. *Ἀκοντιζομένην* apud Athenaeum X p. 441 b. *Ἀποκαρτεροῦντα* apud Polluc. X 138. *Ἁρπαζομένην* apud Athenaeum IX p. 401 f. *Ἄρχοντα* ibid. IV p. 142 f. *Ἀσώτους* apud Antiattic. p. 86 14. *Ἄσωτοι ἢ Ἐπιστολαί* Euthyclis fuit fabula, *Ἄσωτος* Timostrati; Ennii Asotum laudant Varro et Festus, Caecilii Nonius. Porro *Αὑτοῦ ἐρῶντα* apud Athen. X p. 455 f. XV p. 678 e et Pollucem VII 199. *Γάμον* apud Athenaeum III p. 95 a. IV 160 d. 169 d. Eandem *Γάμους* vocat Antiatticista p. 84 13. *Διδύμους* habet Athenaeus III p. 127 d. VI 237 f. IX 380 f. X 423 c, Antiattic. p. 114 4. *Διπλασίους* Athen. XI p. 503 c et Stobaeus Flor. CXXI 4. *Δραπεταγωγὸν* Athen. IV p. 161 d. *Δυσέρωτας* idem III p. 100 f. *Ἐπίκληρον* habemus apud Stobaeum Flor. CXVI 28. *Εὔπλοιαν* ibid. XCIX 32 et apud Harpocrat. p. 135 8. *Κυβευτὰς* apud Polluc. X 137. *Κώρυκον* apud Athen. IV p. 161 a, ubi haec leguntur: *περὶ ὧν* (Pythagoreos dicit) *φησιν Ἀντιφάνης μὲν ἐν Μνήμασι τάδε*

[59]) *Τύχων* servi nomen est apud Diogenem Laert. V 1 15, ubi frustra Menagius *Τάχων*.

Τῶν Πυθαγορικῶν δ' ἔτυχον ἄθλιοί τινες
ἐν τῇ χαράδρᾳ τρώγοντες ἅλιμα καὶ κακά
τοιαῦτα συλλέγοντες ἐν τῷ κωρύκῳ.

κἀν τῷ κυρίως Κωρύκῳ δ' ἐπιγραφομένῳ φησί κτλ. Ita enim haec emendavit Koppiersius Observ. philol. p. 41. Itaque certum est Antiphaneae fabulae titulum non de pera, sed de eo qui *κυρίως* appellatur *κώρυκος* intelligendum esse. Illud autem incertum est, utrum *ὁ κυρίως κώρυκος* de folle athletarum, de quo accurate expositum in Matthaei med. graec. p. 124 sq. an vero de viri nomine proprio intelligendus sit. Praeterea eadem fabula laudatur ab Athenaeo IX p. 366 c. 409 c. Porro *Μέτοικον* habemus apud Athenaeum IV p. 170 d. Quam *Μηναγύρτην* appellat Antiattic. p. 88 18, eam *Μητραγύρτην* vocat Athenaeus XII p. 553 c, nullo ad sensum discrimine, v. Ruhnken. ad Timaei Lex. p. 11 et Lobeckii Aglaoph. p. 645. *Μηναγύρτην* docuit etiam Menander, cuius vide fragmenta p. 111. Harum fabularum argumentum quo spectaverit haud difficile est ad coniectandum, si quidem illud sacricolarum genus mendicandi impudentia omnisque generis fraudulentia infame erat. Cfr. Antiphanes in *Μισοπονήρῳ* apud Athenaeum VI p. 226 d *μετά γε νὴ Δία τοὺς μητραγυρτοῦντάς γε· πολὺ γὰρ αὖ γένος μιαρώτατον τοῦτ' ἐστίν.* Adde quos laudat Reiskius ad Dionys. Halicarn. Antiqu. Rom. II 19. Porro *Μοιχοὺς* habemus apud Athenaeum VI p. 225 d. *Μύστιδα* apud eundem X p. 441 c. 446 b. XI p. 494 c, Porphyrium de Abstin. II 17 et Polluc. X 67. *Νεανίσκους* apud Athenaeum VI p. 224 c et Stobaeum Flor. XCVII 8. De *Οἰωνιστῇ*, quam Caecilius apud Porphyrium Eusebii Praep. Ev. X 2 a Menandro in Superstitioso totam expressam esse dicit, supra dixi p. 32. Fragmentorum nihil superest. *Ὁμοίους* laudat Athen. XI p. 471 c. Sed in-

certam facit lectionem alius Athenaei locus IV p. 158 c, ubi est *Ἀντιφάνης Ὁμοίαις*. Alexis et Antidotus scripserunt *Ὁμοίαν*, Ephippus *Ὁμοίους*. *Ὁμώνυμοι* laudantur ab Athen. III p. 74 d. *Ὁμοπάτριοι* ab eodem XV p. 655 b. *Παιδεραστὴς* VIII p. 303 f. *Παράσιτος* III p. 96 b. 118 d. IV p. 169 e. VIII p. 358 d. IX p. 370 e, quam fabulam Alexidis Parasito posteriorem fuisse, ex iis quae infra de Alexide commentabimur apparebit. *Πλουσίους* habemus apud eundem VIII p. 342 e. *Προγόνους* VI p. 238 d. *Ποίησιν* ibid. p. 222 a. Eodem titulo fabulam quum etiam ab Aristophane scriptam esse meminisset Casaubonus, huius nomen pro Antiphane etiam apud Athenaeum l. l. restitui voluit. Sed hunc vel ultimus fragmenti versus erroris arguit: *ἂν ἕν τι τούτων παραλίπῃ* (sc. poeta comicus), *Χρέμης τις ἢ Φείδων τις ἐκσυρίττεται*. Chremetis et Phidonis personas antiqua comoedia ignorat. *Πρόβλημα* et *Παροιμιαζόμενον* supra attigi p. 278. *Τραυματίας*, qui fuit etiam Alexideae fabulae titulus, laudatur ab Athenaeo X p. 466 a et Polluce IV 183. X 46. *Ὑδρία* ab Athenaeo III p. 104 a. XIII p. 571 f. Denique *Φιλοθήβαιον* habemus apud eundem IV p. 169 c et XIV p. 629 f. Nam de *Πυραύνῳ*, quo titulo fabulam ab Antiphane scriptam esse supra p. 37 suspicatus sum, non magis res certa est quam de *Ὁμολογουμένοις*, quos apud Antiattic. p. 96, 12 *Ἐπιστάτης: ἀντὶ τοῦ διδάσκαλος. ὁμολογουμένως Ἀντιφάνης*, sibi repperisse visus est Koppiers. Obs. phil. p. 13. Fortasse enim hoc dicit grammaticus, Antiphanem communi dicendi usui convenienter *ἐπιστάτης* pro magistro dixisse.

Haec fere habui quae nunc quidem de Antiphane eiusque fabulis dicerem: nec quidquam praeterea his adiiciendum habeo nisi hoc unum, praeter nostrum poetam tres alios Antiphanes commemorari, qui et ipsi in comica poesi

elaborasse dicuntur, quamquam, si accuratius rem consideres, nullo cum iure. Horum primus est Antiphanes Bergaeus, de quo ita Steph. Byz. s. v. *Βέργη* p. 159. *Βέργη πόλις Θρᾴκης — ἐξ ἧς ὁ Βεργαῖος Ἀντιφάνης ὁ κωμικός.* Sed is notissimus est ille fabulator, de quo praeter Strabonem lib. I p. 127 vide Anton. Diogenem apud Photium Bibl. CLXVI p. 363. Nec magis comici nomine dignus videri debet Antiphanes is, de quo Suidas: *καὶ ἕτερος Ἀντιφάνης Ἀθηναῖος κωμικός, νεώτερος τοῦ Παναιτίου.* Quem quum nemo praeterea commemoraverit, videndum est ne unice Suidae liberalitati debeamus. Nec displicet Fabricii coniectura Bibl. Gr. II p. 419, qui hunc non diversum putat ab Antiphane iuniore, cuius librum *περὶ ἑταιρῶν* praeter Suidam et Athenaeum a Fabricio allatos laudat Harpocrat. s. v. *Ἀντίκιρρα* et *Νάννιον.* Denique verbo commemorandus Antiphanes Carystius, de quo Eudocia p. 61. *κωμικός, ἔγραψε κωμῳδίας λ', οἱ δὲ πεντήκοντα.* Sed Eudocia aut scripsit aut scribere debuit *τραγικὸς* et *τραγῳδίας.* Nam Suidas de eodem ita scribit: *Ἀντιφάνης Καρύστιος τρανός, κατὰ Θέσπιν γεγονὼς τοῖς χρόνοις.* Hunc enim tragicum fuisse poetam, vel Thespidis commemoratio docere poterat Harlesium ad Fabric. Bibl. gr. II p. 414. Neque omitti debebat ab iis qui de graecae tragoediae primordiis disseruerunt. Recte Toupius Emend. II p. 436 illud *τρανὸς* in *τραγικὸς* mutavit.

PHILIPPUS, Aristophanis filius, testantibus Schol. Platon. Bekk. p. 331, Anonymo Vit. Aristoph. p. XXXVIII Beck. et Thoma Mag. Vit. Aristoph. p. XL. Huius *Κωδωνιασταὶ* laudantur a Suida s. v. *Φίλιππος· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κωδωνιασταί, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.* Ubi quum nullam hodie huius fabulae mentionem iniectam vidisset Casaubonus, parum felicem coniectu-

ram [60]) periclitatus est ad Athen. VIII p. 358 f. Titulus fabulae fortasse fuit *Κωδωνισταί* vel *Κωθωνισταί*. Quamquam quod Eudocia praebet p. 427 *Κωνιασταί*, ducit potius vel ad *Κωμασταί*, quo titulo ferebantur fabulae Amipsiae, Phrynichi, Eubulidae et Epicharmi [61]), vel ad *Κωνειασταί* h. e. cicutam bibentes. Quod Menandro p. 102 restitui fabulae elogium *Κωνειαζόμεναι* pro *Κονιαζόμεναι*, egregie confirmat editus nuper Schol. Clem. Alex. Protr. p. 22 *οὗ* (Epimenidis) *μέμνηται καὶ Μένανδρος ἐν ταῖς Κωνεαζομέναις*. Scribe *Κωνειαζομέναις*. Ac fortasse etiam apud Stobaeum Serm. XXI, ubi Gesneri margo habet: «Menander in Catazom. Cod. A. *Κωταζομοις*» legendum est *Κωνειαζομέναις*. Denique, ut de titulo fabulae Philippeae omnia incerta esse intelligas, eodem iure *Κονιαταί* coniicias, quo titulo Alexis et Amphis dramata inscripserunt. Ad ceteras Philippi fabulas ut veniamus, *Φιλύραν* et *Ὀβελιαφόρους* Ephippo vindicavit Casaubonus ad Athen. VIII p. 358 f. *Ὀλυνθιακὸν* laudat Stobaeus Serm. CXIII 17, ubi Philippidae nomen nescio an casu substituerit Grotius. Sed in titulo dramatis haud dubie erratum est: ac quum Voss. ha-

ππ ϑ

beat *Φιλι ολυν*, satis perspicuum est scribendum esse *Φιλίππου* sive *Φιλιππίδου Ὀλυνθίᾳ*. Olynthiam docuerunt etiam Alexis et Menander. Multo minus res certa est de Phileuripide, quam Philippo tribuit Pollux Onom. IX 88, Philippidae idem IX 38 et Antiattic. p. 112. Qua in fabula si ineptum Euripideorum dramatum amorem exagitavit, quod Axionicum in cognomine fabula fecisse scimus, fa-

---

[60]) De ea Clintono Fast. Hell. p. XLVII rectius iudicat Rankius Vita Aristoph. p. CLXXXV.

[61]) *Κωμαστὴς* fuit etiam dithyrambicum carmen sive Philoxeni sive Antigenidae. V. Suidas vol. I p. 221.

cile intelligitur tale argumentum mediae potius quam novae comoediae convenire; itaque videndum ne non altero Pollucis loco Philippidae, sed apud Antiatticistam et priore loco Pollucis Philippi nomen restituendum sit. Sed nolim in re tam dubia quidquam certi pronunciare. Porro Nannium etiam in Philippi fabulis habitam fuisse a nonnullis, docet Athenaeus XIII p. 568 f, ubi facta huius dramatis mentione dubitanter addit: *εἰ Εὐβούλου τὸ δρᾶμα καὶ μὴ Φιλίππου.* Sic enim ibi corrigendum esse pro *Φιλιππίδου* monui Praef. Menandr. p. X allato Scholiaste Platonis Bekk. p. 331, ex quo Philippum nonnullas Eubuli fabulas suo nomine docuisse intelligitur: *Φίλιππον τὸν τοῖς Εὐβούλου δράμασιν ἀγωνισάμενον.* [62]) Ex eodem genere etiam Daedalum fuisse coniicias e Themistio ad Aristot. de Anima I 3 p. 622 Ald. *Δημόκριτος παραπλησίως λέγων Φιλίππῳ τῷ κωμῳδοδιδασκάλῳ· φησὶ γὰρ τὸν Δαίδαλον κινουμένην ποιῆσαι τὴν ξυλίνην Ἀφροδίτην ἐγχέαντα ἄργυρον χυτόν.* Quae vix dubitari potest quin ex eadem Daedalo sint derivata, quam Eubulo tribuunt Athenaeus VI p. 247 a et Antiattic. p. 108. Praeterea Philippum commemorant Suidas v. *ἀκοσιμῶσαι, τὸ ἐπικύψαι καὶ τὴν πυγὴν προσθεῖναι* (leg. *προτεῖναι*) *γυμνήν, Φίλιππος* et Stobaeus Serm. LXII 35, quamquam qui ibi laudantur Philippi versus, ab eodem Stobaeo LXII 7 tribuuntur Menandro. Apud eundem Serm. CXXIV 21 Philippidae tribuitur hic versus: *ὁ κοινὸς ἰατρός σε θεραπεύσει χρόνος.* Ubi quum lemma

---

[62]) Coniecturam nostram in loco Athenaei, confirmatam nunc auctoritate cod. B apud Dindorfium, haudquaquam idoneis argumentis impugnavit Rankius Vita Aristoph. p. CLXXXVI, qui cum nihil impedire dicit quo minus Philippides Eubuleae fabulae auctor habeatur, multum errat. Cfr. Clintonum Fast. Hell. p. XLVI.

Gesnerianum **Philippidae** in **Philippo** non temere fictum videatur a Gesnero, fortasse scribendum est: *Φιλιππίδου ἢ Φιλίππου*, nisi in Philippi nomine Philippideae fabulae titulus latet, v. c. *Φιλάδελφοι*, quam ipse commemorat Stobaeus Serm. CVIII 13, ubi Cod. A habet *Φιλίππου Φιλαδέλφοις*. Denique propter Fabricium Bibl. Gr. II p. 480 moneo, ne quis nostrum Philippum confundat cum eo quem commemorat Maximus Tyr. I 20, ubi Philippum habemus *γελωτοποιόν*, non diversum ab illo Xenophonteo in Symposio, de quo vide etiam Athenaeum I p. 20 b. XIV p. 614 c. d, Dionem Chrysost. LXVI p. 358 et Eustathium ad Odyss. IV p. 1503 33, ubi dicitur Philippides.

ARAROS, et ipse Aristophanis filius. Hunc qui primum Olymp. CI in certamen descendisse tradit Suidas s. v. *Ἀραρώς* [63]), haud dubie eam intelligi voluit fabulam quam Araros non ab Aristophane acceptam, sed proprio Marte elaboratam docuit [64]), si quidem Cocalum et Aeolosiconem, quas a patre scriptas sed suo nomine inscriptas Araros in certamen commisit, haud longo post Plutum secundam (Olymp. XCVII 4) intervallo exhibitas esse probabile est. Argum. Pluti p. 5 Hemst. *τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα δι᾽ αὐτῆς τοῖς θεαταῖς βουλόμενος τὰ ὑπόλοιπα δύο δι᾽ ἐκείνου καθῆκε Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.* Ubi quod Aristophanes filium in Pluto fabula populi

---

[63]) Ubi quae leguntur verba: *καὶ κλίνεται Ἀραρώ, ὥσπερ Ἀμυὼς Ἀμυώ, Τυφὼς Τυφώ*, quamvis falsa doceant, non tamen deleri debebant a Kustero. Constanti usu flectitur *Ἀραρὼς Ἀραρότος*, estque hoc unicum, ni fallor, exemplum nominis proprii a participio perfecti ita formati. Non dissimile tamen quod finxit Aristophanes Av. 65 *Ὑποδεδιὼς* et vs. 68 *Ἐπικεχοδώς*.

[64]) Consentit Rankius Vita Aristoph. p. CXCVIII.

gratiae commendasse narratur, recte, ut videtur, ad primi actoris partes, quas in illa fabula Araroti demandaverat pater, traxit Clintonus Fast. Hellen. p. 101. Ceterorum scriptorum loca quae ad Cocalum et Aeolosiconem pertinent, adscripsit Dindorfius Fragm. Arist. p. 80. 87. De iis quorum ipse auctor fuit Araros dramatis non admodum honorifice sensisse veteres docet Alexidis locus apud Athen. III p. 123 e:

καὶ γὰρ βούλομαι
ὕδατός σε γεῦσαι· πρᾶγμα δ᾽ ἔστι μοι μέγα
φρέατος ἔνδον ψυχρότερον Ἀραρότος.

Sed meminerimus hoc aemuli poetae esse iudicium; certe non adeo despectum iacuisse, ut a grammaticis negligeretur, intelligitur e Polluce VII 65, ubi in Ararotis versu pro *κροσωτοὺς* alios *κροκωτοὺς* scripsisse memoriae tradit. Fabulas eius Suidas commemorat hasce: *Καινεύς*, *Καμπυλίων*, *Πανὸς γοναί*, *Ὑμέναιος*, *Ἄδωνις*, *Παρθενίδιον.* Ex quibus *Παρθενίδιον* non commemoratur, quod sciam, nisi a Suida. Livii Andronici Virginem habemus apud Festum s. v. nobilem. Sed incertam facit lectionem tum formae *παρθενίδιον* insolentia tum librorum fluctuatio. In V enim hoc nomen scriptum est *Παρθενίκαι*, in E *παρνι* ϑ'), in Med. *παρθενιδικόν.*

Adonidis fragmenta supersunt apud Antiattic. p. 81. 104. 113 et Athen. III p. 95 e, ubi qui affertur ex hac fabula versus,

Ὁ γὰρ θεὸς τὸ ῥύγχος εἰς ἡμᾶς στρέφει,

de Marte intelligendus videtur in aprum mutato. In *Καινεῖ* nobilissimam tractavit fabulam de Caenide a Neptuno compressa et postea in virum transformata. Quo spectant haud dubie verba ex nostro dramate servata apud Pollucem VII 65

παρθένος δ' εἶναι δοκεῖ

φορῶν κροκωτοὺς καὶ γυναικείαν στολήν.

In versu ab Antiattic. p. 112 servato:

ἡ σὴ θυγάτηρ, ὅτ' ἐκεῖνος αὐτὴν ἐπελέκα,

nescio quis patrem Caenidis compellat, et *ἐκεῖνος* de Neptuno interpretor. Praeterea laudatur ab Antiattic. p. 81 et p. 99. Ceterum eadem fabula, de qua vide Aelianum H. A. I 25, Antoninum Liber. XVII, Scholiastam Apoll. Rhod. I 59 et Iliad. I 264, Ovidium Metam. XII 189 sqq., Virgilium Aen. VI 448, etiam Antiphani comoediae argumentum praebuit. V. Athenaeum X p. 433 c. *Καμπυλίωνος* quale argumentum fuerit, difficile dictu est. Similis tituli Alexidis fuit fabula *Ἀγκυλίων*, de qua vide quae infra dicentur. Ararotis *Καμπυλίωνα* ab aliis Eubulo fuisse tributam docet Athenaeus XI p. 471 e. XIII p. 562 c, qui eandem fabulam sine dubitationis significatione laudat II p. 47 d. III p. 86 d. 105 e, quibus adde Aspasium ad Aristotelis Eth. Nicom. IV 7, Photium s. v. *νωταλεύματα*, Antiattic. p. 83. 99 et Anonymum Bekk. Anecd. p. 444. *Πανὸς γονάς*, quo titulo etiam Philisci fabula ferebatur, habemus apud Athenaeum IV p. 175 d et Antiattic. p. 82. 106. *Ὑμέναιος* denique duobus locis laudatur. V. Athenaeus VII p. 237 a, ubi ante Casaubonum *ἐν μεναίῳ* legebatur pro *ἐν Ὑμεναίῳ*, et Suidas s. v. *ἀναθεῖναι*. Titulus fabulae sitne ad nuptiale carmen in fabula cantatum, an ad mythicum illum Hymenaeum referendus, definire non ausim. In nuptiis celebrandis versatam esse fabulam docet locus a Suida servatus,

Ὅπως δὲ τὴν νύμφην, ἐὰν ὁ καιρὸς ᾖ,

μετέωρον ἐπὶ τὸ ζεῦγος ἀναθήσεις φέρων.

Ita enim haec scribenda sunt.

Ex incertis fabulis quae afferuntur, vide apud Pollucem VI 43, Athenaeum II p. 50 b et Suidam vol. I p. 780 *ἑωθός*,

χωρὶς τοῦ ῑ Ἄρχιππος, καὶ Ἀραρὼς ἕωθας. Cfr. Phot. s. v. *ἑωθώς.*

NICOSTRATUS. Hunc fuisse qui tertium Aristophanis filium perhiberent, docet Anonymus Vit. Arist. p. XXXVIII et Thomas Mag. p. XL, cuius sententiae auctor fuit Apollodorus, Dicaearcho, quem sequuntur Suidas s. v. *Φιλέταιρος* et Eudoc. p. 426, Philetaerum tertium Aristophanis filium fuisse affirmante. Scholiastes Platonis Bekk. p. 331 *καὶ τρίτον, ὃν Ἀπολλόδωρος μὲν Νικόστρατον καλεῖ, οἱ δὲ περὶ Δικαίαρχον Φιλέταιρον.* Quidquid est, certe mediae fuit poeta comoediae, de quo diserte admonuit Athenaeus XIII p. 587 d, quamquam Harpocratio p. 266, *ἔστι δὲ καὶ ἐν τῇ νέᾳ κωμῳδίᾳ δρᾶμα Ὀρνιθευτὴς Νικοστράτου*, eum novae comoediae adsignavit, non aliam ob causam puto, quam quod fabulae Nicostrati haud paucaſ haberent quae novae comoediae poetis propria existimabantur. Ex quo genere est quod militem gloriatorem induxit in fabula *Βασιλεῖς* apud Athenaeum VI p. 230 d, foeneratorem avarum in *Τοκιστῇ* ibidem XV p. 685 f, coquum gloriantem ibidem XIV p. 664 b. Eodem spectat *τῆς ματτύης* commemoratio in fragmentis apud Athenaeum XII p. 517 a. XIV p. 664 c, quod cibi genus quum a Dorotheo sub Macedonum imperio Athenas introductum esse dicatur, a novae demum comoediae poetis frequenter commemoratur.

De ceteris rebus Nicostrati nihil tenemus, nisi quod Tettigidaeam Myrinensem amavit amorisqne furori saltu de rupe Leucadia facto medicatus esse dicitur. Ptolemaeus Heph. apud Photium Bibl. CXC p. 153 Bekk. *καὶ Νικόστρατον τὸν κωμικὸν Τεττιγιδαίας* (cod. A *τετεγιδαίας*) *τῆς Μυριναίας ἐρασθέντα ῥῖψαι ἑαυτὸν καὶ ἀπαλλαγῆναι τοῦ ἔρωτος.* Nam quod praeterea de Nicostrato tradit Suidas s. v. *Νικόστρατος* vol. II p. 624 et s. v. *ἐγὼ ποιήσω*

vol. I p. 675, optimum eum fuisse histrionem (*κωμῳδίας ἦν ὑποκριτὴς δοκῶν κάλλιστα ὑποκρίνεσθαι*) adeo quidem, ut vel proverbii loco dictum fuerit, *ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον,* qui haud dubie comici poetae versus est, hoc igitur unice Suidae errori debetur diversos Nicostratos confundentis. Is enim tragicus actor fuit vixitque ante Olymp. XC, ut constat ex iis quae tradit Xenophon Symp. III 11. Cfr. Plutarchus Opp. Mor. p. 348 F. Append. Vatic. I 65, Proverb. Coisl. p. 132, Philodemus in Volum. Hercul. Oxon. vol. II p. 16. Suidae error decepit etiam Spaldingium ad Quintil. I p. 309 et Schneiderum ad Xenophontis Symp. l. l. p. 199. Alius item est Nicostratus Thebanus *κωμῳδὸς* in titulo apud Boeckhium Corp. Inscr. I p. 763. Nec minus a nostro diversus esse videtur is quem commemorat Diogenes Laert. IV 18. *Νικοστράτου γοῦν ποτε, τοῦ ἐπικαλουμένου Κλυταιμνήστρα, ἀναγινώσκοντός τι τοῦ ποιητοῦ αὐτῷ τε* (Polemoni) *καὶ Κράτητι, τὸν μὲν συνδιατίθεσθαι τὸν δ' ἴσα καὶ τὸ μὴ ἀκοῦσαι,* ubi Fabricius Biblioth. Gr. II p. 472 nostrum comicum laudari sibi persuasit; rectius intelligatur is cuius Theseida laudat Diogenes lib. II 59, quamquam ibi alii libri habent *Πυθόστρατος.*

Ad fabulas viri quod attinet, primum non indignum memoratu est, nonnulla eius dramata ita laudari a grammaticis, ut ab aliis Philetaero, quem Dicaearchum pro tertio Aristophanis filio habuisse supra vidimus, tributa fuisse appareat. Ex hoc genere fuit fabula *Ἄντυλλος* inscripta, de qua vide Athenaeum III p. 108 c. 118 e, ex quo probabile fit etiam ea quae omisso fabulae indicio apud Athenaeum II p. 65 d leguntur, ex eodem dramate petita esse. Sed de hoc admonuit iam Schweighaeuserus. Athenaei loca respiciens Suidas s. v. *Νικόστρατος* ita scribit: *λέγει δὲ* (Athenaeus) *ὅτι δράματα αὐτοῦ ἐστι Πάνδαρος ὁ καὶ Ἄντυλλος,*

ὃς καὶ Φιλεταίρου δοκεῖ εἶναι. Pro *Πάνδαρος* legendum *Πάνδροσος*, ut docet Athen. XIII p. 587 d. XV p. 693 a. b, ubi tamen nihil reperio, ex quo hanc fabulam etiam *Ἄντυλλος* inscriptam fuisse intelligatur. Itaque scripsit Suidas *Πάνδαρος* vel *Πάνδροσος καὶ Ἄντυλλος*. Corrupte etiam Eudoc. p. 311. Quae apud eundem Suidam in recensu fabularum Philetaeri leguntur: *Ἄντυλλος καὶ Αὐτοφιλέταιρος, ὡς δέ τινες Νικοστράτην*, moverunt Fabricium ut *Αὐτοφιλέταιρον* inter Philetaeri fabulas reciperet; sed recte iam Meursius illa ad saniorem rationem revocavit scribendo: *Ἄντυλλος, καὶ αὐτὸς Φιλεταίρου, ὡς δέ τινες Νικοστράτου.* De Antyllo, cui fabula inscripta fuit, nihil habeo quod dicam; nomen ipsum ex *Ἀντικλῆς* deminutum est, quemadmodum *Θράσυλλος* ex *Θρασυκλῆς*, *Ἄριστυλλος* ex *Ἀριστοκλῆς* et similia. Cfr. supra p. 288. Herculem in satyricis fabulis Heryllum dictum fuisse docet ex antiquis grammaticis Eustath. ad Iliad. p. 989 47. Non magis inter veteres constabat de auctore *Οἰνοπίωνος*, quam fabulam quum Philetaero tribuat Athenaeus IV p. 169 e. VII p. 280 d et Suidas s. v. *Φιλέταιρος*, idem Suidas s. v. *Ἀμφίας* Nicostrato assignavit: *Νικόστρατος Οἰνοποιῷ* (leg. *Οἰνοπίωνι*) *καὶ Σωσικράτης.*

Ceterarum, quas quidem nondum commemoravimus, Nicostrati fabularum titulos hoc ordine enumerat Suidas et e Suida Eudocia: *Ἱεροφάντης, Κλεινή, Ἅβρα, Ἡσίοδος, Διάβολος, Ἀντερῶσα, Ἑκάτη, Μάγειρος, Ὦτις, Πλοῦτος, Σύρος, Ἀπελαυνόμενος, Ψευδοστιγματίας.* In his pro *Ὦτις*, quod mulieris nomen videri potest, fuit qui *Ὦπις* scribendum eamque fabulam non diversam fuisse putaret ab Hecate. Facilius credam illud *Ὦπις* ex *Φιλῶτις* esse corruptum, quo titulo Antiphanis drama inscriptum fuit. *Σύρον* et *Ἀπελαυνό-*

μενον Eudocia ad unius fabulae titulum coniunxit *Σύρος ἀπελαυνόμενος*. Sed diversis utraque locis commemoratur ab Athenaeo XIV p. 615 f et 664 b. Pro *Κλεινὴ* recte *Κλίνη* legitur apud Athenaeum, in ceteris titulis nihil variantem. Incertarum fabularum fragmenta supersunt tredecim. De ingenio dramatum Nicostrati praeter ea, quae supra diximus, hoc unum habeo quod afferam, minime maledicum vel audacem fuisse poetam. Rerum civilium statum nunquam attigit, nisi forte semel in loco a Photio Lex. p. 348 6, ubi commemorantur *ῥήτορες ἐξωρμενικότες, δυσχερεῖς, παλιναίρετοι*. Sed talia in Nicostrati fabulis fuisse videntur rarissima.

PHILETAERI, quem Hyperidis et Diopithis [65]) aequalem fuisse ex Athenaeo VII p. 342 a et XIII p. 587 c intelligitur, omnino unam et viginti fabulas fuisse Suidas scribit, sequente Eudoc. p. 426. Ex his praeter *Ἄντυλλον* et *Οἰνοπίωνα*, de quibus supra dictum est, a Suida s. v. *Φιλέταιρος* diserte nominantur: *Ἀχιλλεύς, Κορινθιαστής, Κυνηγίς, Φίλαυλος, Κέφαλος, Τηρεύς, Ἀταλάντη, Λαμπαδοφόροι*. Quas omnes praeter Cephalum petiit ex Athenaeo, ex quo addere poterat *Ἀσκληπιόν* VII p. 342 a et XI p. 487 a. *Ἀδωνιάζουσαι* Philetaeri laudantur ab Antiattic. p. 104, nisi legendum ibi *Φιλιππίδης*, cuius hoc titulo fabulam affert idem Antiattic. p. 86 et Pollux V 100. Eiusdem *Μῆνες* fabula, qui fuit etiam Epicharmei dramatis titulus, commemoratur a Grammatico MS apud Dindorfium, *Φιλέταιρος Μησί· τίς ἐστι Μαιμακτηριών; Β. μὴν δικάσιμος*. Quam praeterea commemorat Suidas s. v. *ἀμπαλίνορρος* Philetaeri fabulam *Με-*

---

[65]) Puto eius qui Menandri comici poetae pater fuit, viri in republica haud mediocriter versati.

λέαγρος inscriptam, ea fortasse non diversa fuit ab Atalante, quae laudatur Athenaeo X p. 416 f. Ex Achille unum fragmentum superest apud Athenaeum XI p. 474 d. Neque frequentior *Κορινθιαστοῦ* memoria, quam affert Athenaeus XIII p. 559 a. *Κορινθιαστής*, quo nomine etiam Poliochi fabula ferebatur, quo sensu intelligendum sit docet Stephan. Byz. p. 468 Berk. *κορινθιάζομαι* (leg. *κορινθιάζεσθαι*) *τὸ ἑταιρεῖν ἀπὸ τῶν ἐν Κορίνθῳ ἑταιρῶν, ἢ τὸ μαστροπεύειν.* Scholiastes Leid. ad Iliad. *β* 572 *κορινθιάζειν τὸ καλλωπίζεσθαι.* Cfr. Lobeck. Aglaoph. p. 1021. Similes fabularum tituli sunt *Μαστροπὸς* Philippidis, *Πορνοβοσκὸς* Anaxilae Eubuli Posidippi, *Ἀντιπορνοβοσκὸς* Dioxippi, *Παιδερασταὶ* et *Παιδεραστὴς* Diphili et Antiphanis. *Κυνηγίδος*, quae *Κυνηγίας* dicitur Suidae, quattuor fragmenta servavit Athenaeus VI p. 280 c. XIII p. 570 f. 572 d. 587 c, ubi meretricum recensus est. Titulus fabulae utrum de venatrice interpretandus, an pro nomine proprio meretricis habendus sit, incertum est. Porro *Λαμπαδηφόρους*, quae *Λαμπαδοφόροι* apud Suidam scribitur, commemorat X p. 418 c. *Τηρέα* III p. 106 e. X 430 d et *Φίλαυλον* XIV p. 633 e, cuius quod argumentum fuerit, praeter titulum fabulae, docet locus ab Athenaeo servatus, *Ὦ Ζεῦ καλόν γ' ἔστ' ἀποθανεῖν αὐλούμενον* etc. Cephali memoriam unde Suidas duxerit nescio. Si vere hoc titulo comoediam inscripsit, argumentum eius non dissimile fuisse crediderim ei, quod in Procride tractavit Eubulus. Nisi forte ab eo Cephalo argumentum fabulae repetendum est, quem graviter notat Aristophanes Eccl. 248, quae Dobraei videtur esse sententia. Vide eius annotationem ad Aristoph. Acharn. 317. Incertorum dramatum duo supersunt fragmenta apud Athenaeum I p. 21 c et Pollucem VII 46.

EPHIPPUS [66]), Atheniensis, testante Suida, qui mediae eum comoediae poetam fuisse scribit, idque verum esse praeter ea quae Athenaeus XI p. 482 c ex Antiocho Alexandrino rettulit, etiam alia docent indicia, velut quod Platonem et Academicos ridet apud Athenaeum XI p. 509 c. d. et Alexandrum Pheraeum commemorat ibid. III p. 112 f, eiusque aequales Dionysium maiorem, Cotyn, Theodorum aliosque ibid. XI p. 482 d. Fabularum titulos habemus hosce: *Ἄρτεμις* apud Athenaeum III p. 112 f, quo titulo an Dianam intellexerit, incertum est, cum Artemis etiam mulieris nomen fuerit, Diogen. Laert. III 42. *Βούσιρις* apud Athenaeum X p. 442 d et Macrobium Sat. V 21, ubi Busiridem habemus cum Hercule colloquentem et Argivorum vinositatem et ignaviam irridentem. Busiridis fabulam, ut de tragicorum satyricis dramatis taceam [67]), largissimam comicis poetis materiem praebuisse docent exempla Epicharmi, Cratini, Antiphanis, Mnesimachi, quorum omnium commemorantur fabulae Busiridis nomine inscriptae. Ad harum unam respicere videtur Dio Chrysost. VIII p. 286 *τὸν δὲ Βούσιριν εὑρὼν* (Hercules) *πάνυ ἐπιμελῶς ἀθλοῦντα καὶ δι᾿ ὅλης ἡμέρας ἐσθίοντα — διέρρηξεν ἐπὶ γῆν καταβαλὼν ὥσπερ τοὺς θυλάκους τοὺς σφόδρα γέμοντας.* In *Γηρυόνῃ*, ut ex loco apud Athenaeum VIII p. 346 f intelligitur, nescio quem Macedoniae principem introduxerat miracula narrantem de pisce incredibilis magnitudinis (*ἀλίας*

[66]) De nomine *Ἔφιππος* vix operae pretium est afferre Scholiastam Iliad. *ε´* 76 *εὑρέθη τὸ Πάνορμος δασυνόμενον καὶ Ἔφιππος ὁ κωμικός.* V. Lehrsii Aristarch. p. 332.

[67]) Diomedes Inst. gramm. p. 487. in Satyrica fere Satyrorum personae inducuntur aut si quae sunt ridiculae similes Satyris, Autolycus, Burris. Scribe Busiris.

Κρήτης μείζω μεγέθει) quem nescio cuius regionis incolae Geryonae regi paraverint. Finita narratione portentis plena alter interlocutor ita pergit:

Ψυχρὸν τουτί
παῦου φυσῶν, Μακεδὼν ἄρχων·
σβέννυ, Κελτοὺς μὴ προσκαύσῃς.

Ex quo fabulam eo tempore scriptam esse colligas, quo Galatae Macedoniae fines infestabant. Eandem illam Macedonici ducis iactationem Ephippus *Πελταστῇ* fabulae inseruerat, quamquam quorsum ista omnia spectent, ne Athenaeus quidem se intelligere fatetur. Neque e reliquis fabulae fragmentis apud Athen. VIII p. 365 c. IX p. 370 c cll. II p. 65 c quidquam elicias. Fabulae nomen ad fastum regis significandum fictum videtur. Similiter Lamachus apud Aristophanem Acharn. 1082 vocatur *Γηρυόνης τετράπτιλος*. *Ἐμπολή* laudatur Athen. VIII p. 363 c. XIII p. 571 e, ubi B habet *Ἐμπόλῃ*, P *Ἐμπόλει*, et XIV p. 617 f. Titulum fabulae Casaubonus ad Suetonii Calig. 40 p. 413 de captura meretricia interpretatur, ut apud Artemid. I 78, *ἀγαθαὶ δὲ καὶ αἱ ἐπὶ ἐργαστηρίων καθεζόμεναι καὶ πιπράσκουσαί τι καὶ δεχόμεναι ἐμπολὰς καὶ ὁραθεῖσαι καὶ μιχθεῖσαι.* Cui quidem interpretationi satis conveniunt quae ex hac fabula servavit Athenaeus lib. VIII, in quibus de meretricibus agitur. Sed *ἐμπολή*, nisi quid additum sit, ex quo de meretricia mercede sermonem esse intelligatur, eo quo Casaubonus voluit sensu accipere non licet. Nec Artemidori locum recte interpretatus est Casaubonus; neque enim de meretricibus illic agitur, sed de mulieribus mercaturam facientibus et mercedem exigentibus. *Ἔφηβοι* laudantur Athen. X p. 423 d. XI p. 482 c. XIV p. 642 e cll. II p. 58 a I p. 29 d. *Κίρκη* ibid. X p. 430 e. *Κύδων* VII p. 322 d XIV p. 642 f. Nomen fabulae an ab illo Cydone cuius

hospitalitas notissimo proverbio (v. Gaisford. ad Zenob. I 42) celebratur, repetendum sit non decernam. *Ναυαγὸς* XI p. 509 c, ubi ridetur Platonis eiusque familiarium cura in corpore ornando posita. *Ὅμοιοι* et *Ὀβελιαφόροι* apud Athen. XI p. 482 d: *Ἔφιππος ἐν Ὁμοίοις ἢ ἐν Ὀβελιαφόροις*, ubi recte monuit Schweighaeuserus *Ὅμοιοι* et *Ὀβελιαφόροι* diversarum esse fabularnm titulos; nisi forte cum cod. Laur. *ἐν* post *ἢ* delendum est, ut titulus fabulae fuerit *Ὅμοιοι ἢ Ὀβελιαφόροι*, quam rationem commendavit Fritzschius Quaest. Aristoph. I p. 74. *Ὀβελιαφόροι* laudantur ab Athenaeo etiam VIII p. 359 a. Sequitur *Πελταστὴς* apud Athen. VII p. 289 b. VIII p. 347 b. IX p. 380 f. Eodem titulo inscripta fuit fabula Eriphi, quam affert Athenaeus IV p. 137 d, ubi Reinesius Ephippi nomen reponendum putabat. Denique *Σαπφὼ* commemoratur ab Athenaeo XIII p. 572 c et *Φιλύρα* ibid. VII p. 286 e. VIII p. 358 f et XIII p. 571 a. Quae fabulae nomen fecit Philyra meretrix fortasse eadem fuit, quam commemorat Lysias apud Athen. XIII p. 586 e. *Φιλύρα γέ τοι ἐπαύσατο πορνευομένη ἔτι νέα οὖσα.*

De incertarum fabularum fragmentis suo loco dicetur; nunc illud tantum moneo, ne quis Eustathio confisus Ephippum etiam elegiaca carmina condidisse existimet. Sic enim ille ad Iliad. λ 697 p. 879 38: *περὶ ὧν (Ἠλείων) ὅτι καὶ μέθυσοι καὶ ψεῦσται ἦσαν, δηλοῖ ὁ κωμικὸς Ἔφιππος εἰπών·*

Ἦλις καὶ μεθύει καὶ ψεύδεται· οἷος ἑκάστου
οἶκος, τοίη [δὴ] καὶ συνάπασα πόλις.

Atqui hoc non Ephippi esse, sed incerti auctoris epigramma docet Athenaeus X p. 442 d, qui allatis aliquot versibus ex Busiride Ephippi ita pergit: *Πολέμων δὲ ἐν τῷ περὶ τῶν κατὰ πόλεις ἐπιγραμμάτων περὶ Ἠλείων λέγων παρατίθε-*

ται τόδε τὸ ἐπίγραμμα Ἦλις καὶ μεθύει κτλ. ex quo erroris origo satis perspicitur.

Ephippo suppar aetate fuit EPIGENES, quamquam hunc antiquissimis accenset Eudocia p. 166: Ἐπιγένης κωμικός. φέρεται αὐτοῦ δράματα Ἡρωίνη καὶ Μνημάτιον καὶ Βακχεῖα. ἔστι δὲ τῶν ἀρχαιοτάτων. Enimvero confundit Eudocia, quod etiam Fabricio accidit, Epigenem comicum cum Epigene tragico poeta antiquissimo, de quo dixerunt Hermannus ad Aristot. Art. Poet. p. 104 et Jacobus Quaest. Soph. I p. 42. Recte igitur postrema illa verba ἔστι δὲ τῶν ἀρχαιοτάτων omisit Suidas. Contra novae comoediae poetam Epigenem dicit Pollux VII 29 τῶν δὲ νέων τις κωμικῶν Ἐπιγένης. Sed huic quominus fidem habeamus, duo sunt quae prohibent argumenta. Quorum alterum hoc est, quod de fabula Ἀργυρίου ἀφανισμὸς dubitatum est inter veteres utrum Antiphani an Epigeni tribuenda esset, Athen. IX p. 409 d, quod fieri non potuisset nisi eiusdem uterque aetatis fuisset. Tum vero ipse Epigenes apud Athen. XI p. 472 f Pixodarum, Cariae principem, his verbis commemorat in Μνηματίῳ·

Βασιλέως υἱὸν * *
λέγεις ἀφῖχθαι δηλαδὴ Πιξώδαρον.

Pixodarus, natu minimus filiorum Hecatomni, postquam Adam sororem, quae Hidrieo fratri eidemque coniugi Olymp. CIX 1 in imperio successit (Diod. Sic. XVI 69), regno expulerat, ipse imperio potitus est Olymp. CIX 4 teste Diod. Sic. XVI 74, qui quum Pixodarum quinque annos regnasse dicat, manifestum est huius obitum incidisse in Olymp. CXI 1. Ex his illud apertum est, Epigenem eam fabulam, in qua Pixodarus sic commemoraretur, post primum annum Olymp. CXI docere non potuisse. Immo ulterius etiam progredi licet. Nam quum Pixodarum verbis βασιλέως υἱὸν significet, facile

vides, haec non ita dici potuisse, nisi superstite adhuc Hecatomno, ex quo fabulam illam ante Olymp. C 4, quo anno mortuus est Hecatomnus, doctam fuisse intelligitur. Hinc Epigenem mediae poetis comoediae accensere non dubitavi: ac fortasse etiam Pollux scripsit *τῶν μέσων τις κωμικῶν*.[68]) Ad fabulas Epigenis quod attinet, praeter *Ἀργυρίου ἀφανισμὸν* et *Μνημάτιον*, quam iterum Athenaeus XI p. 480 a et 486 b commemorat, laudantur eius *Ποντικὸς* Polluci VII 29, *Ἡρωίνη* Athen. XI p. 469 c. 502 e. 474 a et *Βάκχαι* vel *Βακχεία*. Prius habet Athenaeus IX p. 384 a, alterum XI p. 498 e, ubi ante Schweighaeuserum *Βακχίᾳ*, et III p. 75 b, ubi ante Bentleium *Βραγχίᾳ* legebatur. *Βακχεῖα* dicitur apud Suidam et Eudociam. Vera scriptura videtur *Βακχεία*, quod mulieris nomen fuit ut *Βακχεῖος* viri.

EUBULUS. De hoc ita Suidas scribit: *Εὔβουλος, Κήττιος, Ἀθηναῖος, υἱὸς Εὐφράνορος. Ἐδίδαξε δράματα ρδ´. ἦν δὲ κατὰ ρά Ὀλυμπιάδα, μεθόριος τῆς μέσης κωμῳδίας καὶ τῆς παλαιᾶς.* In his frustra Menagius ad Diogen. Laert. II 60 assentiente Kustero *Σφήττιος* scribendum coniecit pro *Κήττιος*. Photius: *Κηττός, δῆμος τῆς Λεοντίδος*. Cfr. Boeckhii Corp. Inscr. I p. 152 et Toup. Emend. III p. 71. Aetatem viri ita Suidas indicat, ut circiter Olymp. CI eum floruisse dicat, quod si verum est, vix recte in ipsis veteris mediaeque comoediae confiniis vixisse dici poterit. Mediae eum comoediae diserte assignant Etymol. M. p. 451 30 et Ammonius s. v. *ἔνδον*, et antiquis quodammodo opponit Athenaeus VII p. 300 b. Fragmenta contemplanti temporumque quas continent notas accuratius rimanti longe ultra eam quam Suidas posuit Olympiadem vitam extendisse

[68]) Sed vide nunc Clintoni Fast. Hell. p. LII Kr.

videbitur. Ita Cydiam classis ducem commemorat apud Athen. XIII p. 569 a, de quo cfr. Ruhnk. Hist. crit. Orat. p. LXXIV. His adde Carabi sive Callimedontis et Philocratis commemorationem apud Athen. I p. 8 b et VIII p. 390 d, quos utrosque Demosthenis aequales fuisse constat. Ab Hyperide commemoratum esse Eubulum docet Photius Lex. p. 27 20 *Εὔβουλος: δημαγωγὸς ἦν ἐπιφανέστατος· ἕτερος δέ ἐστιν ὁ κωμικός, οὗ μνημονεύει Ὑπερίδης.* Quamquam videndum est ne verba *οὗ μνημονεύει Ὑπερίδης* aut transponenda aut certe de Eubulo demagogo intelligenda sint. Hyperidis enim notissima est oratio *περὶ τῶν Εὐβούλου δωρεῶν.* V. Harpocrat. p. 86 4 aliisque locis.

Fabularum quae argumenta tractaverit, superstites dramatum tituli satis indicant, quorum ea fere est ratio, ut poesis viri maxime in mythicarum fabularum tragicorumque poetarum irrisione versata esse videatur. Ac prae ceteris Euripidem sibi ridendum proposuisse videtur, cuius versus subinde vel parodia lusit vel integros et nihil immutatos risus captandi causa orationi suae intexuit. Ita in Amalthea fabula apud Athen. II p. 63 d:

Θερμότερον ἢ κραυρότερον ἢ μέσως ἔχον,
τοῦτ᾽ ἔσθ᾽ ἑκάστῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν,

secundum versum ex Euripidis Androm. 369, et in Nannio apud Athen. XIII p. 569 a:

Ἑλλάδος ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω,
ἣ Κυδίαν ναύαρχον ἐξεπέμψατο,

primum versum ex Iphig. Aul. 370 derivavit. Porro in Orthane apud Athen. III p. 108 b, de phaleride dicit: *πηδᾷ, χορεύει, πῶλος ὣς ἄπο ζυγοῦ,* quibus iisdem propemodum verbis in re seria usus est Euripides Orest. 45. Eiusdem poetae sigmatismum vellicat in fragmento incertae fabulae apud Scholiastam Eurip. Med. 473. Ex eodem parodiae studio deri-

vaverim, quae passim deprehenditur in fragmentis, orationis supra soccum surgentis sublimitatem numerorumque in rebus levissimis gravitatem, velut in Auge apud Athenaeum XIV p. 622 e, in Orthane ibid. III p. 108 b, in Titanibus ibid. VI p. 229 a, in Nannio ibid. XIII p. 569 a, in incertae fabulae fragmento ibidem II p. 47 b aliisque locis plurimis, in quibus ne solum Euripidem parodia lusum fuisse credamus, prohibet locus incertae fabulae apud Athen. II p. 43 c, ubi Chaeremonem tragicum carpit, qui aquam *ποταμοῦ σῶμα* dixerit. Parcius hominum in republica clarorum irrisioni indulsisse videtur. Philocratem, Cydiam, Callimedontem, Dionysium, Siciliae tyrannum, iam supra commemoravimus. Callistratum autem acerbissime vellicat in Sphingocarione apud Athenaeum X p. 449 f et in Antiope apud Eustathium p. 1915 18. Sed Myrtilum ne quis eodem trahat, monendum est in verbis apud Athenaeum III p. 108 d:

ὡς εὖ νεναυάγηκεν ἐπὶ τοῦ τηγάνου
ὁ θεοῖσιν ἐχθρὸς Μυρτίλος,

postrema in Myrtilum Deipnosophistam dici et ab oratione Eubuli separanda esse. Dictione usus est Eubulus, quantum e fragmentis intelligi potest, tersissima et ad omnem elegantiae laudem composita. Labentis graecitatis rarissima reperio indicia eaque fere ipsi cum reliquis huius aetatis poetis communia. Ex hoc genere est *στρουθάριον* Athen. II p. 65 e, *ἐγκεραννύω* et *καταγνύει* ibid. IX p. 450 a et II p. 36 b, *δεδιυῖα* apud Antiattic. p. 90. Porro *κόλλοψ* de *ἀνδρογύνῳ* apud Antiattic. p. 102 et Eustathium p. 1915 20, *στηθύνιον* apud Athenaeum I p. 65 e, *πυαλίτης* apud Pollucem VII 205, *πολλοσταῖος* apud Cramerum Anecd. I p. 369 2, *ἕδω* apud Ptolemaeum Photii Bibl. p. 150, quamquam id quidem in hexametro dactylico, *ἀπορησία* apud Bekk. Anecd. Gr. p. 433 cll. Lobeckio ad Phryn. p. 514,

φᾶναι apud Athen. I p. 8 c cll. Buttm. Gr. ampl. I p. 564, *μήχι* apud Antiattic. p. 108, nisi id ridendi causa finxit: *ὦ λάγνα* apud Bekk. Anecd. p. 1189, *περὶ πρώτους ὕπνους* apud Antiattic. p. 111, *ἐδαινύμην* apud Athen. II p. 63 e. Denique *ἄτρωτος* prima longa loco indubio apud Athen. IX p. 449 f, quo fortasse tuearis *καταβρύουσαν* in loco apud Athen. XI p. 471 d. Nam *μύστακα* penultima brevi, quod eodem trahit Antiattic. p. 108, non video quo pacto aliter dici potuerit. Idem in componendis vel fingendis vocabulis felicissime audax opes patriae linguae ingenti vocabulorum copia ditavit. Pauca de multis ut afferam, *χρυσότευκτος* dixit apud Harpocr. p. 186 4, *ἀερίοικος* apud Athen. III 113 f, *ἀπειρόγαμος* ibid. VII p. 300 b, *λιμνοσώματος* de anguilla ibid. c (nisi legendum *λειοσώματοι*), *φιλοτραγήμων* ibid. XIV p. 642 c, *τριβαλλοπανόθρεπτα μειρακύλλια* III p. 108 a, *νεκταροσταγής* I p. 28 f, *μᾶζα χαριτοβλέφαρος* XV p. 686, *λεπτόπηνος* XIII p. 569 a. Poculum dixit *κύλικα κωθωνόχειλον, ψηφοπεριβομβήτριαν, μέλαιναν, εὐκύκλωτον, ὀξυπύνδακα* ibid. XI p. 471 d. Nec minus diligentiae in trimetrorum numeris ad summam artem elaborandis posuit: nam alio versuum genere usus est parcissime. Vide tamen Athen. XV p. 679 b et p. 685 e, ubi paeonicos et dactylicos habemus numeros. Sed haec iam supra attigi.

Ceterum quod multis comoediae maximeque mediae auctoribus accidisse scimus, ut alii, neque ii ignobiles poetae parum liberaliter eorum opibus uterentur et integros adeo versus in suas fabulas reciperent, id etiam Eubulo accidisse docet Athenaeus I p. 26 a, ubi Alexis, et II p. 43 f, ubi Ophelio Eubuli versibus usus fuisse dicitur. Eundem manifesta imitatione expressit Ephippus, ut apparebit comparanti Eubuli locum e *Τιτθαῖς* allatum apud Athen. VII p. 311 d, cum Ephippi versibus ex Obeliaphoris ibid. VIII p. 358 f. Qui-

bus adde Athen. II p. 65 c, ubi qui Eubulo tribuuntur versus ex Ephippi Geryone afferuntur lib. IX p. 370 d.

Fabulas Eubulum Suidas centum et quattuor docuisse testatur: ἐδίδαξε δράματα ρδʹ. Ita enim recte Kusterus e codd. scripsit pro κδʹ, quod re ipsa satis refellitur, si quidem titulorum ad nostram memoriam propagatorum numerus quinquagenarium excedit. Hos igitur deinceps enumerabimus.

Ἀγκυλίων. Laudatur Athenaeo IX p. 369 d. XIV p. 646 b. XV p. 668 d, ubi qui asservati sunt versus natalicia pueri in fabula celebratum fuisse docent. Eiusdem tituli comoedia tribuitur Alexidi. Scholiastam Aristophan. Vesp. 1217 (1173) si sequi licet, suspiceris Ancylionem istum Phidippidae Aristophanei similem fuisse eoque impietatis progressum esse, ut matri verbera intenderet. Sic enim ille scribit: ὁ Καρδοπίων (ab Aristophane commemoratus) ζητητέος. οὐδαμοῦ κωμῳδεῖται. ἀλλ' Ἀγκυλίων ἐπὶ τῷ τὴν μητέρα κακῶς διατιθέναι. Quibus verbis sane ad nostrum Ancylionem respicere videtur.

Sequitur *Ἀγχίσης* bis memorata a Polluce lib. VI 10 et IX 76. In *Ἀμαλθείᾳ* Herculis esurientis partes fuisse docet unicum quod ex ea fabula servatum est fragmentum apud Athen. II p. 63 d. *Ἀνασωζόμενοι* laudantur Athen. VIII p. 340 d. In *Ἀντιόπῃ*, qua cognominem Euripidis fabulam lusisse videtur, ridet πολυφαγίαν Thebanorum, ut apparet ex Athenaeo X p. 417 b. Eandem ad partes vocat Antiattic. p. 102 33. 111 21 et Aristophanes Byzantius apud Eustathium ad Hom. p. 1915 21, ubi Εὔβουλος pro Εὔπολις scribendum esse iam alio loco monui. Neque ex alia fabula ductum est fragmentum apud Athen. I p. 47 b, ubi de Zetho et Amphione, Antiopae filiis, agitur. In *Ἀστύτοις* quod argumentum tractaverit, praeter titulum fabulae indicat locus ab Athenaeo servatus II p. 69 c:

Μὴ παρατίθει μοι θριδακίνας, ὦ γύναι,
ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ.

Sequuntur *Αὔγη*, quo titulo etiam Philyllius fabulam docuit, et *Βελλεροφόντης*, utraque ab Athenaeo laudata, illa XIV p. 622 e, haec XV p. 666 f, ubi Bellerophontem habemus Pegaso insidentem et clamantem:

Τίς ἂν λάβοιτο τοῦ σκέλους κάτωθέ μοι;
ἄνω γὰρ ὥσπερ κοττάβειον αἴρομαι.

Utramque fabulam ad Euripidis irrisionem compositam fuisse suspicor. *Γανυμήδην*, quo nomine etiam Antiphanis et Alcaei fabulae ferebantur, habemus apud Athen. III p. 110 a et VI p. 248 c, ubi quae recitantur ex hac fabula, *Ὕπνος γὰρ αὐτὸν ὄντα κακόσιτον τρέφει*, de ipso Ganymede intelligenda sunt. Somnum Ganymedis amatorem finxit etiam Licymnius apud Athenaeum XIII p. 564 c. *Γλαῦκος* laudatur Harpocr. p. 186 4, Polluci VI 67 et Athen. I p. 28 d, ubi iidem versus quos Pollux servavit Epitomatoris errore Antiphani tribuuntur. Nisi forte Eubuli Glaucus ab aliis Antiphani assignatus est. Quae coniectura si aliunde adstrui posset, non dubitari posset quin apud Pollucem III 43: *Ἀριστοφάνης Γλαύκῳ· Καλύψας καλύμματος τριβωνίῳ διεπαρθένευσα*, Antiphanis nomen substituendum esset. Cfr. Dindorfium Fragm. Aristoph. p. 8. Glaucum docuit etiam Anaxilaus. *Δαίδαλος* praeter Athen. VI p. 247 a et Antiattic. p. 108 laudatur a Themistio ad Aristot. de Anima I 3, ubi Philippo tribuitur, qua de re supra dictum est. *Δαμαλίαν* corrupto fabulae titulo affert Suidas s. v. *ἀσκωλιάζειν*, pro quo parum probabiliter Hemsterhusius ad Schol. Aristoph. Plut. 1130, ubi idem locus, sed sine fabulae titulo laudatur, corrigit *Εὔβουλος ἐν Δαιδάλῳ* vel *Ἀμαλθείᾳ*. Fortasse *Δαμασίας* fabulae titulus fuit, quod satis frequens Atticis nomen fuisse constat. *Δευκαλίων*, quo titulo etiam

Antiphanes et Ophelio fabulas docuerunt, est apud Athen. III p. 100 c. 107 f.

Sequitur *Διονύσιος*, cuius titulum et argumentum a Dionysio, Siciliae tyranno, ductum esse diserte tradit Athen. VI p. 260 c: *τὰ παραπλήσια ἐποίει καὶ ὁ Σικελιώτης Διονύσιος, ὡς Εὔβουλος ὁ κωμῳδιοποιὸς παρίστησιν ἐν τῷ τοῦ τυράννου ὁμωνύμῳ δράματι.* Ibidem de homine ipso hos Eubuli versus apposuit:

ἀλλ' ἔστι τοῖς σεμνοῖς μὲν αὐθαδέστερος,
καὶ τοῖς κόλαξι πᾶσι τοῖς σκώπτουσί τε
ἑαυτὸν εὐόργητος· ἡγεῖται δὲ δὴ
τούτους μόνους ἐλευθέρους κἂν δοῦλος ᾖ.

Non recte igitur Alberti apud Photium: *Κωφότερος κίχλης παρ' Εὐβούλῳ ἐν Διονυσίῳ*, corrigit *Διονύσῳ*, ut legitur sane apud Zenob. IV 66. Sed recte *Διονυσίῳ*, ut legitur etiam apud Suidam s. v. *κωφότερος*. Idem error est Matthiaei ad Schol. Eurip. Med. 473, ubi verissime vulgo editur *Εὔβουλος Διονυσίῳ*. Ad eandem fabulam referendus est haud dubie versus a Ptolemaeo Heph. servatus apud Photium Bibl. 190 p. 150 *ὅτι τό*

Χάι Προκλέους ἵπποι χλωρὰν ψαλάκανθαν ἔδουσιν,

ἀγνοηθὲν Καλλιμάχῳ, Εὐβούλου ἐστὶ τοῦ κωμικοῦ εἰς Διονύσιον κωμῳδία. Ita enim recte Bekkerus e codd. dedit pro *Διόνυσον*, quod licet hoc loco satis aptum videri possit (nam etiam Dionysi nomine fabulam inscripsit Eubulus, et Psalacantham Bacchi fabulis implicitam fuisse ex ipso illo Ptolemaei loco intelligitur), tamen versum istum ex ea fabula quam in Siciliae tyrannum scripsit Eubulus depromptum esse, Proclis commemoratio docet, quippe quem Naxiorum ducem fuisse patriamque urbem Olymp. XCIV 2 Dionysio prodidisse e Diodoro Sic. XIV 15 compertum habemus. Denique de eadem Eubuli

fabula memorabilis est adnotatio Scholiastae ad Aristophanis Thesmoph. 136:

τίς ἡ τάραξις τοῦ βίου; τί βάρβιτος
λαλεῖ κροκωτῷ; τί δὲ λύρα κεκρυφάλῳ;
τί λήκυθος καὶ στρόφιον;

Ad haec igitur Scholiastes ita scripsit: *ἐντεῦθεν τὴν ἀρχὴν Εὔβουλος ἐποιήσατο τοῦ Διονυσίου, τὰ ἀνόμοια τῶν ἐν τῇ Διονυσίου οἰκίᾳ καταλέγων· ἐπὶ πλέον μέντοι.* Itaque Eubulus, quum summam omnium rerum in Dionysii aedibus perturbationem esse docere vellet, id ipsum ita instituisse videtur, ut diversissimi generis supellectilem temere et sine ordine compositam esse diceret. Atque ea in re Aristophanis de Agathone locum expresserat, sed rem in maius auxerat. In illa Dionysii suppellectile, postea a Dionysio Heracleota emta (Memnon apud Photium Bibl. 224 p. 709), Eubulum etiam Aeschyli pugillares commemorasse suspicari licet. Hos enim ille, quum tragoedias suas identidem ludibrio haberi intellexisset, magno cum studio sibi comparaverat, sperans scilicet ita fore ut divinus repente poeta evaderet. Lucianus adv. indoct. 15 vol. III p. 112: *πυθόμενος ὡς ἐγγελᾶται, τὸ Αἰσχύλου πυξίον, εἰς ὃ ἐκεῖνος ἔγραφεν, σὺν πολλῇ σπουδῇ κτησάμενος αὐτό, ᾤετο ἔνθεος ἔσεσθαι καὶ κάτοχος ἐκ τοῦ πυξίου.* Quae fortasse ex hac ipsa Eubuli fabula derivata sunt. Sed Dionysii tragoedias etiam aliis poetis comicis ridendi materiem praebuisse docet locus Ephippi ex Obeliaphoris apud Athenaeum XI p. 482 d:

Διονυσίου δὲ δράματ᾽ ἐκμαθεῖν δέοι,
καὶ Δημοφῶντος ἄττ᾽ ἐποίησεν εἰς Κότυν,
ῥήσεις τε κατὰ δεῖπνον Θεόδωρός μοι λέγοι.

Suspicor autem Eubulum eam potissimum ob causam calamum in Dionysium strinxisse, quod inepti poetae tragoedias a multis Atheniensium in magno honore haberi animadverterat. V.

Tzetzes Chil. V 178 sqq. Ceterum verbo moneo, Fabricium ex Athenaei loco miro errore fabulam *Τυράννου* nomine inscriptam exsculpsisse.

Διονύσου plenus titulus fuit *Σεμέλη ἢ Διόνυσος*, ut ex Athen. XI p. 460 e cognoscitur. Eandem respicit Clemens Alex. VII p. 304 Sylb. ubi Eubulum dicit in Semele Dionysum induxisse de sacrorum sibi oblatorum vilitate conquerentem. Ex eadem fabula, nisi forte in pluribus fabulis ipsum deum in scenam productum esse statuere malis, ductus esse videtur locus apud Athen. II p. 36 b.

Sequitur *Δόλων*, cuius fabulae titulum probabiliter Alberti restituit apud Photium s. v. *πρὸς φθεῖρα κείρασθαι*, ubi vulgo editur *Εὔβουλος Δούλῳ*. Praeterea laudatur ab Athen. III p. 100 a. XI p. 471 d, Thoma Mag. s. v. *Θηρίκλειος*, Moeride Attic. p. 188, Etymol. M. p. 451 29. *Εἰρήνης* notitiam unus servavit Antiattic. p. 86. *Εὐρώπης* Athen. X p. 417 c. *Ἠχοῦς* id. VII p. 300 b. *Ἰξίονος* id. VIII p. 347 d, ubi cum vulgo legeretur *ἐν Ἰξίωνι Εὔβουλος*, Dindorfius *Ἰξίονι* correxit. Fortasse tamen legendum *Ἴωνι*, quae laudatur Athen. IV p. 169 f cll. Polluc. X 106, Athen. VII p. 300 c. X p. 417 c. *Καλαθηφόρους* commemorat Ammonius p. 50 et Etymol. Gudian. p. 186. *Καμπυλίων*, quae ab aliis Araroti tribuebatur, sub Eubuli nomine laudatur Athen. VII p. 295 e. XIII p. 571 f. XIV p. 642 c, Suid. s. v. *ἀνεακκάς*, *Μανέρως* et *Περιμάνως*. De titulo non satis liquet. Comparare tamen licebit quae de Ancylione dicta sunt. Nec certiora tenemus de *Κατακολλωμένῳ*, quam praeter Antiattic. p. 89 et 114, ubi male legitur *Κατακολλωμένοις*, laudat Athen. IX p. 396 a (cfr. Polluc. X 107, ubi vitiose legitur *Κατακολλῶντι*) X p. 442 e. XI p. 500 e, ubi ante Schweighaeuserum erat *Μετακολλωμένῳ*, et XIV p. 653 e. *Κερκώπων* quod argu-

mentum fuerit ex indice fabulae suspicari licet. Cfr. supra p. 94. Quos inde versus servavit Athenaeus X p. 417 d et XIII p. 567 c, ab Hercule recitati fuisse videntur. *Κλεψύδρᾳ* titulum a meretrice indidit, cui id nomen impositum fuit *ἐπειδὴ πρὸς κλεψύδραν συνουσίαζεν ἕως κενωθείη*, ut docet Athen. XIII p. 567 d, proprium mulierculae nomen *Μητίχη* fuisse attestans.

Κορυδαλοῦ nomine inscriptam fabulam commemorat Phrynich. Ecl. p. 338. *Κορυδαλός: Εὐβούλου τοῦ κωμῳδοποιοῦ δρᾶμα ἐπιγράφεται οὕτως. σὺ δὲ τοῖς περὶ Ἀριστοφάνην πειθόμενος κόρυδον λέγε τὸ ζῷον.* Eadem praecipit Thomas Mag. p. 213 16 *τὸ δὲ κορυδαλὸς κοινόν, εἰ καὶ Εὔβουλος χρῆται.* Ex his intelligitur non Corydalum vel Corydallum, Hippothoontidis phylae populum, sed aviculam fabulae nomen impertivisse. Fragmentum comoediae superest unum apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 1189 *λάγνης ὦ λάγνα παρ' Εὐβούλῳ ἐν Κορυβάλλῳ* (leg. *Κορυδαλῷ*). *ἔχει δὲ οὕτως· Ἴθι δεῦρο ἀφελοῦ λάγνου ταχυπάκιλα.* Scribendum videtur: *Ἴθι δεῦρ' ἀφελοῦ τ' ὦ λάγνα ταχὺ τὰ ποικίλα.*

In *Κυβευταῖς* aleatorum insaniam perstrinxisse videtur, quod argumentum in cognomine fabula tractaverant Antiphanes et Amphis et in Aleonibus a Nonio laudatis L. Pomponius. Aleae lusus quam ignominiosus habitus sit a Graecis docet Aeschines c. Timarchum cum aliis locis tum p. 67 et 90 Rsk. Cfr. Athenaeus X p. 444 d *ὁ Κομηὼν εἰς κυβευτὴν σκώπτων τὸν Ῥοδοφῶντα ἔλεγεν. Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι κυβευταί.* Et Philetaerus ut Hyperidem perditum et profligatum hominem esse ostenderet, *πρὸς τῷ ὀψοφαγεῖν καὶ κυβεύειν αὐτὸν ἔλεγεν*, ut est apud Athen. VIII p. 342 b. Idem vitium in Amynia et Cleone graviter notat Aristophanes Vesp. 74:

'Αμυνίας μὲν ὁ Προνάπους φήσ' οὑτοσὶ
εἶναι φιλόκυβον [69]) αὐτόν. ἀλλ' οὐδὲν λέγει.
Μὰ Δί' ἀλλ' ἀφ' αὑτοῦ τὴν νόσον τεκμαίρεται.

Varia κυβευτικῶν βόλων nomina longo recensu ex Eubuli fabula enumerat Pollux VII 205. Cfr. Hesych. s. v. Μάνης et Proverb. Vat. II 69.

Λάκωνες ἢ Λήδα hoc pleno titulo laudatur Athen. VII p. 330 c. IX p. 380 f. Hinc optime Schweighaeus. III p. 108 a pro cod. lectione ἐν Λάκωσιν ἤδη δ' οὐκ ἔχειν χολὴν restituit ἐν Λάκωσιν ἢ Λήδᾳ οὐκ etc. Simplici Λήδας nomine citatur XI p. 460 e. Apud Erotianum p. 247 pro Εὔπολις ἐν Λάκωσι legendum videri Εὔβουλος supra monui p. 115. Μήδεια VII p. 300 c. Μυλωθρίς XI p. 494 e, ubi ante Schweigh. Μυλωθρίδῃ legebatur pro Μυλωθρίδι. Μυσοί, cuius argumentum Cercopibus simillimum fuisse videtur, X p. 417 d. Νάννιον ab aliis Philippo tributa XIII p. 568 f. Ναυσικάα VII p. 307 f. Νεοττίς, quod et ipsum meretricis nomen, XI p. 467 b. Ξοῦθος apud Schol. Eurip. Med. 610, ubi legendum videtur,

ἅπαντα διαπεπρισμένα
ἡμίσε' ἀκριβῶς ὡσπερεὶ τὰ σύμβολα.

'Οδυσσεύς ἢ Πανόπται laudantur Athenaeo XI p. 478 c. Titulus fabulae subindicare videtur versutos homines atque omnia curiose speculantes in ea fuisse descriptos. Panoptas etiam Cratineae fabulae fuisse titulum supra vidimus. Οἰδίπους laudatur Athenaeo VI p. 239 a. Οἰνόμαος ἢ Πέλοψ Athen. XV p. 678 f. 'Ολβία XIV p. 640 b. 'Ορθάνης III p. 105 f. 108 a. d. 112 f. VI p. 228 f. X p. 424 b. Πάμφιλος X p. 474 e, Polluc. IX

---

[69]) Arcad. de acc. p. 46 13 τὸ δὲ φιλόκοιβος σύνθετον. Scribe φιλόκυβος.

91. *Παννυχὶς* Athen. XIII p. 568 e, ubi iidem versus leguntur quos in Nannio posuit. *Παρμενίσκος* Pollux X 98, Antiattic. p. 101. *Πλαγγὼν* Harpocrat. s. v. *μετοίκιον* p. 243, ubi male legitur *ἐν τῇ Πλαγγῶνι* pro *Πλαγγόνι* [70]), ut apparet ex Anaxila apud Athenaeum XIII p. 558 b *ἔστι δὲ σκοπεῖν ἀπ᾽ ἀρχῆς πρῶτα μὲν τὴν Πλαγγόνα.* Eadem meretrix commemoratur a Timocle Athenaei XIII p. 567 e. Nec diversa fuisse videtur ab ea cuius aliquoties meminit Demosthenes in orationibus c. Boeotum. At Plangonium unguentum a Polluce et Hesychio commemoratum non a meretrice, sed a muliere quadam Eleensi nomen duxisse auctor est Helladius apud Photium Bibl. p. 532 Bekk. *Πλαγγόνιον ὅπερ εὗρε γυνὴ Ἠλεία καλουμένη Πλάγγων* (scribe *Πλαγγών*). Sequitur *Πορνοβοσκός*, quae laudatur Athen. III p. 108 et IX p. 371 e. *Προκρίδι* nota de Cephalo et Procride fabula, fortasse etiam Philetaero in Cephalo tractata, argumentum praebuit. Commemoratur Athen. X p. 422 e et XII p. 553 b, ubi perelegans locus est de cane Procridis venatico. *Προσουσίαν ἢ Κύκνον* habemus apud Athen. VII p. 301 a. *Στεφανοπώλιδας* praeter Pollucem X 120, ubi pro *Εὔβουλος* legebatur *Εὔφημος*, et Scholiastam Iliad. π' 234, laudat Athenaeus XIII p. 557 f. XV p. 679 b. 690 e, quibus locis adde IX p. 384 c, ubi recte Casaubonus pro Eupolide Eubuli nomen restituit. In *Σφιγγοκαρίωνι* laudata Athenaeo III p. 80 b. X p. 449 e. 450 c et XII p. 553 a Carionem servum introduxisse videtur omnia quae loqueretur aenigmatum involucris obscurantem. Vid. Schweigh. vol. V p. 538. *Τιτθὰς* habemus Athen. III p. 106 a, ubi libri habent *Τηθαῖς*, ibid.

---

70) Id nunc e codd. reposuit Bekkerus. Cfr. Lobeck ad Aiac. p. 167.

VII p. 311 d. XV p. 685 e, Antiattic. p. 108, ubi minus recte legitur *Εὔβουλος Τιτϑῇ.* Ac fortasse etiam apud Athenaeum VI p. 229 a legendum est *ἐν Τιτϑαῖς* pro *Τιτᾶσι*, quamquam Titanes etiam Cratineae fabulae titulus est; *Φοίνικος* unum fragmentum superest apud Athenaeum IX p. 397 a, ut *Χαρίτων* ibid. XII p. 519 a et *Χρυσίλλης*, quod meretricis nomen fuit, sed diversae ab ea quam Teleclides apud Athenaeum X p. 436 f commemorat. Laudatur ab Athenaeo XIII p. 559 b. Denique *Ψάλτριαν*, quo nomine etiam Dromo fabulam docuit, habemus apud Athenaeum XI p. 460 e. Quas praeterea Eubulo fabulas tribuit Fabricius Bibl. Gr. II p. 243, *Κάλλαισχρος*, *Ἰάλεμος* et *Διογένους πρᾶσις*, ex iis duas priores Ophelionis esse aperte docet Athenaeus III p. 106 a. De *Διογένους πράσει* infra dicetur, ubi de Eubulide agemus.

ANAXANDRIDES, Anaxandri filius, patria Camirensis, testibus Chamaeleonte apud Athen. IX p. 374 b et Suida v. *Καμειραία* et *Ἀναξανδρίδης* [71]), ubi ab aliis Colophonem eius patriam perhiberi traditur. De eo aliquando accuratius se acturum esse promiserat Hemsterhusius ad Polluc. X 172. Fabulas docuit inde ab Olymp. CI, ut coniicias ex Marm. Arund. ep. 34, ubi ad Calliae nomen, qui archon fuit Olymp. CI anno primo, Anaxandridae nomen adscriptum est. Postea Olymp. CVIII 2 interfuit Olympiorum festivitati a Philippo Macedoniae rege Dii celebratae. Suidas: *γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος Ὀλυμπιάδι ἑκατοστῇ πρώτῃ.* Lege *ἑκατοστῇ ὀγδόῃ* et v. Diodorum Sic. XVI 55. Nisi forte mutilus est Lexicographi locus, ut Olymp. CI

---

71) *Ῥόδιος ἐκ Καμείρου.* Rectius scribitur *Καμίρου* e canone apud Etym. M. p. 488 9. Cfr. Eustath. ad Hom. p. 315 23.

commemoratio ad primae fabulae actionem spectaverit. [72]) Sed de hoc utcunque statuas, illud certum videtur, Anaxandridem fabulas docuisse inde ab Olymp. CI usque ad Olymp. CVIII vel CIX, idque, ut alia mittam, confirmat etiam Platonis (Diogen. Laert. III 26), Iphicratis et Cotyos (Athen. IV p. 131 a), Melanopi et Callistrati (ibid. XII p. 553 d), Polyeucti (ibid. IV p. 166 d) aliorumque hominum illa aetate celebrium irrisio. De obitu viri quod narrat Barnesius ad Euripidis Phoen. 396, versum ab Aristotele Eth. Nicom. VII 10 servatum, *ἡ πόλις ἐβούλεθ᾽, ᾗ νόμων οὐδὲν μέλει*, quem attulit etiam Cyrillus de Trinit. II p. 96, hunc igitur versum fatalem fuisse Anaxandridae, id neque Eustratius, ad quem provocat Barnesius, neque alius quisquam tradidit. Ceterum perelegans est de poeta nostro Chamaeleontis Heracleotae locus e libro VI *περὶ κωμῳδίας* servatus ab Athen. IX p. 374 b, ubi narrat Anaxandridem proceri corporis virum fuisse vestemque gestasse purpuream aureisque fimbriis condecoratam: eundem vero acerbioris fuisse ingenii, neque, si forte in fabularum commissionibus victus esset, improbatas populo fabulas novis curis emendasse iterumque in scenam produxisse, sed in forum, ubi thus et odores veneant, discerpendas misisse. Ita factum esse, ut multas fabulas scite adornatas deleverit, *δυσκολαίνων τοῖς θεαταῖς διὰ τὸ γῆρας*. Haec Chamaeleon, quorum partem repetiit Eustathius ad Odyss. p. 1834 15. Neque tamen in omnes eum quas docuit fabulas ita grassatum esse, vel hoc documento est, quod de quinque et sexaginta fabulis (tot enim eum docuisse Suidas auctor est) sex et triginta tituli a gramma-

---

[72]) V. Clintoni Fast. p. 139, qui Suidae verba ita corrigebat: *γεγονὼς Ὀλυμπιάδι ἑκατοστῇ πρώτῃ καὶ ἐν τοῖς ἀγῶσι* etc. Alia proposuit Bernhardius ad Suid. l. l.

ticis laudantur. Victorias reportavit, ut ex eodem Suida discimus, numero decem, histrione usus, ut Aristoteles Rhet. III 12 docet, Philemone: *ἀνάγκη δὲ μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ λέγοντας· ὅπερ ὡς προοδοποιεῖ τῷ ὑποκρίνεσθαι· «οὗτός «ἐστιν ὁ κλέψας ὑμῶν, οὗτός ἐστιν ὁ ἐξαπατήσας, οὗτος ὁ «τὸ ἔσχατον προδοῦναι ἐπιχειρήσας.» οἷον καὶ Φιλήμων ὁ ὑποκριτὴς ἐποίει ἔν τε τῇ Ἀναξανδρίδου Γεροντομανίᾳ, ὅτε λέγει «Ῥαδάμανθυς καὶ Παλαμήδης», καὶ ἐν τῷ προλόγῳ τῶν Εὐσεβῶν τὸ «ἐγώ».* Philemonem histrionem commemorat Aeschines c. Timarch. p. 132 Rsk. *εἰληφὼς ἠλέγχθη παρὰ Λευκωνίδου, τοῦ Φιλωτάδου κηδεστοῦ, διὰ Φιλήμονος τοῦ ὑποκριτοῦ, εἴκοσι μνᾶς.* Quae non dubito quin de eodem illo Philemone intelligenda sint.

In fabularum ratione nonnihil novasse Anaxandridem Suidae constat testimonio, qui primum eum *ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς* fabulis suis intexuisse tradit, quae reddens Eudocia tantum facinus abominata *παμμιάρου* nomen ingenioso poetae indidit Ion. p. 60. Anaxandridis exemplum deinceps sequuti sunt Antiphanes, Alexis aliique mediae novaeque comoediae auctores. Ingenium poetae, de quo satis honorifice iudicasse Aristotelem ex frequenti Anaxandridis commemoratione (velut Rhet. III 10. 11. 12, Eth. ad Eud. VI 10, ad Nicom. VII 10) haud temere coniicias, optime cognosci potest ex longioribus eclogis quas servavit Athen. IV p. 131. VI p. 227 b. 242 d. VII p. 299 f et Stobaeus Serm. 68 p. 277 Grot.

Superest ut fabularum titulos recenseamus: *Ἄγροικοι* apud Athen. XI p. 463 f. 481 f. XIV p. 642 b, Macrob. Sat. V p. 562. *Ἀγχίσης* apud Athen. VI p. 263 b et Poll. IX 59 cll. VI 161. *Αἰσχρὰ* (nisi malis *Αἴσχρα*, quod mulieris nomen est, v. c. apud Callim. Epigr. 53) apud Athen. X p. 455 f. *Ἀντερῶν* ibid. XIV p. 654 b. *Ἀχιλ-*

λεὺς apud Antiattic. p. 104. *Γεροντομανία* apud Athen. XIII p. 570 d. XIV p. 614 c, Aristot. Rhet. III 12. *Δίδυμοι* apud Antiattic. p. 85.

Ἑλένη apud Suidam I p. 6 et fortasse apud Etymol. M. p. 630 49 *ἀρσενικῶς (ὁ ὀρίγανος) παρὰ Ἀναξανδρίδῃ ἐν Φαρμακομάντει, οὐδετέρως δὲ ἐν Ἐλεγείοις καὶ [παρ'] Ἐπιχάρμῳ ἐν Ἀταλάντῃ.* Scribendum videtur *οὐδετέρως δὲ ἐν Ἑλένῃ,* quam fabulam commemorat etiam Antiattic. p. 96 *εὐορκησία, Ἀλέξανδρος Ἑλένῃ,* ubi vide ne *Ἀναξανδρίδης* reponendum sit, cuius nomen passim in notius Alexandri nomen abiisse satis constat. V. e. c. Maximi Sentent. XCIII p. 154 Genev. et Schol. Aristot. Rhet. III p. 70. Ac fortasse etiam apud Stob. Floril. LXVII 12, ubi hic versus, *ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι γενναία γυνή,* Alexandro tribuitur, Anaxandridis nomen reponendum est. Quamquam hoc quidem loco non intercedam, quominus idem ille Alexander intelligatur, cuius *Διόνυσον, Πότον, Τιγόνιον* et *Αἰπόλους* laudant Scholia Iliados, Athenaeus, Zenobius. Sed de hoc postea videbimus. Ceterum Alexandrides comicus quotiescunque commemoratur, Anaxandridis nomen restituendum esse monuerunt Casaubonus ad Athen. IV p. 182 d. VII p. 261 a, Hemsterh. ad Polluc. IX p. 1024, ad Aristoph. Plut. p. 322 et Baylius Lex. Histor. I p. 256. Porro *Εὐσεβεῖς* habemus apud Aristotelem Rhet. III 12, ubi prologus fabulae commemoratur.

Ζωγράφοι vel *Γεωγράφοι.* Utroque enim nomine inscribebatur, si fides Polluci X 59 *εἴρηται μὲν γὰρ καὶ ἐπὶ ζωγράφου τοὔνομα (πυξίον) ἐν Ἀναξανδρίδου Ζωγράφοις ἢ Γεωγράφοις, ἑκατέρως γὰρ ἐπιγράφεται τὸ δρᾶμα.* Quae res mihi quidem nequaquam credibilis videtur, ac vereor ne vitiosis libris se decipi passus sit grammaticus multae lectionis sed nullius iudicii: nec movet me quod eadem

fabula *Γεωγράφος* dicitur ab Antiattic. p. 104 *κιννάβαρις, ἀρσενικῶς Ἀναξανδρίδης Γεωγράφῳ*, ubi itidem *Ζωγράφῳ* corrigendum puto. Ad eundem, quem Antiatticista ante oculos habuit, locum respicit Grammaticus Bekk. Anecd. p. 1208 *εὕρηται παρὰ Ἀλεξανδρίδῃ — τὸν κιννάβαριν.* Scrib. *Ἀναξανδρίδῃ.* Ceterum hanc fabulam ab aliis Hagiae vel Augeae tributam esse, nescio an ex alia Antiatticistae glossa p. 113 1 cum Pollucis loco comparata colligi possit: *Πυξίον, ὅπου οἱ ζωγράφοι γράφουσιν. Ἁγίας Ζωγράφῳ.* Eiusdem tituli fabulas scripserunt Antiphanes et Diphilus. Pomponii Pictores habemus apud Nonium pluribus locis.

Sequuntur *Ἡρακλῆς* apud Athen. XIV p. 638 c. *Θετταλοὶ* apud Antiattic. p. 106. *Θησαυρὸς* apud Athen. IV p. 176 a. XV p. 694 e. *Θησεὺς* apud Antiattic. p. 96, Diogen. Laert. III 26, ubi male Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 323. *Θησαυρῷ* vel *Τηρεῖ* corrigi voluit. Theseum docuerunt etiam Aristonymus, Theopompus, Diphilus. *Κανηφόρος* apud Stobaeum Ecl. Phys. II 1 p. 6, ubi fallitur Heerenius, cum *Κανηφόροι* scribendum putat, quoniam chorus e canephoris constiterit. Turpilii Canephorus passim a Nonio laudata utrum ex Menandri an Anaxandridis *Κανηφόρῳ* expressa sit incertum est. *Κερκύων* apud Athen. III p. 106 a, ubi quod in omnibus libris legitur *ἐν δὲ Κερκίῳ*, Reinesius Defens. Var. Lect. p. 72 in *Κερκύονι* mutavit, Porsono nec probante nec improbante. *Κιθαρίστρια* apud Pollucem X 172. *Κυνηγέται* apud Athen. VI p. 247 f. *Κωμῳδοτραγῳδία* apud Antiattic. p. 87, quo titulo etiam Alcaeus fabulam inscripsit. Vide supra p. 247. *Λυκοῦργος* apud Athen. III p. 105 f. *Λοκρίδες* apud Antiatt. p. 106. *Μελίλωτος* Athen. X p. 460 e. XIV p. 654 f.

Νηρεὺς apud Antiattic. p. 87 et Athen. VII p. 295 c, ubi prologi pars servata est. Eiusdem fabulae inscriptio fortasse Athenaeo XI p. 482 c, ubi Anaxandridis *Νηρηΐδες* laudantur, restituenda est. Nereus autem, a quo fabulae nomen indidit poeta, coquus fuit illis temporibus celeberrimus, quemadmodum perspicue docet locus e prologo fabulae servatus apud Athenaeum l. l.

Ὁ πρῶτος εὑρὼν πολυτελὲς τμητὸν μέγα
γλαύκου πρόσωπον, τοῦ τ' ἀκύμονος δέμας
θύννου τά τ' ἄλλα βρώματ' ἐξ ὑγρᾶς ἁλός
Νηρεὺς κατοικεῖ τόνδε πάντα τὸν τόπον.

Eundem praecipuis culinariae artis auctoribus accenset Euphro Athenaei IX p. 379 e:

Νηρεὺς δ' ὁ Χῖος γόγγρον ἧψε τοῖς θεοῖς.

Neque alium intelligam in Alexidis loco apud Athenaeum III p. 107 a:

Ὄστρεια παρὰ Νηρεῖ τινα
ἰδὼν γέροντα φυκί' ἠμφιεσμένα
ἔλαβον ἐχίνους τε.

Denique idem Nereus fortasse etiam Anaxilae argumentum fabulae praebuit, de qua vide Athenaeum X p. 426 c, nisi ibi pro *Ἀναξίλας ἐν Νηρεῖ* scribendum est *Ἀναξανδρίδης ἐν Νηρεῖ*. Sed hoc incertum esse ipse fateor.

Porro *Ὀδυσσεὺς* apud Athen. VI p. 227 b. 242 d. VII p. 307 e. *Ὁπλόμαχος* apud Athen. IV p. 182 d. XIV p. 634 e et Antiatt. p. 106, cuius fabulae titulus incertum est utrum de campiductore vel armorum magistro an de ephebo qui artem arma tractandi disceret, intelligendus sit. V. Casaub. ad Theophr. Char. V p. 79. De armorum magistro nomen hoc legitur apud Teletem Stobaei Ecl. XCVIII 72 *ἔφηβος γέγονεν· ἔμπαλιν τὸν κοσμητὴν φοβεῖται, τὸν παιδοτρίβην, τὸν ὁπλόμαχον, τὸν γυμνασίαρχον.* *Πάνδαρος* apud

Athen. III p. 105 f et Suidam s. v. *Ἀρειοπαγίτης*, ubi quod editur *Ἀλεξανδρίδης Πεισάνδρῳ*, ita corrige: *Ἀναξανδρίδης Πανδάρῳ*. *Πόλεις* apud Athen. VII p. 299 f. *Πρωτεσίλαος* ibid. IV p. 131, ubi facetissime describitur nuptiale convivium Iphicratis, XII p. 553 d. XV p. 689 f. *Σαμία* ibid. VI p. 255 a. *Σατυρίας* ibid. III p. 95 c. Ita enim meliores libri appellant fabulam, aliis *Σατύρῳ* praebentibus pro *Σατυρίᾳ*, quos sequutus est Dindorfius. Satyrias nomen proprium fuisse videtur a *Σάτυρος* formatum, ut *Ἀριστίας* ab *ἄριστος*, *Διδυμίας* a *δίδυμος*, *Σκληρίας* a *σκληρὸς* et similia. *Σώσιππος* apud Scholiastam ad Hom. Iliad. ψ 1 *κεῖται* (sc. *τὸ πτόλις*) *καὶ παρὰ κωμικῷ Ἀλεξανδρίδῃ ἐν Σωσίππῳ*. Corr. *Ἀναξανδρίδῃ*. Sosippum, poetam comicum, cui fuerunt qui Diphili *Ἀπολιποῦσαν* adscriberent, commemorat Athenaeus IV p. 133 f. Qui num quid commune habuerit cum eo, a quo Anaxandrideae fabulae titulus ductus est, non decernam. *Ὕβρις* apud Athen. XV p. 700 a. *Τηρεὺς* apud Athenaeum IV p. 166 d. IX p. 373 f. XV p. 691 a, quam fabulam non in optimis habitam esse memoriae prodidit Chamaeleon Athenaei IX p. 374 b. *Φαρμακόμαντις* apud Etymol. M. p. 630 46, Athen. II p. 68 b et VI p. 261 f, ubi ipsa habes *φαρμακομάντεως* verba. Denique *Φιαληφόρος* apud Athen. IV p. 176 a.

Praeterea haudquaquam indignum memoria est, Anaxandridem, poetam comicum, etiam dithyrambicae poesi operatum esse, exemplo quod sciam unico. Nam Amphidis qui ab Athenaeo IV p. 174 f et XIII p. 563 c laudatur Dithyrambus, manifesto comoediae est titulus, Hesychius autem s. v. *πυρπερέγχει* a Cratino dithyrambum recitatum esse narrans, improprie loquutus esse censendus est. Sed de Anaxandride omnem dubitationem Chamaeleontis verba tollunt

apud Athenaeum IX p. 374 a. *Ἀναξανδρίδης*, inquit, *διδάσκων ποτὲ διθύραμβον Ἀθήνησιν, εἰσῆλθεν ἐφ' ἵππου καὶ ἀπήγγειλέ τι ἐκ τοῦ ᾄσματος.*

ALEXIS, genere Thurius, testantibus Suida s. v. *Ἄλεξις* et Anonymo in Bibl. Coislin. p. 597, sed Atticae civitati adscriptus. Stephanus Byzant. p. 510. *Οἶον, δῆμος τῆς Λεοντίδος φυλῆς. ἐξ Οἴου Ἄλεξις.* Cfr. Meursius de Pop. Att. p. 85. Hunc mediae poetam comoediae habitum esse ab antiquis grammaticis, innuit non modo Athenaeus VIII p. 336 d et Pollux VIII 17, vocabulum *ἀλείπτρια*, qui titulus est fabulae Alexidis, mediae comoediae tribuens, sed diserte testatur grammaticus Coislin. l. l. et Anonymus de Com. p. XXX, de quo supra diximus p. 303. Neque repugnant fragmenta, in quibus satis multa reperias quae illam sententiam prorsus confirmant. Ex quo genere sunt ea quae de Platone leguntur apud Diogen. Laert. III 26. 28 et Athen. VIII p. 354 d, quae vix scribi potuerunt ab Alexide nisi superstite adhuc Platone, quem Olymp. CVIII 1 obiisse constat. Adde his Misgolae citharoedi apud Athen. VIII p. 339 c, Aristippi Cyrenaei ibid. XII p. 544 f, Pythagoreorum ibid. IV p. 161 b cll. Gellio N. A. IV 11 et Athen. IX p. 386 c, aliorumque hominum irrisiones, quos merito mediae comoediae ludibria dixeris. Quibus si iunxeris fabularum titulos, quales sunt Aesopus, Archilochus, Helena, Septem contra Thebas, Hesione, Cleobulina, Linus, Ulixes et alii eiusdem generis, verissime Alexin mediae comoediae auctoribus accenseri intelliges. Nec tamen mirarer equidem, si quis aliam rationem sibi ineundam putaret. Nam quum Alexidis fragmenta subinde manifesta recentioris comoediae indicia contineant, v. c. puellae elocationem apud Antiattic. p. 81, coquorum gloriationes apud Athen. IV p. 169 d. 170 b. III p. 107 a. IX p. 379 a aliisque locis, parasitos ibid. VI

p. 237 b. 244 d et X p. 471 d, quumque in Hypobolimaeo fabula adeo Ptolemaeum Philadelphum regem eiusque cum sorore coniugium commemoret apud Athen. XI p. 502 b, quod ante Olymp. CXXIII 1 fieri nullo modo potuit, haud sane mirandum esset, si quis in eam concederet sententiam, ut Alexin in novae comoediae poetis numerandum esse censeret. Quod quum per expressa grammaticorum testimonia non liceat, nihil relinquitur nisi ut grammaticos, quum maiorem Alexidis fabularum partem mediae comoediae ingenium et colorem referre vidissent, huius potius quam novae comoediae poetis eum accensendum existimasse statuamus.

De natali anno Alexidis nihil veteres tradiderunt. At longissimam vitam ei praeter Aristotelem apud Stobaeum [73]) tribuit Plutarchus Defect. Orac. p. 420 e: οὕτω γὰρ Ἐπίκουρός τε χείρων Γοργίου φανεῖται τοῦ σοφιστοῦ καὶ Μητρόδωρος Ἀλέξιδος τοῦ κωμῳδοποιοῦ· διπλάσιον γὰρ οὗτος ἔζησε τοῦ Μητροδώρου. Ex quo eum sex supra centum annos complevisse efficitur. Vid. Clintoni Fast. p. 187 Kr. Iam quum Thurios, apud quos natum esse Alexin e Suida [74]) docuimus, circiter Olymp. LXXXXVII 3 a Lucanis deletos

[73]) Floril. CXVI 47 ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους Χρειῶν. Ἄλεξις ὁ τῶν κωμῳδιῶν ποιητής, ἐπειδή τις αὐτὸν ὄντα πρεσβύτην ἑώρα μόλις πορευόμενον καὶ ἠρώτα Τί ποιεῖς; ἔφη, Κατὰ σχολὴν ἀποθνήσκω. Eadem leguntur apud Arsenium Viol. p. 101. Aristoteles, quem Olymp. CXIV mortuum esse constat, Alexin grandaevum videre non potuit, ex quo satis intelligitur opus illud Chriarum titulo insignitum aut Aristotelis nomen esse mentitum, aut Aristoteli iuniori, de quo Ionsius Hist. phil. I 15 egit, tribuendum esse.

[74]) Ἄλεξις Θούριος, ἥτις πρότερον Σύβαρις ἐκαλεῖτο. Quorum verborum sensum mirifice pervertit Eudoc. p. 60 scribens illa: Ἄλεξις Θούριος, κωμικός, ὅστις πρότερον Σύβαρις ἐκαλεῖτο, qui sive librarii sive Eudociae error fluxit ex ignorantia notissimi idiomatis.

et in servitutem abactos esse constet (Strab. VI p. 404 B et Heynii Opusc. Acad. II p. 141), quumque Alexis minimum ad Olymp. CXXIII 1 aetatem produxerit, satis probabili ratione efficitur, natales Alexidis incidere in initium Olymp. LXXXXVII. Suspicari igitur licet, parentes Alexidis, cum summum a Lucanis periculum instare Thuriis vidissent, eiusdem Olympiadis anno secundo una cum filiolo patria relicta Athenis vitae domicilium collocasse. De obitu Alexidis quod tradit Plutarch. de senis admin. reipublic. p. 785 b, *Φιλήμονα τὸν κωμικὸν καὶ Ἄλεξιν ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἀγωνιζομένους καὶ στεφανωμένους ὁ θάνατος κατέλαβεν*, hoc igitur quamquam mirum videri potest in tam longaevo sene, non desunt tamen apud veteres illos senectutis exempla in summo ingenii corporisque vigore ad extremos humanae naturae terminos productae. Cfr. supra p. 307. De ceteris viri rebus domesticis nihil compertum habemus nisi quod Menandri patruus fuit et filium habuit Stephanum, qui et ipse comoediis scribendis operam dedit. Vid. Suidas s. v. *Ἄλεξις* et Eudoc. p. 60. Nisi in eo Suidas Alexin cum Antiphane confudit, cuius de filio, cui itidem Stephano nomen fuit, eadem memoriae prodidit Anonymus de Com. p. XXX. Cfr. supra p. 306. Fuisse qui Menandrum ab Alexide educatum dicerent, idem refert Anonymus. Cfr. Proleg. ad Menandr. p. XXVI. Gulositatem viri et in respondendo facetiam attigit Lynceus Samius apud Athen. VIII p. 344 e. Nam irrisus aliquando a nonnullis, qui faceti esse vellent (*ὑπό τινων σπερμολόγων*), et interrogatus ab his, quonam obsonio maxime delectaretur, *σπερμολόγοις*, respondit, *πεφρυγμένοις*. Denique Ionsii Script. Hist. Phil. I 19 opinionem, nostrum Alexidem non diversum esse ab eo quem Diogenes Laertius Platonis *παιδικὰ* fuisse scribit, ut incertam verbo commemorare sufficiat.

Fabulas docuisse perhibetur a Suida quadraginta quinque supra ducentas, in quibus fuerunt tamen complures, de quarum auctore ne veteribus quidem certo constabat. Ita *Πρωτόχορος* et *Ὁμοία* ab aliis Antidoto, *Ἄντεια Ἀλείπτρια* et *Ὕπνος* Antiphani tribuebantur. Ceterum in tanta fabularum multitudine, ex quibus nonnullas in latinum sermonem conversas fuisse Gellius N. A. II 23 tradidit, non mirum est, Alexin iisdem subinde in diversis fabulis versibus usum esse. Vide e. g. Athen. IV p. 165 d et c. III p. 107 d et IV p. 169 d. VII p. 314 d et III p. 107 c. VIII p. 340 b. c. Nec semet ipsum tantum, sed etiam alios poetas v. c. Eubulum exscripsisse, ex eodem Athenaeo I p. 25 f discimus. In re scenica an quidquam novaverit Alexis, non satis compertum est; nam quod Carystius Pergamenus in libro de Didascaliis apud Athen. VI p. 235 e scripsit, *τὸν νῦν λεγόμενον παράσιτον εὑρεθῆναι ὑπὸ πρώτου Ἀλέξιδος*, ipse refutat Athenaeus, docens ille parasiti personam induxisse iam Epicharmum in S p e v e l P l u t o et Eupolidem in A s s e n t a t o r i b u s, nomine autem *παρασίτου* ante Alexidem usum esse Ararotem in Hymenaeo. Cfr. Geelius in Bibl. crit. IV p. 19. Nec tamen de nihilo esse videtur quod dixit Carystius, cuius hanc mentem fuisse suspicor, ut parasiti et nomine et persona, qualem plerique postea comoediae auctores proposuerunt, atticorum comicorum primum omnium Alexidem usum esse existimaret, quae si vera sunt, simul etiam intelligitur, Parasitum prioribus Alexidis fabulis adnumerandam et Antiphanis Parasito, de quo p. 339 dictum, antiquiorem habendum esse. Pollucis errorem qui haec scribit VI 35: *ἐπὶ τοῦ παρασιτεῖν ἐπὶ λιχνείᾳ ἢ κολακείᾳ πρῶτος Ἐπίχαρμος τὸν παράσιτον ὠνόμασεν, εἶτα Ἄλεξις*, huius igitur errorem notavit iam Casaubonus ad Athen. l. l. Eadem nota dignus Scholiasta Homeri Iliad. ρ' 577: *τὸ δὲ ὄνομα*

τοῦ παρασίτου εἴρηται ἐν Ἐλπίδι παρ' Ἐπιχάρμῳ. Hunc enim parasiti nomine non usum esse certissimum est. Locus quem Scholiasta respicit, idem ille est quem servavit Athenaeus, continetque parasiti imaginem plane ad vivum expressam, ad cuius imitationem quum plerique atticorum comicorum suas assentatorum et parasitorum descriptiones composuerint, certe partem fragmenti hoc loco adscribam:

Συνδειπνέω τῷ λῶντι, καλέσαι δεῖ μόνον,
καὶ τῷ γα μήχι λῶντι, κωὐδὲν δεῖ καλεῖν.
τηνεῖ δὲ χαρίεις τ' εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν
γέλωτα καὶ τὸν ἑστιῶντ' ἐπαινέω,
καἴ κα τις ἀντίον τι λῇ τήνῳ λέγειν,
τήνῳ κυδάζομαί τε κἀπωνηχθόμαν.

Postrema, quae frustra criticos exercuerunt, ita emendanda sunt *κυδάζομαί τε κἀπ' ὧν ἠχθόμαν.*

De poetica viri facultate fabularumque quas docuit indole et ingenio frustra sit qui confidenter pronunciare velit. Neque quid veteres ea de re senserint compertum habemus, nisi quod festivitatis laudem ei tribuit Athen. II p. 59 f, idque rectissime fecisse Athenaeum, vel ex fragmentis perspicitur, quorum haec indoles est, ut Alexidis in summa ingenii ubertate mirum elegantiae omnisque generis facetiarum studium fuisse intelligamus. Quam in rem laudasse sufficiat, quae servavit Stobaeus Serm. CXVI p. 475 et Athen. III p. 104 d. VI p. 164 b. 224 f. 237 b. VIII p. 336 d. 340 a. XI p. 470 e. XII p. 544 e. 552 e. XIII p. 558 d. 568 a. XV p. 691 e. alia, in quibus nihil invenias quod non facetissime dictum fateare. Quam laudem qui talibus locis, qualis is est quem praeter alios servavit Scholiasta Platonis Ruhnk. p. 140, imminui putat, is reputet velim, ignorare nos quae fuerit actionis totiusque fabulae, cui subfrigidam illam maximarum insularum enumerationem inseruit, tenor et ratio. In

orationis conformatione summam ubique elegantiam summumque nitorem deprehendas. Quod enim in singularum vocum usu et forma haud raro a veterum Atticorum normá descivit, non Alexidis id vitium fuit, sed aetatis in his etiam rebus ad deteriora prolabentis. Ex hoc genere, ut trita illa *οὐδὲ εἷς* pro *οὐδείς*, *ὀμνύων* pro *ὀμνὺς* omittam, est v. c. aoristus *εἶπα* apud Athen. VI p. 230 b, *καμμύειν* apud Phrynichum Ecl. p. 339, *ἀπολογηθῆναι* pro *ἀπολογήσασθαι* apud Antiattic. p. 82 5, *τηλικοῦτο* apud Athen. XI p. 502 c, *οἰκοδεσπότης* apud Phryn. Ecl. p. 377, Polluc. X 21 et Thom. Mag. p. 645, *παλαιστρικὸς* de quo vid. Lobeckius ad Phryn. p. 242, *ἰσχυρικὸς* (ita lege pro *ἰσχυρίσκος*) *ἀντὶ τοῦ ἰσχυρὸς* apud Photium Lex. p. 117 10 cll. Antiattic. p. 100 13, *ψυχικὸς* pro *ἀνδρόθυμος* et *νομικὸς* pro *νόμων ἐπιστήμων* apud eundem Phot. p. 656 25. 302 2, *εὐοψία* de pulcra facie apud Antiattic. p. 93 1, *Ἀττικηρῶς* apud Athen. IV p. 137 c, *ἀνθρακηρὸς* apud Polluc. X 11, *σχέσις* pro *ἕξις* apud Athenaeum IX p. 383 d, *βαρυφωνία* apud Polluc. II 112, *διαπράττεσθαι βίον* pro *διάγειν βίον* apud Stobaeum Flor. LXVIII 2, *διαπαρθενεύειν* pro *διακορεῖν* apud Polluc. III 42, quamquam id quidem Dioclis exemplo tueri licet; *διπλάζειν* activo sensu pro *διπλασιάζειν* apud Antiattic. p. 89 6, *ἀκολαστία* apud Grammat. Bekk. Anecd. p. 367 24 et Athenaeum XII p. 544 e. f, *Σκύθαινα* pro *Σκυθὶς* apud Photium Lex. p. 525 11, *Λάκαινα* pro *Λακωνικὴ* apud Antiattic. p. 106 23, *ἐπιλήσμη* apud Suidam vol. I p. 819, *ποικιλεὺς* pro *ποικιλτὴς* apud Polluc. VIII 35, *μονθυλεύω* pro *ὀνθυλεύω* apud Athenaeum II p. 49 f, *ὑπόμακρος* pro *ὑπομήκης* apud Antiattic. p. 115 14, *βαλλισμὸς* de commissatione apud Athen. VIII p. 362 c, *κακουχία* pro *καχεξία* apud Antiattic. p. 104 24, *λαγὸς* pro *λαγὼς* apud Athenaeum XIV p. 654 f, *ξυλολυχνοῦχος* ibid. XV

p. 700 e, *ζωδάριον* apud Antiattic. p. 98 2, *ὀφθαλμὸν ἐπιβάλλειν* i. e. *περιέργως θεᾶσθαι* ibid. p. 110 15, *λέπεσθαι* i. e. luxuriari apud Athenaeum XIV p. 663 c, ut apud Mnesimachum Athenaei IX p. 403 a, *μετάβα* imperat. apud Antiattic. p. 108 10, quamquam etiam Aristophanes dixit *κατάβα*. Porro *ἀπογηρὰς* pro *ἀπογηράσκων* apud Athen. II p. 36 f, *οὐχ οἷον* nequaquam apud Athenaeum VI p. 244 d cll. Phrynicho Ecl. p. 372. Particula *ἠδὲ* contra ceterorum comicorum morem usus esse videtur apud Athenaeum VII p. 322 c. Mitto alia, quae enumerare longum est. Affinis huic generi est, quam in nonnullarum vocum quantitate sibi sumpsit licentiam. Ita *ἄχρηστος* prima longa dixit apud Athen. I p. 40 f, *διαπραξάμενος* secunda longa apud Stobaeum Serm. LXVIII 2 et *ἐλάα* penultima brevi apud Athen. II p. 60 a, nisi eo loco *ἐλῶν* scribendum pro *ἐλαῶν*. Consulto omisi *ἥδιον* penultima brevi in loco ex *Ἀσωτοδιδασκάλῳ*, quae fabula num recte Alexidi tribuatur dubitare licet. V. Athen. VIII p. 336 b. Porro *ψυγέα* et *στρωματέα* ultima brevi habemus in fragmentis supra indicatis p. 295. Eadem quam orationi tribuimus elegantiae laus debetur numerorum conformationi, quos tanta arte elaboravit, vix ut cedere videatur Aristophani. [75]) Usus est autem praeter vulgaria versuum genera etiam metro Eupolideo et hexametris dactylicis, de quo vide quae supra p. 300 diximus.

Restat ut fabularum titulos recenseamus, in quo quantum fieri potest temporum ordinem sequemur. Ex prioribus igitur poetae nostri fabulis fuisse videtur *Ἀποβάτης* apud Athen. XIV p. 638 c, ubi Argas citharoedus et poeta com-

---

[75]) Vitiosam caesuram in loco apud Athen. VII p. 324 c *ἐπὶ τὸ τάγηνον σίζον ἐπεισιὼν φέρω*, haec tollit emendatio *σίζον ἐπισείων φέρω*, quam etiam sensus requirit.

memoratur, quem circa Olymp. CIII floruisse colligas ex Anaxandridis loco apud Athen. IV p. 131 b, ubi in Iphicratis nuptiis adfuisse dicitur. *Ἀγκυλίων* semel laudatur Diogen. Laert. III 26:

λέγεις περὶ ὧν οὐκ οἶσθα, συγγενῶς τρέχων
Πλάτωνι, καὶ γνώσει λίτρον καὶ κρόμμυον.

Tempus fabulae indicat Platonis irrisio, quae movit Clintonum Fast. Hellen. p. 127, ut Ancylionem cum reliquis fabulis, in quibus Platonis facta est mentio, ad Olymp. CVI referret. Fortasse recte. Neque silentio praetermittenda est hac in causa antiquioris Atticismi forma *λίτρον*, pro qua *νίτρον* Alexandri demum temporibus invaluisse suspicatur Lobeck. ad Phryn. p. 305. De argumento fabulae admonui supra, ubi de Eubuli Ancylione actum est. Ceterae fabulae, in quibus exagitatur Plato, sunt *Μεροπὶς* apud Diogen. Laert. III 27. *Ὀλυμπιόδωρος* ibid. 28 et *Παράσιτος* ibid. et apud Athen. X p. 421 d et III p. 123 e, ubi quum Araros, Aristophanis filius, rideatur, etiam hoc argumento intelligitur verum esse quod supra de aetate fabulae *Παράσιτος* monui. Consulto omisi *Μίλκωνα* apud Athenaeum VIII p. 354 d: *κατὰ τὸν Ἀλέξιδος — Μίλκωνα, ἐγώ, φησί, Κἂν μὴ παραθῶ σοι θερμά, τἀγαθὸν Πλάτων Ἁπανταχοῦ φησ᾽ ἀγαθὸν εἶναι,* ubi dubitari potest utrum *Μίλκων* fabulae sit nomen an personae.

Eidem aetati fortasse assignanda est quam Phaedri nomine inscripsit fabulam, ab Athenaeo IV p. 165 e et XIII p. 562 a laudatam. Nam quum in altero horum locorum Alexis hominem quendam induxerit, qui se paupertate ad philosophiae studium adductum esse confiteatur, quumque Phaedrus Myrrhinusius, cuius nomine Plato nobilissimum dialogum inscripsit, a Lysia pauper ex divite factus esse dica-

tur [76]), Th. Bergkius Epist. ad Schillerum p. 133 pauperculum Alexidis philosophum ipsum illum Phaedrum Myrrhinusium esse ingeniosa coniectura suspicatus est. [77]) Alexidis verba haec sunt:

Πορευομένῳ δ' ἐκ Πειραιῶς ὑπὸ τῶν κακῶν
καὶ τῆς ἀπορίας φιλοσοφεῖν ἐπῆλθέ μοι.
καί μοι δοκοῦσιν ἀγνοεῖν οἱ ζωγράφοι
τὸν Ἔρωτα, συντομώτατον δ' εἰπεῖν ὅσοι
τοῦ δαίμονος τούτου ποιοῦσιν εἰκόνας.
ἔστιν γὰρ οὔτε θῆλυς οὔτ' ἄρσην, πάλιν
οὔτε θεὸς οὔτ' ἄνθρωπος, οὔτ' ἀβέλτερος
οὔτ' αὖθις ἔμφρων, ἀλλὰ συννενημένος
πανταχόθεν, ἑνὶ τύπῳ τε πόλλ' εἴδη φέρων.

Omitto reliqua. Haec autem verba apud Alexidem ipsum Phaedrum dicere etiam eo confirmari existimat Bergkius, quod Plato in Symposio Socratem, cuius familiaritate Phaedrus utebatur, simillime de Amore disputantem induxerit. Enimvero haeret haec coniectura tamquam in scopulo in temporum rationibus. Nam quum Lysiae illa oratio, in qua paupertas Phaedri commemoratur, Olymp. XCVIII 1 habita sit, Alexis autem ante Olymp. CII fabulas docere non coeperit, mirum profecto videri debet Alexin tanto temporis spatio interiecto inopiam hominis carpsisse. Tum ut con-

---

[76]) Orat. de bonis Aristoph. § 15 *ἀλλὰ τὴν μὲν* (sc. *θυγατέρα ἔδωκε*) *Φιλομήλῳ τῷ Παιανιεῖ, ὃν οἱ πολλοὶ βελτίονα ἡγοῦνται εἶναι ἢ πλουσιώτερον, τὴν δὲ πένητι γεγενημένῳ οὐ διὰ κακίαν, ἀδελφιδῷ δὲ Φαίδρῳ ὄντι Μυρρινουσίῳ ἐπιδοὺς τετταράκοντα μνᾶς καὶ Ἀριστοφάνει τὸ ἴσον.* Quae de Socratis familiari intelligenda esse viderat etiam Droysenius Dissert. de Aristoph. Av. p. 34.

[77]) Praeivit Spengelius Synagoge techn. p. 135 Platonis Phaedrum et Convivium in fabula illa Alexin irrisisse existimans.

cedam Phaedrum omnium primam fuisse poetae fabulam, non tamen probabile videri potest, Phaedrum in ea ita de Amore disputantem inductum esse, ut adolescentem potius quam senem sexagenarium audire nobis videamur. Sexagenarium autem illo tempore fuisse Phaedrum, ex eo intelligitur quod Olymp. XCIII, quo tempore cognominem Platonis dialogum habitum esse gravissimis ut puto argumentis doceri potest, vicesimum aetatis annum certe non superaverat. His adde quod Alexis, si Socraticum Phaedrum hac fabula carpere voluit, consilio suo accommodatius facturus fuisset, si Phaedri de Amore disputationem ad eius orationis imitationem composuisset, qua Plato illum Amoris laudes praedicantem in Convivio induxit. Denique ne illud quidem concedi potest, Alexidis verba:

πορευομένῳ δ᾽ ἐκ Πειραιῶς ὑπὸ τῶν κακῶν
καὶ τῆς ἀπορίας φιλοσοφεῖν ἐπῆλθέ μοι,

necessario de paupertatis calamitate intelligenda esse. Quid enim impedit quo minus haec ab eo dici putemus, qui, quum spe potiundae quam deperiret puellae excidisset, prae animi tristitia et consilii inopia ad philosophandum de amoris natura se compelli affirmat. Quae quum ita sint, non adduci possum ut argumentum fabulae Alexideae a Phaedro Myrrhinusio ductum esse credam. Facilius crediderim Alexin, quum adolescentulum amoribus impense deditum repraesentare vellet, huic ideo Phaedri nomen imposuisse, quoniam quam Plato huius imaginem exhibuisset consilio suo optime respondere vidisset. Suspicor igitur Phaedrum illo quo Alexis fabulam suam docuit tempore ex vivis iam excessisse [78]), et quam eius nomine inscripsit comoediam

---

[78]) Taylorum si audimus, quem sequutus est Droysenius Diss. de Aristoph. Av. p. 34, Phaedrus iam eo tem-

illi fabularum generi adnumerandam esse, de quo supra exposui p. 275. Quod autem adolescentem suum de Amore philosophantem induxit, fecit id Alexis communem poetarum illius aetatis morem sequutus, apud quos frequentes fuisse de Amoris vi et natura disputationes, abunde docent ea quae Athenaeus l. l. et p. 563 a—d ex Eubuli vel Ararotis Campylione, ex Theophili Philaulo, ex Aristophontis Pythagorista, denique ex Amphidis Dithyrambo ipsiusque adeo Alexidis Apocoptomeno et Helena attulit. Unum est quod adiiciam. Constat enim fuisse qui Phaedrum Myrrhinusium Socratis familiarem fuisse negarent et id ipsum, quod Plato eum cum Socrate colloquentem induxerit, in anachronismis Platonicis ponerent. Athenaeus XI p. 505 f *ἀδύνατον δὲ καὶ Φαῖδρον οὐ μόνον κατὰ Σωκράτην εἶναι, ἦ πού γε καὶ ἐρώμενον αὐτοῦ γεγονέναι.* [79]) Quorum errorem (neque enim Athenaeum huius opinionis auctorem esse credo) ex hac ipsa Alexidis fabula tanquam ex fonte repetere iam non dubito, in qua quum eam Phaedri imaginem adumbratam esse viderent, quae eos Socratici Phaedri admonere posset, Platonem tempora turbasse temere sibi persuaserunt. De his omnibus fortasse certiora teneremus, si plures Alexidei dramatis eclogae ad aetatem nostram pervenissent. Nunc duo tantum fabulae fragmenta servata sunt, quorum sedem supra indicavimus. Fortasse tamen his tertium fragmentum addere licet ex Athen. VIII p. 340 b, ubi quum libri habeant

pore, quo Lysiae oratio de bonis Aristophanis habita est, supremum diem obiit. Sed Taylorus, si quid video, non recte Lysiae locum interpretatus est.

[79]) Huius opinionis tenue quidem at vestigium tamen etiam apud Diogenem Laert. III 29 mihi reperire videor, ubi Phaedrum, quem plerique Socratis *παιδικὰ* fuisse tradiderunt, nonnullos a Platone in deliciis habitum fuisse existimare proditur.

Ἄλεξις ἐν Φαίδωνι ἢ Φαιδρίᾳ, haud inepte alterum titulum e *διττογραφίᾳ* ortum esse [80]), pro *Φαίδωνι* autem *Φαίδρῳ* scribendum coniicias. Per enim mira est in vulgata lectione Phaedri et Phaedriae ad unius fabulae titulum coniunctio, quam tum demum ferendam esse putarem, si Phaedria mulieris nomen fuisset, id quod existimavit Hemsterhusius ad Pollucem IX 153. Atqui *Φαιδρία* inauditum Graecis nomen est, *Φαιδρίας* autem frequentissimum. Si recte conieci, de fabulae tempore non laborandum est. Commemoratur enim in eo quod attuli fragmento Callimedon, ex quo fabulam circa Olymp. CX scriptam esse coniicias. Eodem ferme tempore edita esse videtur *Ἄγωνις ἢ Ἱππίσκος*. Ita enim vocatur fabula Athen. VIII p. 339 c, ubi ante Schweighaeuserum, qui *Ἀγώνιδι* e cod. A reposuit, vulgabatur *Ἀγῶνι*, et XV p. 678 c. Ceteris locis III p. 120 b. VI p. 230 b. XI p. 502 f simpliciter dicitur *Ἱππίσκος*, quod Casaubon. etiam lib. XI p. 471 e probabili coniectura restituit pro edito *Ἡπάκῳ*. De argumento fabulae e fragmentis nihil elicias, nisi quod locis e lib. VI et XI allatis habemus *νεανίσκον ἐρῶντα καὶ ἐπιδεικνύμενον τὸν πλοῦτον τῇ ἐρωμένῃ*. Nec de tituli si-

---

[80]) Similiter passim erratum. Scholiastes Aristoph. Pac. 527: *ἔστι δὲ Εὐριπίδου ἐκ Τηλέφου ἢ Τληπολέμου τὸ «ἀπέπτυσ' ἐχθροῦ φωτὸς ἔχθιστον τέκος.»* Dele verba *ἢ Τληπολέμου*. Hesychius, *Κανδαύλης: Ἑρμῆς ἢ Ἡρακλῆς*. Hic etiam delenda sunt verba *ἢ Ἡρακλῆς*, cuius nomen ex *Ἑρμῆς* corruptum habemus etiam apud Etymol. M. p. 511 55: *ἔστι (Κηρύκειον) καὶ ὄνομα λόφου τῆς Ἐφέσου, ἐν ᾧ ἀνῆλθεν ὁ Ἡρακλῆς κατὰ βούλησιν τῶν θεῶν καὶ ἐκήρυξε τὴν γέννησιν* (fort. *γένεσιν*) *τῆς Ἀρτέμιδος*. Non Herculis hoc fuit sed Mercurii. Scribe igitur *Ἑρμῆς*. De Mercurio Candaule v. Hipponactem apud Cramerum Anecd. III p. 351, ubi qui citatur *Αἰνείας ἐν Σαμιακοῖς λόγοις* scribendus est *Λινίας*.

gnificatione satis constat. Quid enim est illud *Ἄγωνις* vel *Ἀγῶνις*? pro quo aliquando *Ἄδωνις* scribendum putabam. Sed praestat, opinor, *Ἀγωνίς*, quod mulierculae nomen esse videtur, ab *Ἀγὼν* viri nomine formatum. Photius Lex. p. 7 4 Pors. *Ἀγών: ὄνομα κύριον δηλοῖ, ὡς Δοῦρις ἱστορεῖ.* Eius nominis exemplum habemus apud Scholiastam Iliad. XXIV p. 627 33, ubi commemoratur *Ἀγὼν* Pelopis auriga, quem minus recte Agonum (*Ἄγωνον*) dicit Eustathius ad Hom. p. 1335 59. Sed omnem dubitanti scrupulum eximit glossa Suidae, *Ἀγωνίς: ὄνομα ἑταίρας* Alteram tituli partem de *ἱππίσκῳ*, quod vestimenti genus fuit, explico. Cratinus apud Polluc. VII 13 *ὑμεῖς δ' ἐὰν ἱππίσκον ἢ τρίμιτον ἔχητε.* Temporis quo acta est fabula indicium continet locus ex Athen. lib. VIII laudatus:

Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
τὸν Μισγόλαν· οὐ γὰρ κιθαρῳδός εἰμ' ἐγώ.

Misgolas Collytensis pulcrorum citharoedorum amore flagrans introducitur ab Antiphane Piscatoribus:

καὶ μὴν ἀληθῶς τοῖς κιθαρῳδοῖς ὡς σφόδρα
ἅπασιν οὗτος ἐπιπεφυκὼς λανθάνει.

Item a Timocle in Sapphone:

ὁ Μισγόλας οὐ προσιέναι σοι φαίνεται
ἀνθοῦσι τοῖς νέοισιν ἠρεθισμένος.

Denique ab Aeschine c. Timarch. p. 66 Rsk. loco itidem ab Athenaeo allato: *Μισγόλας ἔστι τις Ναυκράτους Κολλυτεύς, ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα καλὸς κἀγαθός — περὶ δὲ τὸ πρᾶγμα τοῦτο* (puerorum amores) *δαιμονίως ἐσπουδακὼς καὶ ἀεί τινας ἔχειν εἰωθὼς περὶ αὑτὸν κιθαρῳδοὺς ἢ κιθαριστάς.* Eundem in longo perditorum hominum et *τὸ ἄρρεν διωκόντων* recensu cum Chabria coniungit Libanius pro Saltat. p. 500 D. *Εὔμνηστος, Λάϊος, Θράσυλλος, Ἀριστογείτων, Παμμένης, Δημοκράτης, Χαβρίας, Μισγέλαος* (leg.

Μισγόλαος [81]) aut *Μισγόλας*), *Καλλίας*, *Κριτίας*, *Πausανίας*, *Ἀρχίδαμος*. Ex his coniicere licet fabulam hanc docuisse Alexin circiter Olymp. CIX. Cfr. Clintonus Fast. Hellen. p. 127. Non recte igitur Schweighaeuserus apud Athen. XIII p. 610 e, ubi Alexis in *Ἵππῳ* fabula Demetrium Poliorceten commemorat, *Ἱππίσκῳ* reponi voluit.

Denique huc pertinent *Ἀδελφοὶ* et *Στρατιώτης* apud Athen. VI p. 223 f. In utraque fabula ridetur Demosthenes propter lusum verborum *δοῦναι* et *ἀποδοῦναι*, quo illum usum esse constat in oratione de Halonneso, ex quo recte argumentatur Clintonus Fast. Hell. p. 143, tum illas Alexidis tum alias aliorum fabulas, quibus idem Demosthenis dictum vellicatur, actas esse brevi post Olymp. CIX 2.

Ab his non longo temporis intervallo distare videntur eae fabulae, in quibus Callimedontis, quem Demosthenis aetate inclaruisse constat, Nannii meretricis, Corydi et Tithymalli parasitorum, Aristogitonis demagogi et Timoclis comoediarum scriptoris mentionem iniectam videmus. Et Callimedon quidem commemoratur in *Δορκίδι ἢ Ποππυζούσῃ* apud Athen. III p. 164 d, qui eandem fabulam affert lib. X p. 431 a et IX p. 395 b, ubi quod editur *ἐν δὲ Ῥοδίῳ ἢ Ποππυζούσῃ*, videndum ne ita corrigendum sit: *ἐν δὲ Δορκίδι ἢ Ποππυζούσῃ*, nisi in Schweighaeuseri coniecturam concedere malis, qui *Ῥόδιον ἢ Ποππύζουσαν* alterius fabulae *διασκευὴν* fuisse suspicatur. Porro in *Παγκρατιαστῇ* apud Athen. VI p. 242 d, in *Ποντικῷ* III

[81]) Misgolaus idem dicitur etiam Suidae II p. 565. *Μισγόλαος: οὗτος ἦν τοῦ Λεωδάμαντος ἐρώμενος.* Idem tamen vol. III p. 469 *ὕστερον δὲ (Τίμαρχος) Μισγόλᾳ καὶ Ἡγησάνδρῳ τῷ Λεωδάμαντος ἐρωμένῳ μισθώσας αὑτὸν*, ubi fortasse scribendum est *τοῖς Λεωδάμαντος ἐρωμένοις*. Vide Aeschinem c. Timarch. p. 91 et 128 Rsk.

p. 100 c, in *Συντρέχουσιν* VIII p. 340 a, quae laudatur etiam lib. IV p. 137 c et IX p. 395 a, in *Φαίδωνι ἢ Φαιδρίᾳ* ibid. VIII p. 340 b, de cuius dramatis titulo supra expositum est, denique in *Κρατεύᾳ* VIII p. 340 a, de cuius fabulae duplice editione, quarum altera post Olymp. CXVIII prima autem ante Olymp. CXV in scenam commissa est, infra dicetur. Nannium meretricem, mediorum comicorum ludibrium, nisi quod semel etiam a Menandro commemoratur, habemus in *Ταραντίνοις* apud Athenaeum XIII p. 587 b, qui eandem fabulam ad partes vocat IV p. 134 a, 161 b sqq. XI p. 463 c, quibus adde Antiatt. p. 100 et Pollux. X 21. Corydum et Tithymallum, quos nonnisi a mediae poetis comoediae commemorari videas, ridentur in *Μιλησίοις, Δημητρίῳ ἢ Φιλεταίρῳ, Ποιηταῖς, Ὀλυνθίᾳ.* Harum quam primo loco commemoravimus *Μιλησίους*, habemus apud Stobaeum CXII 6 (ubi Gaisfordius e codice A hoc lemma habet: *Ἀλέξιδος Μιλησίων*. Gesnerus M y l e s.) apud Athen. VI p. 240 c, ubi minus recte, ut videtur, dicitur *Μιλησία*, et lib. IX p. 379 a. *Δημήτριος ἢ Φιλέταιρος* laudatur Athen. VI p. 241 b et simpliciter *Δημητρίου* nomine Stob. CXVI p. 475 Grot. Athen. III p. 108 a. VII p. 314 d. VIII p. 338 d. XIV p. 663 c, ex quo discimus Demetrium fuisse repetitam recensionem fabulae Philetaeri nomine inscriptae. *Ἔχει δέ*, inquit Athenaeus, *ἡ σύμπασα ἐκλογὴ οὕτως οὖσα ἐκ τοῦ διεσκευασμένου δράματος ὃ ἐπιγράφεται Δημήτριος.* Qua in fabula si Demetrii Poliorcetae laudes celebravit, apertum est illud, in quo Corydus perstringitur (apud Athen. VI p. 241 b), fragmentum non ex altera, sed ex prima fabulae editione petitum esse. Quam de argumento fabulae suspicionem ausus sum, eam nescio an locus e Stobaeo allatus confirmet, quem pleniorem habet omisso fabulae nomine Athenaeus II p. 36 e

> Ὁμοιότατος ἄνθρωπος οἴνῳ τὴν φύσιν
> τρόπον τιν' ἐστί· τὸν γὰρ οἶνον τὸν νέον
> πολλή γ' ἀνάγκη καὶ τὸν ἄνδρ' ἀποζέσαι
> πρώτιστον ἀφυβρίσαι τε κτλ.

Quae egregie conveniunt in Demetrium iuveniliter lascivientem. Sed fateor hanc valde incertam esse coniecturam. Latine fabulam reddidisse putatur Turpilius. V. Casaubonus ad Athen. VIII p. 338 d et Scaliger ad Varr. VI p. 248 Bip. Naevii Demetrium habemus apud Varronem l. l. *Ποιηταὶ* laudantur Athen. VI p. 241 d et fortasse etiam III p. 74 e, ubi legitur *Ποιητῇ* pro *Ποιηταῖς*. Similis tituli fabula *Ποιήτρια* laudatur a Polluce IX 153, ubi Hemsterhusius plenum dramatis indicem fuisse suspicatur *Ποιηταὶ ἢ Ποιήτρια*. Sed eiusmodi coniecturis nihil fallacius. Similiter variatur in titulo Olynthiae, quae *Ὀλύνθιος* dicitur Athenaeo III p. 75 b (quae pleniora sed omisso fabulae titulo leguntur II p. 55 a), *Ὀλύνθιοι* ibid. VI p. 240 c et Stobaeo XXVII 9, denique *Ὀλυνθία* Photio s. v. *εὐημερία* et Suidae I p. 888. Aristogitonem, Demosthenis aequalem, commemorat Alexis in *Σπονδοφορικῷ* sive, ut recte Hemsterhusius correxisse videtur, *Σπονδοφόρῳ* apud Pollucem X 111. *Ἀριστογείτονα | τὸν ῥήτορ' εἶδον λαρκὸν ἠμφιεσμένον | τῶν ἀνθρακηρῶν*, Timoclem comicum in *Ἐπιδαύρῳ* (leg. *Ἐπιδαυρίῳ*) apud Athenaeum III p. 120 a et in *Κουρίδι* lib. X p. 443 d, quamquam hoc quidem loco annon comicus poeta intelligendus sit dubitari potest. Eandem fabulam praeterea commemorat Athenaeus VIII p. 362 c. X p. 422 e.

Mediae comoediae quum proprium argumentum fuerit Pythagoreorum exagitatio, etiam *Πυθαγορίζουσαν* Alexidis huic aetati assignaverim. Eam fabulam praeter Athenaeum III p. 122 f affert Gellius N. A. IV 11, porculis quo-

que minusculis et haedis tenerioribus victitasse (Pythagoram) idem Aristoxenus refert. — Ac de animalibus Alexis etiam poeta in comoedia, quae Pythagorae vita inscribitur, docet. Quibus e verbis *Πυθαγόρου βίον* inter fabulas Alexidis rettulit Fabricius. Sed recte contractis, quae male divulsae sunt, litteris Pythagorizusa pro Pythagorae vita corrigunt Reinesius V. L. III 3 et Menagius ad Diog. Laert. II p. 370. Pythagoreorum victum risit etiam in Tarentinis, quam fabulam supra p. 388 propter Nannii commemorationem eidem aetati adscripsimus.

Neque aliter de tempore Aesopi Archilochorum et Cleobulinae statuo. Ex his Aesopum, in qua magnas Solonis partes fuisse docet unicum eius fabulae fragmentum, habemus apud Athen. X p. 431 d. Archilochos laudat Antiattic. p. 106. Eam Archilochus numero singulari effert Athen. XIV p. 611 b, ubi nescio quis felicem praedicat Archilochum, quod Parum insulam incolat, quae optimum marmor optimasque placentas ferat. *Ἀρχιλόχους* docuit etiam Cratinus, quem tum in hac fabula tum in Cleobulina ab Athenaeo III p. 386 a laudata imitatum esse Alexin haud inepte suspiceris.

Quae in mythico versatae sunt argumento fabulae, earum plerasque si eidem aetati adscribendas esse dicam, nihil me facere puto quod iure reprehendi queat. Sunt autem hae:

Ἀταλάντη, quo nomine etiam Callias Euthycles Phillyllius Strattis et Philetaerus fabulas inscripserunt, ab uno laudatur Antiattic. p. 108.

Γαλάτεια. V. Antiattic. p. 93, Photium s. v. *νομικόν*, Athen. VII p. 315 d. XII p. 544 e, ubi Aristippus Cyrenaeus perstringitur.

Ἑλένη. Ita vocatur Athen. XIII p. 563 d. Quae fabula non videtur diversa fuisse ab ea, quae *Ἑλένης ἁρπαγή* inscripta fuit laudaturque a Prisciano lib. XVIII p. 205 ed. Krehl. et ab Antiattic. p. 106 *Λάκαιναι* — *Ἄλεξις Ἑλένης ἁρπαγῇ.* Eandem fabulam laudari putabam ibid. p. 96. *Εὐορκησία Ἀλέξανδρος Ἑλένῃ.* Sed vide supra p. 370. Porro *Ἑλένης μνηστῆρες* ab eodem Antiatticista afferuntur p. 96 et 99. Nec diversa videtur ab ea quam *Μνηστήρων* nomine laudat Athen. XIV p. 650 e, ubi excidit fortasse Helenes nomen, ut apud Suidam vol. III p. 474, ubi praeter alias Timesithei, tragici poetae, fabulas, commemorantur: *Μέμνων, Μνηστῆρες, Ζηνὸς γοναί, Ἑλένης ἀπαίτησις, Ὀρέστης, Πυλάδης, Κάστωρ καὶ Πολυδεύκης.* Malim *Ἑλένης μνηστῆρες* et *Ὀρέστης καὶ Πυλάδης.* Ceterum ex una harum Alexidis fabularum probabile est ductam esse eclogam apud Athen. XII p. 510 a, ubi ex verbis Athenaei *κατὰ τὸν Ἀλέξιδος Τυνδάρεων* non certo colligi potest, etiam Tyndareum fabulae titulum fuisse, quamquam Sophili sane ferebatur fabula *Τυνδάρεως ἢ Λήδα.*

Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις Eam unus commemorat Athen. VII p. 294 a, ubi alii libri habent *Θήβας.* Eiusdem indicis fabula commemoratur in Amphideis.

Ἡσιόνη apud Athenaeum IX p. 367 f et XI p. 470 e, ubi Hercules introducitur bibulus.

Ἴασις apud Antiatt. p. 83. *Ἀμφιτάπητα: Ἄλεξις Ἰάσιδι,* ubi legendum videtur *Ἰάσονι,* quo titulo etiam Antiphanis fabula ferebatur. Possis quidem mutato accentu *Ἰασίδι,* quod Nymphae nomen est apud Pausan. VI 22, sed nulla veritatis specie.

Κύκνος apud Athen. XI p. 472 a. *Προσουσίαν ἢ Κύκνον* in Eubuli fabulis fuisse vidimus.

Λίνος apud Athen. IV p. 164 b, nobilissimo loco, ubi

Herculem habemus παρὰ τῷ Λίνῳ παιδευόμενον καὶ κελευσθέντα ἀπὸ βιβλίων πολλῶν λαβόντα ἐντυχεῖν, ἐκεῖνος δ' ὀψαρτυτικὸν λαβὼν βιβλίον (puta Simi tragici histrionis librum de arte coquinaria) ἐν χεροῖν περισπουδάστως ἐκράτει. De Lino Herculis magistro vide Apollod. II 4. 9 et Diodor. Sic. III 67, cll. Scholiasta Iliad. p. 513 32 Bekk. Linum fortasse docuit etiam Dionysius, de quo infra dicetur.

Μίνως, qui etiam Antiphaneae fabulae titulus fuit, laudatur Athen. VII p. 289 f.

Ὀδυσσεὺς ἀπονιπτόμενος apud Antiattic. p. 98, cuius fabulae argumentum nescio an ad lavacrum Ulixi ab Euryclea ministratum spectaverit, et Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων apud Athen. VI p. 240 c (ubi Tithymalli mentio) VII p. 303 a. X p. 421 a.

Denique Ὀρέστην laudat Athen. VI p. 247 e. Σκίρωνα idem XV p. 678 e et Τροφώνιον idem VI p. 242 c (ubi Moschio parasitus ridetur) X p. 417 e et Antiattic. p. 110, ad quem locum respicit etiam Photius Lex. s. v. ὀφθαλμὸν ἐπιβάλλειν. Trophonii quidem res etiam novae comoediae argumentum praebuisse docet Menandri exemplum. Nihilominus nostram de Alexideae fabulae aetate sententiam confirmare videtur Moschionis commemoratio, cuius frequens est apud mediae poetas comoediae memoria. Ad Orestem fortasse spectant quae supra ex didascalia Alcestidis Euripideae attulimus p. 324.

Praeterea ad eandem aetatem non sine veri specie illas fabulas rettuleris, quas iam veteres dubitaverunt utrum Alexidi an aliis mediae comoediae auctoribus tribuerent. Ex hoc genere est Ὁμοία, quae Alexidis an Antidoti comoedia esset dubitatum fuisse ex Athenaeo XIV p. 612 d intelligitur. Eadem ratio fortasse Πρωτοχόρου fuit, quae apud Athenaeum VII p. 287 f Alexidi, at III p. 109 c. VI

p. 240 b Antidoto tribuitur. Eodem pertinent *Ἀλείπτρια* *Ἀντεια* et *Ὕπνος*, quarum alii Antiphanem auctorem ferebant. De *Ἀλειπτρίᾳ* vide Athen. III p. 123 b. *Ἀντιφάνης ἐν Ἀλειπτρίᾳ, φέρεται δὲ τὸ δρᾶμα καὶ ὡς Ἀλέξιδος.* Hinc apud Polluc. VII 17, *ἀλείπτριαν εἰρήκασιν οἱ μέσοι κωμικοὶ — Ἄμφιδος δὲ καὶ δρᾶμά ἐστιν Ἀλείπτρια,* pro Amphide Alexidis nomen restituendum putarem, nisi etiam in aliis fabularum titulis mirus esset Amphidis et Alexidis consensus. De *Ἀντείᾳ* Athenaeus III p. 127 c: *τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο δρᾶμα* (Antiphanis Anteam dicit) *φέρεται καὶ ὡς Ἀλέξιδος ἐν ὀλίγοις σφόδρα διαλλάττον.* Ceteris locis, quibus Antea commemoratur, sub Antiphanis nomine laudatur. Vid. supra p. 322. Denique *Ὕπνος* Alexidis laudatur Athen. X p. 449 d, ubi unum habemus aenigma de Somno puellae proponentem, et addita de auctore fabulae dubitatione lib. XIII p. 572 e: *Ἄλεξις ἢ Ἀντιφάνης ἐν Ὕπνῳ,* quibus iunge XV p. 671 d, ubi recitatis aliquot versibus *ἐξ Ὑπονοίας* (recte Schweighaeus. *Ὕπνου*) *Ἀλέξιδος* deinceps haec infert: *τὰ αὐτὰ ἰαμβεῖα φέρεται καὶ παρ' Ἀντιφάνει ἐν Ὕπνῳ.* Denique apud Antiattic. p. 95, ubi laudatur *Ἄλεξις Οἴνῳ*, in tanta verborum *οἶνος* et *ὕπνος* permutandorum proclivitate, v. Seidlerus ad Eurip. Troad. 566 et Erfurdtius ad Sophoclis Oed. T. 773, dubitari non potest quin recte *Ἄλεξις Ὕπνῳ* correxerim. Ceterum de his tribus fabulis ita statuo, ut eas primum ab Antiphane scriptas, postea autem ab Alexide sub incudem revocatas iterumque editas fuisse credam. Cfr. supra p. 32.

Sequuntur iam eae Alexidis fabulae quae certa serioris aetatis habent indicia, *Ὑποβολιμαῖος, Φιλέταιρος, Ἵππος, Πύραυνος, Κρατεύας.* De Hypobolimaeo et Philetaero supra dictum est p. 375. 388. Ex ea autem quae *Ἵππος* inscripta fuit fabula hos versus servavit Athen. XIII p. 610 e:

Τοῦτ' ἔστιν Ἀκαδήμια, τοῦτο Ξενοκράτης.
πόλλ' ἀγαθὰ δοῖεν οἱ θεοὶ Δημητρίῳ
καὶ τοῖς νομοθέταις, διότι τοὺς τὰς τῶν λόγων
ὥς φασι δυνάμεις παραδιδόντας τοῖς νέοις
ἐς κόρακας ἔρρειν φασὶν ἐκ τῆς Ἀττικῆς.

Demetrius Phalereus principatum Athenis tenuit ab Olymp. CXV 3, pulsusque est a Demetrio Poliorceta Ol. CXVIII 1, Xenocrates autem obiit Olymp. CXVI 2, ex quo apertum est, Demetrium, quem Alexis commemorat, esse Phalereum, et Sophoclis Suniensis legem de coercendis philosophorum scholis — vid. Meursii Fort. Att. p. 19, Ionsii Script. Philos. I 17 4 et Clintoni Fast. Hellen. p. 181 — latam esse fine Olymp. CXV vel ineunte Olymp. CXVI. Eidem igitur tempori etiam eam, de qua agimus, fabulam adsignabimus. Pro *Ἵππος* autem reponendum videtur *Ἱππεύς*, ut legitur apud Athen. XI p. 471 e et p. 481 f. Monuit hoc etiam Schweighaeuserus, nisi quod incertus haeret inter *Ἱππεὺς* et *Ἱππίσκος*. Sed huius quidem fabulae titulo, ut iam supra p. 387 monui, nullus hic locus est.

Sequitur *Πύραυνος*, in cuius fabulae fragmento apud Athen. XIII p. 590 b servato cum Seleuci regis mentio facta sit, recte Clintonus Fast. Hellen. p. 173 *Πύραυνον* circiter Olymp. CXVII scriptam statuit. Cetera fragmenta sunt ibid. VI p. 244 d, ubi cum codd. vel *παρύνῳ* vel *παρυνῷ* habeant, alii *Παροίνῳ*, Dindorfius autem verissime *Πυραύνῳ* correxit. Porro ibid. VI p. 258 b et XIV p. 663 f, ubi cod. B habet *τυράννῳ*. Titulus fabulae *Πύραυνος* fuerit an *Πύραυνον*, dubitari potest. Illud habet Pollux Onom. VI 88, de altero vid. idem X 104 et interpretes Hesychii s. v. *πύραυνον*. Eiusdem tituli fabulam scripsit Aristophon apud Pollucem IX 70, fortasse etiam Antiphanes apud Stephanum Byz. s. v. *Πάρνης*, de quo vide supra p. 37.

Non magis ambigere licet de tempore quo vel acta vel scripta sit fabula *Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης*, in qua, ut est apud Athen. VI p. 254 a Alexis *προπίνοντά τινα εἰσαγαγὼν ἑνὶ τῶν συμποτῶν καὶ λέγοντα ποιεῖ τάδε·*

Παῖ, τὴν μεγάλην δός, ἐπιχέας
φιλίας κυάθους (ins. *μὲν*) *τῶν παρόντων τέτταρας,*
τοὺς τρεῖς δ' ἔρωτος προσαποδώσεις ὕστερον·
ἕν' Ἀντιγόνου τοῦ βασιλέως νίκης· καλῶς.
καὶ τοῦ νεανίσκου κύαθον Δημητρίου.

Quibus verbis apertum est significari Antigoni victoriam de Ptolemaeo apud Cyprum reportatam, quae incidit in Olymp. CXVIII 2, quo tempore Demetrius septimum supra vicesimum agebat annum, ut merito *νεανίσκος* appellari potuerit. Sed has rationes non mirarer equidem si quis duobus aliis eiusdem fabulae fragmentis apud Athenaeum VIII p. 340 a. c turbari crederet. Quamquam enim Callimedon his locis commemoratus, ut ex Plutarchi Phoc. 35 constat, ultra Phocionis obitum h. e. ultra Olymp. CXIV 4 vitam produxit, ea tamen tempora, quibus Crateuam in scenam productum esse statui, non videtur attigisse. Quam difficultatem ita removere licebit, si duas huius fabulae editiones fuisse ponamus, quarum altera *Κρατεύας* altera autem *Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης* vel simpliciter *Φαρμακοπώλης* inscripta fuerit. Ac favet huic coniecturae quod fabula illa duobus locis VIII p. 340 c et XI p. 473 d simpliciter *Κρατεύας*, quattuor locis III p. 95 a. 107 a. VIII p. 340 a et XV p. 678 c. *Κρατεύας ἢ Φαρμακοπώλης*, eo autem loco, in quo Antigoni victoria praedicatur, *Φαρμακοπώλης ἢ Κρατεύας* appellatur. Ceterum C r a t e u a e nomen ubicunque Alexideae fabulae titulus citatur ab Athenaeo, restituit demum Casaubonus, codicibus constanter *Κρατίᾳ* vel *Κρατείᾳ* tenentibus. Casaubonum sequuti sunt Schweighaeuserus et Dindorfius. In eo

autem fallitur Casaubonus, quod ad Athen. III p. 95 a Crateuam illum Alexideum eundem fuisse existimat, cuius *ῥιζοτομικὰ* respiciunt Plinius, Dioscorides, Galenus alii. Is enim Mithridatis aequalis fuit. V. Sprengel Geschichte der Medizin I p. 604. Eiusdem nomen restituendum videtur Scholiastae Nicandri Ther. 683. *πυρῖτις βοτάνη, ἥν πρὸς παντός φησιν* (Iolaus medicus) *θηρίου δῆξιν ἀγαθὴν εἶναι, ὥς φησι καὶ Ἀριστεύας.* Scribendnm videtur *Κρατεύας*. Idem nomen in *Κρατερὸς* corruptum est apud Porphyrium Abstin. anim. I p. 29. *Κρατεροῦ* (leg. *Κρατεύου*) *τοῦ ἰατροῦ οἰκέτης ξένῳ περιπεσὼν νοσήματι — τοῖς μὲν φαρμάκοις ὠφέληται οὐδέν.*

Restant eae fabulae quae quum certum temporis indicium praebeant nullum, dubitari potest prioribusne an serioribus annumerari debeant. *Αἰπόλοι* apud Suidam vol. III p. 434. Eadem fortasse librariorum errore Alexandro tribuitur apud Zenob. VI 11, de quo loco infra dicetur ubi de Alexandro agam. *Αἰχμάλωτος* apud Antiattic. p. 98, ubi quod codex habet *Ἐχμάλωτος*, correxit iam Harlesius ad Fabricii B. G. II p. 407. *Ἀμφωτὶς* apud Polluc. X 175 *εἴεν ἂν καὶ ἀμφωτίδες τῶν σκευῶν Πλάτωνός τε εἰπόντος καὶ ἐν Κερκύονι Αἰσχύλου «ἀμφωτίδες τοι τοῖς ἐνωτίοις πέλας.» Ἀλέξιδος δὲ καὶ δρᾶμα Ἀμφωτίς.* Laudatur ab eodem VII 20 et Antiattic. p. 108. Ad titulum fabulae explicandum Hemsterhusius affert Hesychium, *Ἀμφωτίδες: ἃς ἔχουσιν οἱ παλαισταὶ περὶ τοῖς ὠσίν*, de quibus aurium munimentis nota sunt quae disseruit Salmasius. Eam interpretationem confirmat quodammodo locus Aeschyli. Quamquam quum Pollux de instrumentis rusticis agat, certe dubitari potest Alexideae fabulae index annon potius de poculo explicandus sit quo utebantur rustici. Athenaeus XI p. 783 d: *ἀμφωτὶς ξύλινον ποτήριον, ᾧ χρῆσθαι τοὺς ἀγροίκους Φιλητᾶς φησι*

τοὺς ἀμέλγοντας εἰς αὐτὸ καὶ οὕτω πίνοντας. In accentu vocis mirifice variant libri, aliis ἀμφωτίς, aliis ἀμφῶτις, aliis denique ἄμφωτις tuentibus.

Sequitur Ἀμπελουργὸς apud Antiattic. p. 82, nisi Ἄμφις legendum, cui ea fabula tribuitur a Polluce et Stobaeo. Sed vide infra ubi de Amphide agitur. Ἀπεγλαυκωμένος apud Athen. III p. 17 c. e. VI p. 224 f. VII p. 301 a. Titulum fabulae, quem Casaubonus de hominis cuiusdam in Glaucum mutatione intelligit, simplicius ad glaucoma trahas, quo quis affectus fuerit. Caerulatum vertit Grotius. Glaucoma, incertum quo sensu, fabulam inscripserat Naevius. Ἀποκοπτομένη apud Athen. X p. 431 c, ubi VL habent Ἀποκοπτομένῳ, ut legitur XIII p. 562 d, quo loco femininam formam reposuit Dindorfius. Ἀσκληπιοκλείδης ibid. IV p. 169 d et Polluc. X 107, ubi quod olim edebatur Ἀσκληπιάδῃ, ex libris correctum est.

Ἀσωτοδιδάσκαλον habemus apud Sotionem Alexandrinum Athenaei VIII p. 336 d, ubi quod Athenaeus dicit, neque se ipsum hanc fabulam in octingentis illis, e quibus excerpta confecerit, mediae comoediae dramatis repperisse neque in ullo fabularum recensu eius mentionem fieri meminisse, eiusmodi est, ut gravissimam de eius γνησιότητι dubitationem movere possit, quamquam fragmenti quidem, quod ex ea attulit Sotion, ea est indoles, ut Alexide nequaquam indignum censeri queat. Xanthiam ibi habemus conservos, ut strenue genio indulgeant, festivissime hortantem. Sed orationis color habet sane nonnulla, in quibus merito offendas, v. c. quod vs. 6 τύρβαζε, Μάνη, γαστρὸς οὐδὲν ἥδιον, contra constantem Atticorum usum comparativus ἥδιον penultimam corripit. Nec τυρβάζειν ita atticum poetam dicturum fuisse crediderim, ut nec ψύχειν vs. 10 ψύξει σ᾽ ὁ δαίμων τῷ πεπρωμένῳ χρόνῳ. His igitur argu-

mentis adducor ut fabulam illam neque Alexidem neque alium atticum poetam auctorem habuisse statuam, quamquam quod Gaisfordius ad Marklandi Suppl. 1101 scribit, fragmentum illud e doctissimorum virorum sententia Sotioni potius quam Alexidi tribuendum esse, quorsum spectet, non reperio. Nam Marklandus quidem, quem laudat, ad Euripidis Suppl. 127 insciens plane Sotioni hos versus tribuit, Athenaei verbis deceptus, quae paullo negligentius inspexerat.

Ἀτθίς, quod mulieris nomen est [82]), laudatur Athenaeo IX p. 386 c, Suidae vol. II p. 487 et Photio s. v. *μᾶλλον μᾶλλον*. *Ἀχαιὶς* apud Grammat. Seguer. p. 339 et Stobaeum Serm. XXIX 33, ubi Gesneri margo habet Alexidis Orchestride, Trincav. *Ἀλέξιδος Ἀχαιίδι*. Neque aliter codices et Grotius. Cfr. Gaisfordii nota. *Βόστρυχον* unus commemorat Antiatt. p. 115. *Βρεττίαν* Stobaeus Serm. CV 4 et Athen. XIV p. 650 c, ubi legitur *Ἄλεξις ἐν Βρευτίᾳ*, quam formam pro *Βρουττία* frustra tuetur Schweighaeuserus comparatione nominum *Λευκανοὶ* Lucani, *Λεύκιος* Lucius, quorum longe alia est ratio. Ceterum ad locum ab Athenaeo servatum respicit Scholiastes Aristophanis Eccles. 355 et Suidas s. v. *ἄπια*. De nomine *Βρεττία* cfr. Dindorfius ad Aristoph. fragm. p. 244.

Βωμὸς laudatur a Polluce Onom. VII 72. *Γραφὴ* ab Athenaeo XIII p. 606 a. *Γυναικοκρατία* ibid. III p. 125 b et a Polluce IX 44, cuius fabulae quod argumentum fuerit vel ex titulo suspicari licet. Scilicet illis temporibus, quibus permulti Atheniensium insano quodam rerum Laconicarum studio ferebantur, etiam mulieres, quum magnas sui generis praerogativas apud Lacedaemonios esse viderent

---

[82]) Ita inter Sapphonis amicas commemoratur Atthis a Suida s. v. *Σαπφώ*.

(Aristot. Polit. II 7 9), libido invasit in maiorem sese libertatem vindicandi et suo omnia arbitrio agendi. Id in lusum iocumque vertisse videtur Alexis, exemplo fortasse Aristophanis, cuius Ecclesiazusas hac fabula Alexin imitatum esse nequaquam inepta est coniectura Boettigeri Opusc. I p. 301. Eiusdem tituli fabulam Amphidi tributam fuisse ex Athenaeo VIII p. 336 c apparet. De scriptura nominis *γυναικοκράτεια* sive potius *γυναικοκρατία* disseruit Lobeckius in Parergis ad Phrynichi Ecl. p. 525.

Sequitur *Δακτύλιος* apud Antiattic. p. 92 et Athenaeum X p. 443 c. *Διαπλέουσαι* apud Antiattic. p. 91. *Δίδυμοι* apud Athenaeum X p. 446 f. XV p. 686 a, Stobaeum Floril. LXII 40 et Polluc. IX 153, ubi cod. *Δίδυμαι*. *Δὶς πενθῶν* laudatur Athenaeo X p. 441 d, ubi Reinesius Var. Lect. III 3 *ἐν Διὶ πενθοῦντι* proponit, quae si vera esset coniectura, vix dubitari posset quin haec fabula prioribus poetae dramatis accensenda esset. Sed quidni *Δὶς πενθῶν* ut *Δὶς ἐξαπατῶν* et similes fabularum tituli? *Δρωπίδης* (quod viri nomen est apud Platonem vol. II p. 157 e. III p. 20 e. H. St. et Arrianum Exped. Alex. IV 8, aliosque apud Hemsterhusium Anecd. I p. 216) laudatur Athenaeo III p. 125 f. IV p. 172 b. XI p. 496 a, ubi L habet *Δρωπίδι*, ut legebatur olim etiam apud Pollucem X 121. *Εἰσοικιζόμενος* apud Athen. XI p. 502 d, ubi ante Schweighaeuserum legebatur *Οἰκιζομένῳ*, XIV p. 613 c. XV p. 685 f. 691 e. *Ἐκπωματοποιὸς* apud Antiatt. p. 82 et Athen. XV p. 691 d cll. Polluc. VII 190. *Ἑλληνὶς* apud Athen. VI p. 226 f. *Ἐπίκληρος* ibid. VI p. 227 b. d, Antiattic. p. 81. 104. *Ἐπιστολὴ* ibid. p. 112. *Ἐπίτροπος* Athen. X p. 443 f. *Ἐρετρικὸς* ibid. VII p. 326 d. *Ἡ εἰς τὸ φρέαρ*, nisi potius titulus fabulae fuit *Εἰς τὸ φρέαρ*, ut colligas ex Athen. VIII

p. 340 c ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Εἰς τὸ φρέαρ. Neque repugnat alter Athenaei locus III p. 109 b ἐν τῇ Εἰς τὸ φρέαρ, quod perinde est ac si scripsisset ἐν τῇ ἐπιγραφομένῃ Εἰς τὸ φρέαρ. *Θεοφόρητος* ibid. IX p. 369 e, cuius argumentum simile fuisse videtur ei quod in Θεοφορουμένῃ et Ἱερείᾳ tractavit Menander. Cfr. Lobeckius in Aglaoph. p. 628. *Θεσπρωτοὶ* laudantur Athenaeo XII p. 552 e. *Θηβαῖοι* ibid. IV p. 159 d. *Θητεύοντες* apud Stobaeum Serm. XXVII 3. *Θράσων* apud Athen. IV p. 133 b. *Ἰσοστάσιον* ibid. III p. 127 c. IV p. 134 c. XIII p. 568 a, cll. Clemente Alex. Paed. III 2. *Καλάσιρις*, quod vestimenti genus fuit de quo v. Scholiastam Aristoph. Av. 1294 cll. Aristoph. fragm. p. 143, habemus apud Polluc. X 18. *Καννίους* ibid. VII 166. *Κηρυττόμενος* laudatur Athenaeo XV 58 p. 1561 Dind. Ἄλεξις δ᾽ ἐν Κηρυττομένῳ, litteris εν in codice evanidis, ut dubitari possit, annon legendum sit: Ἄλεξις δ᾽ Ἐκκηρυττομένῳ. *Κιθαρῳδὸς* apud Antiatt. p. 96. *Κνιδία* apud Athen. IV p. 165 d. *Κονιάτης* ibid. IX p. 500 e. *Κυβερνήτης* ibid. VI p. 237 b. XIV p. 652 c. *Κυβευταὶ* ibidem III p. 95 a, quo nomine etiam Eubulum fabulam inscripsisse vidimus. V. supra p. 364. *Κύπριος* ibid. III p. 110 e. 114 d. Eiusdem fabulae titulus reddendus esse videtur Antiatt. p. 89 διπλάσαι τὸ διπλασιάσαι, Ἄλεξις Κύπριδι. Lege Κυπρίῳ, quamquam possis etiam Κουρίδι, sed illud probabilius. *Λαμπάς*, quam latine vertisse videtur Turpilius, v. Scaliger ad Varr. VI p. 248 Bip., laudatur ab Athenaeo XIV p. 654 f. Nomen fabulae utrum ad λαμπάδος ἀγῶνα vel λαμπαδηφορίαν spectet an de meretrice Lampade ab Athenaeo XIII p. 583 e commemorata interpretandum sit, quis certo constituere ausit? Porro *Λέβης* apud Athen. III p. 76 d. IV p. 170 a (cll. Poll. VI 65) VI p. 226 a. IX p. 383 c. XIV

p. 661 d, ubi minus recte editur *Λεβητίῳ*. *Λευκαδία ἢ Δραπέται* ibid. III p. 94 f et XI p. 498 e, ubi simpliciter *Λευκαδία* dicitur, ut apud Pollucem X 144, ubi male editur *Λευκάδι*. Recte Casaubonus, Toupius Emend. IV p. 243 et alii *Λευκαδίᾳ*. *Λεύκη* apud Athenaeum VII p. 322 c. *Λημνία* apud Pollucem X 100, quo respexit Suidas s. v. *ἀνθράκιον* et *τρίπος*. Hinc corrigendus Grammaticus Seguer. p. 404 9, ubi pro *παρ' Ἀλέξιδι* vitiose legitur *Παραλεξείδιον*. *Λοκροὶ* apud Antiatt. p. 109 et Athenaeum III p. 123 e. *Λυκίσκος* apud Antiattic. p. 98 et Athenaeum XIII p. 595 d. *Μανδραγοριζομένη* ibid. III p. 123 f. VIII p. 340 c. 365 d. XII p. 552 e. XIV p. 621 e. *Μάντεις* XIII p. 558 e.

Μίδων laudatur Athen. XV p. 700 a *Ἄλεξις Μίδωνι*, quod fuit, ni memoria fallit, qui ex *Μήδῳ* corruptum putaret, quo titulo Theopompi fabulam inscriptam fuisse constat. Sed recte habet Midonis nomen, cuius exempla vide apud Erycium in Brunckii Anal. II p. 297 et Anonymum ibid. III p. 198. Alexideus Midon fortasse non diversus fuit ab eo cuius nomini subdititius Platonis dialogus *Μίδων ἢ ἱπποτρόφος* inscriptus ferebatur teste Diogene Laert. III 62. Neque alius fuisse videtur is qui Antiphaneae fabulae titulum praebuit apud Athenaeum. V. supra p. 327.

Ὀπώραν, quod meretricis nomen fuit, Aristoph. Pac. 712, habemus apud Athenaeum X p. 443 e. XIII p. 567 c. *Ὀρχηστρὶς* laudatur ibid. X p. 441 c. Cfr. quae supra de Achaeide diximus p. 398. *Παλλακὴ* Etymol. M. p. 761 56 et Phot. s. v. *τοναία*. *Παμφίλη* Athen. IX p. 356 e. 380 e. *Παννυχὶς ἢ Ἔριθοι* III p. 96 a. IV p. 170 b. VI p. 248 a. XII p. 516 d. Eadem simpliciter *Παννυχὶς* appellatur ibid. IX p. 386 a et *Ἔριθοι* XI p. 484 e. *Πεζονίκην* (mulieris nomen) ad partes vocant Suidas II p. 487, Photius s. v. *μᾶλλον μᾶλλον*, et Antiattic. p. 109. *Πο-*

λύκλεια (meretricis nomen) laudatur Athenaeo XIV p. 642 c. Πονήρα, quod et ipsum muliebre nomen fuisse videtur, ibid. III p. 117 c. d. 127 e. IV p. 170 c. VII p. 324 b. IX p. 385 b. XIV p. 655 f. XV p. 687 d. Προσκεδαννύμενος Antiattic. p. 100. Πυλαῖαι, cuius fabulae unum quod superest fragmentum Athenaeus VI p. 225 f servavit, fortasse de mulieribus Pyliis explicandae sunt. Stephanus Byz. p. 650 de Pylo Messeniaca agens: τὸ ἐθνικὸν Πύλιος καὶ Πυλαῖος. Sed ea poetica fuerit forma. Itaque videndum ne apud Athenaeum pro Πυλαίαις scribendum sit Πυλαίᾳ, qui Cratineae fabulae titulus fuit, de panegyri Pylaica interpretandus. Σικυώνιος laudatur apud Antiatt. p. 84. Συναποθνήσκοντες ab Athen. IV p. 165 a. X p. 422 a et apud Stobaeum Serm. LIX 2. Idem Diphileae fabulae fuit titulus, ad cuius imitationem Plauti Commorientes compositos fuisse constat. Σύντροφοι laudantur Athenaeo X p. 419 b.

Συρακόσιος apud Stobaeum CVIII 47 Ἀλέξιδος ἐκ Συρακουσίου, nisi ἐκ Σωράκων scribendum est, quam Alexidis fabulam fuisse ex Athenaeo III p. 120 b et Polluce X 130 constat. Si recte habet Συρακόσιος, voluptuosum quendam hominem eo nomine notatum fuisse crediderim. Ad Σωράκους Alexidis fortasse respexit Pollux X 130 παρὰ τοῖς κωμῳδοποιοῖς οὕτως (σώρακος) ὠνομάσθη τὸ ἀγγεῖον, ἐν ᾧ τὰ σκεύη τῶν ὑποκριτῶν.

Porro Τιτθὴ laudatur Athenaeo VI p. 241 c. X p. 426 c. Stobaeo Serm. CXVI 19 et Antiatt. p. 85, ubi est Τιτθαῖς, qui fuit Eubuleae fabulae titulus. Τοκιστὴς ἢ Καταψευδόμενος laudatur Athenaeo X p. 431 a. XV p. 692 f et sine priore tituli parte VI p. 258 e et Suidae s. v. ἀνάριστος. Fortasse non diversa fuit a Ψευδομένῳ, quam habemus apud Athenaeum VI p. 255 b. X p. 419 b. Τραυ-

ματίας laudatur apud Stobaeum Serm. CXIX 15 et ni coniectura fallit apud Athenaeum XIII p. 562 f. *Φιλαθήναιον* habemus apud Antiatt. p. 111. 112. *Φιλίσκον* apud Athen. XIV p. 642 f. *Φιλόκαλος ἢ Νύμφαι* laudatur Athenaeo VIII p. 365 b. *Φιλοτραγῳδὸς* Stobaeo Serm. CVIII 52. *Φιλοῦσα* Athenaeo X p. 419 b. XIII p. 574 b. *Φρὺξ* ibid. VII p. 307 e, cuius instauratam editionem fuisse docet idem Athenaeus X p. 429 e, ubi laudatur *τοῦ Φρυγίου διασκευή*, ex quo coniicias priore loco legendum esse *Ἄλεξις Φρυγίῳ* pro *Ἄλεξις Φρυγί. Φυγὰς* laudatur Athenaeo IV p. 164 f. VI p. 229 b. Denique *Χορηγὶς* ib. VII p. 287 f, cuius fabulae titulum de choraga interpretatur Schweighaeuserus: fortasse recte, quamquam Choregis etiam mulieris nomen fuit, ut constat ex Athen. IX p. 577 c, ubi Aristophontem habemus *ἐκ Χορηγίδος τῆς ἑταίρας παιδοποιούμενον.* Quam praeterea Fabricius commemorat fabulam *Ψευδυποβολιμαῖος* inscriptam, ea non Alexidis fuit sed Crobyli. V. Athenaeum III p. 107 e.

AMPHIS. De hoc ita scribit Fabricius Bibl. Gr. II p. 410. «Amphis, Amphicratis filius, poeta veteris comoediae, Atheniensis.» Atheniensem fuisse tradidit Suidas s. v. *Ἄμφις.* Sed de Amphicrate patre nemo quidquam memoriae prodidit. Errorem fluxisse puto e Diogene Laert. III 27, ubi Amphidis fabula *Ἀμφικράτους* nomine inscripta laudatur. Neque verius veteris comoediae poetam fuisse scripsit Fabricius. *Τοῖς μέσοις* adscribendum esse praeter fabularum argumenta docet Pollux I 233, qui quum mediae poetas comoediae distinxisse dicit inter *συκάμινος* et *συκάμινον*, respicit haud dubie Amphidis locum apud Athen. II p. 50 f. Cfr. Polluc. VII 17. Ac Platonis Sinopes Nannii aliorumque hominum, quorum frequens illa aetate memoria, aequalem fuisse docet Diogenes Laert. III 27 et Athenaeus

XIII p. 567 f. Idem quum Phrynen commemoret apud Athenaeum XIII p. 591 d, vitam minimum ad Olymp. CXII produxit. Nomen viri subinde in *Ἀμφίας* et hinc in *Ἀγίας* corruptum est. Pollux Onom. III 36 *διαπαρθένια δῶρα — ὠνόμασεν Ἀγίας ὁ κωμικός.* MS. *Ἀμφίας*, quod in *Ἄμφις* mutavit Iungermannus. Cfr. Schweigh. ad Athen. vol. II p. 85. Ac fortasse etiam apud Antiatt. p. 113 *πυξίον, ὅπου οἱ ζωγράφοι γράφουσιν. Ἁγίας Ζωγράφῳ*, scribendum *Ἄμφις.* Certius est, idem nomen in Amphianus abiisse apud Scholiasten Germanici Arat. p. 78 Buhl. Amphianus, tragoediarum scriptor, refert. Corrige: Amphis, comoediarum scriptor, qui ibidem laudatur p. 38 in narratione fabulae de Callisto. Cfr. Hygin. p. 356. Fortasse tamen *Ἄμφις* et *Ἀμφίας*, cuius nominis exemplum habet Thucyd. IV 119, non nisi diversae eiusdem nominis formae sunt. Ita *Ἐλπίας* dicebatur et *Ἔλπις*, *Μαντίας* et *Μάντις*, *Λῦσις* et *Λυσίας*, *Τέλλις* et *Τελλίας* [83]) et alia eiusdem generis. Cfr. Reiskium et Schaeferum Appar. ad Demosth. vol. V p. 170.

Fabularum tituli supersunt viginti sex. *Ἀθάμας* apud Athen. XIII p. 559 a. *Ἀκκώ* apud Schol. Platonis Bekk. p. 353 *τὸ ἀκκίζεσθαι ἐκ γυναικὸς εἰρῆσθαί φασιν Ἀκκοῦς καλουμένης, ἥν οὕτως εὐήθη λέγουσιν ὡς ἀπὸ τοῦ ἱστοῦ θοιμάτιον καθελομένην ἡμίεργον ἀμφιέσασθαι, εἴς τε κάτοπτρον βλέπουσαν πρὸς τὴν παρ' αὐτῆς ἔμφασιν εἰς αὐτὸ γιγνομένην ὡς ἑτέρᾳ προσλαλεῖν γυναικί. μέμνηται ταύτης Ἕρμιππος ἐν Ἀθηνᾶς γοναῖς καὶ Ἄμφις ἐν τῷ ὁμωνύμῳ αὐτῆς δράματι.* Aliorum grammaticorum de ista muliere testimonia collegerunt interpretes Hesychii vol. I

[83]) Anacreon Epigr. XIII p. 280 *Τελλίᾳ ἱμερόεντα βίον πόρε Μαιάδος υἱέ*, ubi Bergkius malebat *Τέλλιδι.*

p. 104 12 et Ruhnkenius ad Timaei Lex. p. 10. Consentiunt autem omnes in eo ut Acconem, quam patria Samiam fuisse scribit Etymol. M. p. 49 4, fatuam et ineptam mulierem fuisse dicant: quo magis mirum est eandem a Chrysippo apud Plutarchum de Rep. Stoic. p. 1040 b, *οὐδὲν διαφέρει τῆς Ἀκκοῦς καὶ τῆς Ἀλφιτοῦς, δι' ὧν τὰ παιδάρια τοῦ κακοσχολεῖν αἱ γυναῖκες ἀνείργουσιν*, ita commemorari ut Lamiae potius vel Gorgyrae aliisque puerorum terriculis [84]) similis fuisse videatur.

Sequitur *Ἀλείπτρια*, quam habemus apud Pollucem VII 17 *Ἀλείπτριαν εἰρήκασιν οἱ μέσοι κωμικοί, καὶ Λυσίας — Ἄμφιδος δὲ καὶ δρᾶμα ἔστιν Ἀλείπτρια* de quo loco supra p. 393 diximus. *Ἀλκμαίων* apud Polluc. X 170. *Ἀμπελουργὸς* ibid. VII 177. IX 88 et apud Stobaeum Serm. LX 1. CIV 6. *Ἀμφικράτης* apud Diogenem Laert. III 27. *Βαλανεῖον* apud Athen. III 123 e. *Γυναικοκρατία* ibid. VIII p. 336 c, quo titulo fabula quum alibi Alexidi tribuatur, Amphidi vero *Γυναικομανία* (v. Athenaeus IX p. 386 e. XIV p. 642 e et Hesychius s. v. *εὐκολεῖν* ex emendatione Toupii Emend. I p. 407 et Porsoni Append. p. 460), Dindorfio aut in comici aut in fabulae nomine errasse videtur Athenaeus. Atqui Amphidis et Alexidis summa est in fabularum titulis similitudo [85]), ut nihil impediat quominus utrumque *Γυναικοκρατίαν* docuisse statuamus. *Δακτύλιος* laudatur Antiattic. p. 104. *Δεξιδημίδης* Diog. Laert. III 27, in qua fabula Platonis

---

[84]) Egit de his Casaubonus ad Strabon. I p. 36 et Ruhnkenius ad Tim. p. 181, quorum notatis addere licet Carconem ab uno commemoratam Hesychio, *Καρκώ: Λάμια.*

[85]) E. c. *Ἀλείπτρια, Ἀμπελουργός, Δακτύλιος, Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, Ἔριθοι, Κονιάτης, Κουρίς, Κυβευταί, Λευκάς* sive potius *Λευκαδία, Ὀδυσσεύς, Φιλέταιρος.*

quaedam partes fuisse videntur, ut coniicias ex fragmento apud Diogenem,

ʼΩ Πλάτων,
ὡς οὐδὲν οἶσθα πλὴν σκυθρωπάζειν μόνον.

Quamquam haec etiam in alium sensum accipi possunt. *Διθύραμβος* laudatur Athen. IV p. 174 f. XIII p. 563 c. *Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις* ibid. VII p. 295 e. *Ἔριθοι* Athen. X p. 426 a, Photio Lex. p. 291, Suid. s. v. *νεανισκεύεται* (ubi male legitur *ἐν Ῥείθροις* pro *Ἐρίθοις*), Stobaeo Serm. LVI 4. Titulum fabulae Grotius in margine Stobaei minus recte de carminatricibus interpretatur, ut docet Athenaei locus, ubi legitur: *κατὰ τοὺς Ἄμφιδος ἐρίθους*, nisi legendum *τάς*. *Ἰάλεμος* Athen. II p. 69 b. VII p. 309 a. VIII p. 336 c. De nomine fabulae v. ad Menandr. p. 81. *Κονιάτης* apud Polluc. VII 125 *τὸ ῥῆμα κονιᾶν, καὶ τὸν τοῦτο δρῶντα κονιάτην. Ἄμφιδος δὲ καὶ δρᾶμα Κονιάτης.* *Κουρὶς* Athen. XIII p. 567 f. 591 d, quibus locis ante Dindorfium legebatur *Κούριδι* pro *Κουρίδι*. Titulum fabulae Grotius vertit Tonstricem, Dalecampius Novaculam. Rectius Schweighaeuserus intelligit *κομμώτριαν*. Vid. Menandr. p. 296. *Κυβευταὶ* apud Polluc. VII 203. *Λευκὰς* apud Athen. VII p. 277 c cll. II p. 57 b, pro quo legendum est *Λευκαδία*, quo titulo Alexidis et Menandri fabulae ferebantur. *Ὀδυσσεὺς* ibid. XV p. 691 a. *Οὐρανὸς* ibid. III p. 100 b. *Πὰν* ibid. X p. 421 a. *Πλάνος* ib. VI p. 224 d. X p. 423 a. *Σαπφὼ* Antiatt. p. 89. *Φιλάδελφοι* Athen. X p. 447 f, Stob. Serm. XCX 24. *Φιλέταιρος* Athen. VII p. 295 f, quo titulo praeter Amphidem fabulas docuerunt Philonides Alexis Antiphanes Heniochus Hegesippus. Cfr. p. 326.

ANAXILAS sive, ut in margine Stobaei Serm. LVII 4, Athen. XIV p. 655 a et Poll. II 29. 34 appellatur, ANAXI-

LAUS, Atheniensis, mediae poetis comoediae accensendus propter Platonis irrisionem apud Diog. Laert. III 28 et dramatum titulos magnam partem e fabulosa antiquitate petitos. Ex hoc genere sunt Glaucus apud Polluc. IX 29. Theseus apud Antiatt. p. 96. Calypso apud Athenaeum VI p. 171 f et III p. 95 c, ubi recte Casaubonus dedit *Καλυψοῖ*. Libri habent vel *Καμψοὶ* vel *Καμψοῖ*. «In A *κα-* «*λυψοῖ* ita exaratum esse ait Schweighaeuserus, ut pro *καμ-* «*ψοῖ* accipi possit.» Haec Dindorfius. Similiter erratum apud Pollucem VII 204, ubi pro *ἀνακάμπτων* unus liber habet *ἀνακαλύπτων*. Apud Libanium in Leonis Allatii Exc. p. 108 *τῶν μηρῶν ὁ μὲν ἔσχε τὸν δεξιὸν εἰς γόνυ καὶ ἁπτόμενον — ὁ δὲ τὸν λαιὸν ὁμοίως ἐκάλυψεν ἐφ᾽ ὁμοίου τοῦ σχήματος*, corrige *εἰς γόνυ καμπτόμενον* et *ὁμοίως ἔκαμψεν*. Porro Circe apud Diogenem Laert. III 28 et Athen. IX p. 374 e. III p. 95 b, ubi habemus Cinesiam in suem transformatum. Sed vide supra p. 227. Gratias commemorat Athenaeus VII p. 416 e. Horas Photius et Suidas s. v. *μᾶλλον μᾶλλον*. Consulto omisi Nereum ab Athenaeo X p. 426 c commemoratam, propter causas supra p. 372 expositas. Ceterarum fabularum tituli hi sunt: *Ἄγροικος* apud Antiattic. p. 93. *Ἀντιδο* * * ibid. p. 103 *κροταλίζειν*; *ἀντὶ τοῦ κροτεῖν. Ἀναξίλας Ἀντιδο* * * Possis *Ἀντιδότῳ* vel *Ἀντιδόσει* vel *Ἀντιδίκῳ*, et quid non? *Αὐλητὴν* laudat Athenaeus III p. 124 f. Sequitur *Βοτρυλίων* vel *Βοτρυδίων*. Utra enim potior sit forma dubitatur. Priorem illam habent Diogenes Laert. III 28 *χλευάζει δ᾽ αὐτὸν* (Platonem dicit) *καὶ Ἀναξίλας ἐν Βοτρυλίωνι*, et Antiatt. p. 113. Sed apud Pollucem X 190 codicum scriptura ducit ad *Βοτρυδίων*, quod qui praefert cum Salmasio Hemsterhusius vellem rationes attulisset; nam quod nomen illud a *βότρυς βότρυδος* formari dicit, aut non intelligo equidem

aut ex incredibili fluxit errore. Nec melius res procedit, si a *Βότρυς*, quod viri nomen est [86]), derivare velis, quandoquidem hoc etiam secundo casu *Βότρυος* formatur, non *Βότρυδος*. A deminutivo autem *βοτρύδιον* nomen *Βοτρυδίων* formari posse, vix credo. Sequitur *Εὐανδρία* semel laudata Athenaeo VI p. 224 a, ubi ante Dindorfium edebatur *Εὐανδρείᾳ*. Recte cod. P *Εὐανδρίᾳ*. Titulum fabulae, quem Casaubonus de fortium virorum proventu interpretatur, rectius intelligas de virtutis certamine, quam notionem illustravit Schweighaeuserus ad Athen. XII p. 565 f. Cfr. Grammaticus Bekk. Anecd. p. 257 13 *ἀγών τις εὐανδρίας τοῖς Παναθηναίοις ἀγόμενος, οὗ κοινωνεῖν οὐκ ἐξῆν τοῖς ξένοις*. Quo tempore fabula acta sit, cognosci potest ex imitatione lusus Demosthenici in verbis *δοῦναι* et *ἀποδοῦναι*. Cfr. Clintonum Fast. Hell. p. 143. Aliquanto expeditior est titulus fabulae *Λυροποιὸς* inscriptae, quae laudatur Athen. IV p. 183 b. XII p. 548 c. Eiusdem dramatis titulum pro *Λουτροποιῷ* probabiliter Polluci VII 167 et X 46 restituit Schweighaeuserus ad Athen. vol. II p. 673. Certius est eandem fabulam significari in margine Stobaei Serm. LVII 4, ubi Trincavellus habet *᾿Αναξίων*, Gesnerus Anaxilai *ἐκ μυροπίου*, codd. fere *᾿Αναξιλάου ἐκ μυρεπίου*. Veram lectionem praeter Schweigh. perspexit Gro-

[86]) Rarum hoc nomen nec tamen sine exemplis. Praeter Botryn a Plinio in Hist. naturali aliquoties adhibitum, et alium ab Asclepiade commemoratum in Brunckii Anal. I p. 219, novimus Botryn *παιγνίων* auctorem minime obscurum, de quo vide Athen. VII p. 322 a et Timaeum apud Polyb. vol. III p. 406 Schweigh., ubi cum Elephantide coniungitur, ex quo satis cognoscas, quae indoles fuerit eius *παιγνίων*. Athenaei locum miror neglectum esse ab iis qui de Philetae *παιγνίοις* scripserunt. Cfr. Eustath. ad Hom. p. 1163 14 et Eberti Dissert. Sic. I p. 213.

tius in notis MSS apud Gaisfordium vertens: Anaxilaus in lyrarum fabro. *Μάγειροι* semel laudatur Athen. III p. 95 b, sed loco dubio. Nam quum allato ex Anaxilae *Μαγείροις* loco deinde sequatur *'Αναξίλας δ' ἐν Κίρκῃ*, perspecte Schweighaeuserus hoc ipso indicari adnotavit, praecedens testimonium ex alio poeta petitum esse. Fortasse igitur Nicostrati nomen Anaxilae substituendum est, cuius *Μάγειρος* laudatur ab Athenaeo. Nisi forte inter Anaxilae *χρήσεις* e Coquis et Circe petitas Epitomatoris culpa alius poetae testimonium excidisse statuendum est. Haud frequentior *Μονοτρόπου* memoria, de qua vide eundem VII p. 307 c. Eodem titulo fabulam docuit Phrynichus. *Νεοττίδος*, quod meretricis nomen fuit, longiora servavit fragmenta Athen. XIII p. 558 a. 572 b. *'Ορνιθοκόμοι* laudantur ab eodem XIV p. 655 a. *Πλούσιοι*, qui fuit etiam Antiphaneae fabulae titulus, laudantur ibid. X p. 416 e. Eandem *Πλουσίας* minus recte, ut videtur, vocat Diogenes Laert. III 28, ubi Platonem in ea irrisum fuisse traditur. Porro *Χρυσοχόος* apud Athen. X p. 416 d et *'Υάκινθος* ibid. XIV p. 623 e et IX p. 385 f *'Αναξίλας 'Υακίνθῳ πορνοβοσκῷ*, ubi ante postremam vocem, quam de suo addidisse suspicabar Athenaeum, ut quis esset ille Hyacinthus apud Anaxilam doceret, Schweighaeuserus particulam *ἢ* inseri voluit, ut plenus fabulae titulus fuerit *'Υάκινθος ἢ πορνοβοσκός*. Quae vera videtur esse ratio. Denique apud Athen. XI p. 254 c, *φησὶ γοῦν καὶ 'Αναξίλας. ἔνιοι κόλακές εἰσι τῶν ἐχόντων οὐσίας σκώληκες* etc. ubi recte corrigunt *οἱ κόλακες*, vide an litterae *ἐνι*, in quibus fabulae titulum latere certissimum est, ita corrigi possint ut legatur: *'Αναξίλας ἐν 'Ιοῖ· Οἱ κόλακες* etc. Eiusdem nominis fabulas docuisse constat Platonem et Phillyllium.

ARISTOPHON. Hunc unde Alexandri M. temporibus floruisse resciverit Fabricius Bibl. gr. II p. 424, mihi incompertum est: mediae comoediae poetam fuisse docent fabularum tituli, *Πλάτων* apud Athenaeum XII p. 552 e, iniuria suspectatus Iungermanno ad Pollucem IX 70, porro *Φιλωνίδης* apud Athenaeum XI p. 472 c, quam fabulam ad Philonidem Melitensem spectasse verissima est sententia Hanovii Exercitat. crit. I p. 29. Denique eodem pertinet *Πυθαγοριστής*, quam praeter Diogenem Laert. VIII 38 et Suidam III p. 235 laudat Athenaeus VI p. 238 c. XIII p. 563 b et IV p. 161 e, ubi ante Menagium et Schweighaeuserum legebatur: *Ἀριστοφάνης Πυθαγόροις τι* pro *Ἀριστοφῶν Πυθαγοριστῇ*. Praeterea laudatur *Βαβίας* (quod viri nomen esse videtur) a Stobaeo XCVI 19. *Δίδυμοι ἢ Πύραυνος* a Polluce IX 70, ubi quum olim legeretur *ἐν τοῖς Ἀριστοφῶντος Διδύμοις ἢ οὐλαύρῳ*, Hemsterhusius postremam vocem e libris scriptis in *Πυραύλῳ* mutavit. Id ipsum quomodo corrigendum esset, ante Bentleium Epist. ad Hemsterh. I p. 42 perspexerat Kuhnius. Minus enim nunc placet quod ipse olim proponebam *Θυραύλῳ*. De titulo *Πύραυνος* cfr. supra p. 37 et 394. Praeterea pro *τοῖς Διδύμοις* cod. Iungermanni habet formam femininam *ταῖς Διδύμαις*, eadem librorum inconstantia qua Antiphanis Alexidis aliorumque poetarum fabulae modo *Δίδυμοι* vocantur, modo *Δίδυμαι*. Porro Aristophontis *Ἰατρὸν* habemus apud Athenaeum VI p. 238 b (ubi cod. C *Ἀριστοφάνης* habet pro *Ἀριστοφῶν*) et apud Stobaeum Serm. VI 27. *Καλλωνίδην* (alii libri *Καλωνίδης*) apud Athen. XIII p. 559 d, nisi legendum *Φιλωνίδης*. *Παρακαταθήκην* apud Stobaeum Serm. XCVI 21, denique *Πειρίθουν* apud Athen. VII p. 303 a. Incertarum fabularum fragmenta supersunt paucissima. Vid. Stobaeus Serm.

XCVI 23, Athenaeus II p. 63 a et Theophilus ad Autol. p. 296.

CRATINUS iunior. Huius aetatem certissimis tenemus indiciis, v. c. quod Platonem in fragmento apud Diogen. Laert. III 28 commemorat, et Corydum Pythagoreos aliosque id genus homines exagitat. Si certo constaret Archephontem, quem commemorat apud Athenaeum XI p. 469 c, eundem esse de quo Machon agit VI p. 242 a, Cratinus vitam usque ad Ptolemaei Philadelphi tempora produxisse videri posset. Huic quae diserte tribuuntur fabulae, hae sunt: *Γίγαντες* apud Athenaeum XV p. 661 e, Hesychium s. v. *Πααμύλης*, ac fortasse etiam apud Athenaeum VI p. 241 c, ubi legitur *ἐν Τιτᾶσι*, quamquam *Τιτᾶνας* docuit etiam Eubulus. Nisi potius in priore loco Athenaei et apud Hesychium *Τιτᾶσι* legendum est pro *Γίγασι*.[87]) Favet huic coniecturae quodammodo locus Hesychii, *Πααμύλης: Αἰγύπτιος θεὸς Πριαπώδης. Κρατῖνος ὁ νεώτερος Γίγασι «ὡς σφοδρῶς Αἰγυπτιώδης, Σωχάρης, Πααμύλης,»* comparatus cum his Photii Lex. p. 592 2 *ἐνομίζοντο δὲ (οἱ Τιτᾶνες) τῶν Πριαπωδῶν θεῶν εἶναι.* Quibus consimilia leguntur apud Eustathium ad Hom. p. 985 51 *ὁ κίναιδος καὶ πειόλης Τιτὰν σκωπτικῶς λέγονται.*

Θηραμένης laudatur Athenaeo IV p. 177 a, ubi nunc legitur ex emendatione Schweighaeuseri *Θηραμένει* pro *Θηραμένῃ*, quamquam quis fuerit Theramenes ille, a quo fabulae suae nomen indidit Cratinus, difficile dictu est. An-

---

[87]) Gigantes in Titanum locum irrepserunt etiam apud Suidam vol. II p. 91 *Ἰαπετὸς εἷς τῶν Γιγάντων.* Contra Titanes expellendi e Schol. Apollon. Rh. II 789 *τὴν Τιτάνων πόλιν*, ubi lege *Τιανῶν*, qui sunt incolae urbis Tii, cuius nomen pro *Τίτιον* reddendum eidem Scholiastae ad vs. 780.

tiquiorem illum cognomine Cothurni quo minus intelligamus quum temporum rationes prohibeant, nescio an sub Theramenis nomine Cratinus hominem illius moribus et ingenio similem exagitaverit. Cfr. supra p. 275. Nisi forte ille Demosthenis obtrectator intelligendus est, de quo queritur orator Epist. 4. Sequitur *'Ομφάλη* Cratino minori tributa ab Athen. XV p. 669 b et Polluce VII 58. Sed quae ex eadem fabula attulit Scholiastes Platon. Bekker. p. 391: *Περικλέα δημηγορεῖν παρεσκεύασεν* (Aspasia), *ὡς Αἰσχίνης ὁ Σωκρατικὸς ἐν διαλόγῳ Καλλίᾳ καὶ Πλάτων ὁμοίως Πεδηταῖς. Κρατῖνος δὲ 'Ομφάλη τύραννον αὐτὴν καλεῖ, χείρων Εὔπολις Φίλοις· ἐν δὲ Προσπαλτίοις 'Ελένην αὐτὴν καλεῖ. ὁ δὲ Κρατῖνος καὶ Ἥραν*, haec igitur eiusmodi sunt, ut nequaquam ad iuniorem Cratinum referri posse videantur. Itaque aut uterque Cratinus Omphalen docuit, aut corrupta sunt Scholiastae verba etiam aliis erroribus depravata. Cfr. Dindorf. Fragm. Arist. p. 21. Fortasse scribendum est: *Κρατῖνος δὲ 'Ομφάλην καὶ τύραννον αὐτὴν καλεῖ Χείρωσιν, ὡς καὶ Εὔπολις Φίλοις*, vel *Κρατῖνος δὲ 'Ομφάλην αὐτὴν καλεῖ Χείρωσι, τύραννον δὲ Εὔπολις Φίλοις.* Certe novam Omphalen Aspasiam appellatam esse a comicis, tradit Plutarchus Pericl. 24: *ἐν δὲ ταῖς κωμῳδίαις 'Ομφάλη τε νέα καὶ Δηϊάνειρα καὶ πάλιν Ἥρα προσαγορεύεται.* Idque in *Χείρωσι* fecisse Cratinum, haud male coniicias e fragmento eius fabulae apud Plutarch. Pericl. 3 et 24, ubi Periclem ridet.

Denique nostro Cratino *'Υποβολιμαῖον* tribuit Pollux VII 211 et *Χείρωνα* Athenaeus XI p. 460 f, ubi nisi disertis verbis *ὁ νεώτερος Κρατῖνος* commemoraretur, nemo sane dubitaret quin notissima Cratini maioris fabula *Χείρωνες* inscripta laudaretur.

Praeter hasce, quae expressis testimoniis Cratino minori

tribuuntur, fabulas, etiam alias quasdam vulgo in maioris Cratini dramatis habitas nostro Cratino vindicandas esse supra indicavi p. 56. Ex his de *Ψευδυποβολιμαίῳ* (ab Hypobolimaeo fortasse non diversa), de *Ταραντίνοις* et de *Πυθαγοριζούσῃ*, quarum memoriam unus servavit Diogenes Laert. III 28 et VIII 37, nulla potest esse dubitatio. Minus confidenter idem de *Διονυσαλεξάνδρῳ* pronuntiaverim, cuius argumentum quum olim ad Alexandrum M. spectasse opinatus sim (vide supra p. 57) nunc, si recte eam Cratino maiori abiudicavi, ad Alexandrum Pheraeum pertinuisse coniicio. Hunc enim Bacchi cultorem fuisse inprimis studiosum docet Scholiastes Homeri Iliad. XXIV 428: *Θεόπομπός φησιν Ἀλέξανδρον Φεραῖον Διόνυσον τὸν ἐν Παγασαῖς, ὃς ἐκαλεῖτο Πέλεκος, εὐσεβεῖν διαφόρως. καταποντωθέντος δὲ Ἀλεξάνδρου Διόνυσος ὄναρ ἐπιστάς τινι τῶν ἁλιέων ἐκέλευσεν ἀναλαβεῖν τὸν φορμὸν τῶν ὀστῶν, ὁ δὲ ἀνελθὼν ἐς Κράννωνα τοῖς οἰκείοις ἀπέδωκεν, οἱ δὲ ἔθαψαν.* Quae etiam ob extrema Alexandri fata satis sunt memorabilia. De *καταποντώσει* tyranni Pheraeorum, quem ebrium [88]) interfectum esse constat e Xenophontis Hellen. VI 4 36, apud alios, si recte memini, nihil memoriae proditum est. Ceterum Alexander Pheraeus etiam ab aliis mediae comoediae poetis commemoratur, velut ab Ephippo apud Athenaeum III p. 112 f. Denique ab eodem Cratino scriptam fuisse suspicor *Βούσιριν* apud Polluc. X 81, quo titulo etiam ab aliis mediae

[88]) Vinolentiam hominis commemorat Conon Narr. 80. Grauertus in Niebuhrii et Brandisii Museo Rhen. II p. 62 titulum fabulae Cratineae de Paride interpretatur «cuius sub specie fortasse iudicium de dearum «pulcritudine et quae sequebantur ridicule exsequutus «est Dionysus.»

poetis comoediae fabulas inscriptas fuisse constat. V. supra p. 351.

EPICRATES, Ambraciota, teste Athenaeo lib. X p. 422 f, ubi diserte mediae poeta comoediae perhibetur. Is qua aetate vixerit, constat ex incertae fabulae fragmento apud Athen. II p. 59 d, in quo Platonem eiusque discipulos Speusippum et Menedemum lepidissime perstringit. Floruit igitur ante Olymp. CVIII. Aliud temporis indicium praebet fragmentum ex Antilaide servatum ab Athenaeo XIII p. 570 b, ubi Laidem, celeberrimi nominis scortum, tanquam vetulam quidem et *δόλιχον τοῖς ἔτεσιν ἤδη τρέχουσαν τὰς ἁρμονίας τε διαχαλῶσαν σώματος*, sed quae amare et amari non desierit tamen, commemorat. Quibus verbis si quinquagenariam describi ponimus, fabula illa ineunte Olymp. CI scripta fuerit necesse est, siquidem Laidis natales in Ol. LXXXVIII 2 incidere, ex multorum scriptorum testimoniis efficitur. V. Scholiastam Aristoph. Plut. 179 et Franc. Ritteri Dissert. de Pluto p. 21. Fabulas Epicratis Suidas s. v. *Ἐπικράτης* et Eudocia p. 66 commemorant duas, *Ἔμπορον* ab Athenaeo XIV p. 655 f laudatam et *Ἀντιλαΐδα*, cuius fragmenta servavit Athenaeus l. l. et XIII p. 605 e. Eiusdem tituli fabulam Cephisodoro tribuit Suidas, de quo supra p. 267 admonui. Inscriptionis rationem ab irrisione Laidis ductam putaverim, neque inepte compares *Ἀντιπορνοβοσκὸν* Dioxippi, quo titulo quin lenonis adversarius intelligendus sit vix dubitari potest. Praeter eas quas commemoravi Epicratis fabulas, Amazones eius laudantur ab Athenaeo X p. 422 f et *Δύσπρατος* ibid. IV p. 262 d, in quam fabulam nonnulla ex cognomine Antiphanis dramate transtulerat. Denique *Χορὸν* fabulam ei tribuit Aelianus H. A. XII 10. Ex incertis comoediis fragmenta supersunt apud Athen. II p. 59 d.

XI p. 782 f et Pollac. IV 121, quamquam ibi cod. Falckenb. *Φερεκράτης* habet.

OPHELIO. Suidas: *Ὠφελίων κωμικός. μέμνηται τούτου καὶ Ἀθήναιος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν. φησὶ δὲ τῶν δραμάτων αὐτοῦ εἶναι ταῦτα· Δευκαλίωνα, Κάλλαισχρον, Κένταυρον, Σατύρους, Μούσας, Μονοτρόπους*, sive potius, ut etiam Toupius Emend. I p. 458 voluit, *Μονότροπον*. Quibus addenda est Ialemus ex Athen. III p. 106 a, ubi etiam Callaeschrus laudatur. Ialemum docuit etiam Amphis, Callaeschrum Theopompus. De ceteris fabulis quas ex Athenaeo se petiisse Suidas dicit, nihil apud hunc legitur, quamquam ter Ophelionem omisso fabulae titulo ad partes vocat. Vid. lib. II p. 43 f. 66 d. 67 a. Quas postremo Suidas commemorat fabulas *Σάτυροι, Μοῦσαι, Μονότροπος*, eas eodem ordine Phrynicho assignat, nec dubito quin per errorem Ophelioni tribuantur. Ceterum mediae poetis comoediae Ophelionem accensui maxime propter Platonis commemorationem apud Athen. II p. 66 d. Adde quod iisdem quibus Eubulus versibus usus esse dicitur apud Athen. II p. 43 f, quo loco verissime Porsonus Ophelionis nomen restituit pro Phileta, quod me fugit Praef. Menandri p. X. Nec repugnant fabularum tituli. Si Callaeschrus, quem in cognomine fabula exagitavit, non diversus est ab eo qui Theopompo comoediae argumentum praebuit, fabulas Ophelio iam ante centesimam Olympiadem docuisse censendus est. Praeter allatos locos nusquam Ophelionis mentionem repperi, nisi quod apud Hesychium s. v. *Ἰσις* in Philemonis nomen abiisse videtur. V. Praef. Menandri p. XI.

ANTIDOTUS. De hoc perpauca sunt quae tenemus. Mediae fuisse poetam comoediae, hoc satis docet, quod Alexidis *Ὁμοία* ab aliis Antidoto tribuebatur. Vid. Athen.

XIV p. 642 d. Praeterea scripsit *Μεμψίμοιρον*, de qua vide Athen. l. l. p. 656 e, et *Πρωτόχορον*, quam commemorat idem III p. 109 c. VI p. 240 b. Eiusdem nominis fabula ferebatur inter Alexideas. V. supra p. 392. Praeterea Antidoti nomen probabili coniectura Athenaeo I p. 28 e restituit Kiddius a Dindorfio laudatus. Ac fortasse etiam apud Pollucem VI 99 *γευστηρίου μὲν Ἀριστοφάνης μέμνηται — μανοῦ δὲ Νίκων ἐν Κιθαρῳδῷ — ὀλκαίου δὲ Ἀντίοχος*, scribendum est *Ἀντίδοτος*. Antiochi enim, de quo cfr. Phrynichum Ecl. p. 84, in tali quidem loco parum apta est inter comicos testes commemoratio. Sed haec incerta sunt.

AUGEAS. Suidas: *Αὐγέας Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Ἄγροικος, Πορφύρα, Δὶς κατηγορούμενος. ἔστι δὲ τῆς μέσης κωμῳδίας.* Eadem Eudocia p. 69, nisi quod *Πυρφόρα* habet pro *Πορφύρα*, qui est etiam Xenarcheae vel Timocleae fabulae titulus. Hunc Augeam sunt qui non diversum esse statuant ab eo qui *Ἀγίας* dicitur apud Polluc. III 36, velut Fabricius Bibl. Gr. II p. 425. Sed de Pollucis loco vide quae supra diximus, ubi de Amphide agebatur p. 371. Paullo speciosius apud Antiattic. p. 113 scribas *Αὐγέας Ζωγράφῳ* pro *Ἁγίας*, quamquam hic etiam *Ἄμφις* vel *Ἀμφίας* praefero. In eo autem manifesto lapsus est Fabricius, quod ad eundem nostrum Augeam Clementis Alexandrini locum Strom. VI p. 622 d pertinere voluit, ubi quum vulgo legatur: *Αὐγίας ἐποίησεν·*

Δῶρα γὰρ ἀνθρώπων νόον ἤπαφεν ἠδὲ καὶ ἔργα,

non sine veri specie Thierschius Act. Monac. II 4 p. 585 pro *Αὐγίας* scribit *Ἁγίας* [89]), Hagiam intelligens Troeze-

---

[89]) Rectius fortasse *Ἀγίας* scribitur, quod nomen ab *Ἆγις* formatum est ut *Ἀμφίας* ab *Ἄμφις* et alia eius-

nium, *νόστων* auctorem haudquaquam obscurum, quem commemorat etiam Scholiastes Eurip. Troad. 14 *οἱ περὶ Ἀγίαν καὶ Δέρκαλον*, sive potius *Δερκύλον*. Ipse aliquando apud Clementem Asii nomen latere putabam, quod simili modo depravatum legebatur olim apud Pausan. II 6. Itaque de Augea poeta comico praeter ea quae Suidas de eo scripsit, tenemus nihil. Nominis *Αὐγέας* vel *Αὐγείας* viro impositi exemplum praeter fabulosum illum regem Eleorum servavit Aelianus H. A. XII 41 et Tzetzen Chil. IV 245.

AXIONICUS. Hunc recte mediae poetis comoediae adnumerari colligi posse videtur ex argumento fabulae *Φιλευριπίδης* inscriptae, qua ineptum Euripideae poesios amorem risisse poetam docet locus apud Athenaeum IV p. 175 b:

> *οὕτω γὰρ ἐπὶ τοῖς μέλεσι τοῖς Εὐριπίδου*
> *ἄμφω νοσοῦσιν, ὥστε τἄλλ᾽ αὐτοῖς δοκεῖν*
> *εἶναι μέλη γιγγραντὰ καὶ κακὸν μέγα.*

Quamquam tale argumentum a novae comoediae ingenio non plane alienum fuisse docet Philippidis exemplum, cuius *Φιλευριπίδης* laudatur a Polluce IX 38. 88 et Antiatt. p. 112. Cfr. tamen p. 241 sq. Sed manifesto mediae comoediae poetam prodit liberior spiritus in alio eiusdem dramatis fragmento conspicuus quod servavit Athenaeus VIII p. 342 b, ubi Calliam oratorem nescio quem et Moschionem, non nisi a mediae poetis comoediae (Stratone apud Athen. IX p. 382 d, Callicrate ibid. XIII p. 586 a et Alexide ibid. VI p. 242 c) commemoratum, acerbo sale perfricuit. Aliud aetatis indicium praebet fabula *Χαλκιδικὸς* inscripta apud Polluc. X 122, Athen. III

---

dem generis, quae supra attigi p. 404. Agis (*Ἆγις*) Argivus, poeta pessimus, Alexandri M. in Asia comes, ab uno commemoratur Curtio lib. VIII 5.

p. 95 c et VI p. 239 f, ubi parasitum inducit, qui se iuvenem cum Philoxeno, Eryxidis filio, quem ex Anaxagorae disciplina profectum esse testatur Aeschines apud Athen. V p. 220 b cll. Schweighaeusero ad lib. I p. 6 b, parasiticam artem factitasse gloriatur. Alexandri tamen aetatem attigisse Axionicum, e fabula *Τυρρηνὸς* inscripta apud Athen. IV p. 166 c et VI p. 244 f (ubi ante Dindorfium legebatur *Τυρρηνικῷ* pro *Τυρρηνῷ*) intelligitur, ubi Gryllionem habemus, quem Phrynae meretricis et Menandri, unius e ducibus Alexandri, parasitum fuisse constat. Praeter eas quas commemoravi fabulas laudatur Axionici *Φίλιννα* Athen. X p. 442 a. Ex incerta fabula unum superest fragmentum apud Stobaeum Serm. II 2.

CALLICRATES. Hunc semel tantum commemoratum video in fabula *Μοσχίων* inscripta apud Athenaeum XIII p. 586 a, ubi propter Sinopes commemorationem simul cum Antiphane et Alexide ad partes vocatur, ut recte mediae poetis comoediae accenseri videatur. Accedit fabulae titulus ab eodem ille haud dubie Moschione derivandus, de quo modo diximus.

DROMO. Huius *Ψάλτριαν* habemus apud Athen. IX p. 409 e et VI p. 240 d, ubi Tithymallus parasitus commemoratur, cuius quum non nisi a mediae poetis comoediae mentio fiat, ab Alexide in Milesia Ulixe Olynthia, a Timocle in Centauro Cauniis Epistolis, denique ab Antiphane in Tyrrheno, Dromonem eidem aetati assignare non dubitavimus. Eiusdem tituli fabulam scripsit Eubulus. V. p. 367.

DIODORUS Sinopensis. Suidas: *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Αὐλητρίς, ὡς Ἀθήναιος ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν λέγει. ἐν δὲ τῷ ιβ´ φησὶν ὅτι Ἐπίκληρος καὶ Πανηγυρισταί* Ex his *Αὐλητρὶς* laudatur sane ab Athenaeo X p. 431 c et *Ἐπίκληρος* non quidem

libro XII, at libro VI p. 235 e et 239 b. *Πανηγυριστῶν* autem, quo nomine Platonis vel Batonis fabula ferebatur, in nostro Athenaeo nec vola nec vestigium. Mediae poetis comoediae eum assignavi propter titulum apud Boeckhium Inscr. I p. 354, ubi Diodorus archonte Diotimo h. e. Olymp. CVI 3 *Νεκρὸν* et *Μαινόμενον* docuisse dicitur, histrione usus Aristomacho. Ex incerta fabula unum fragmentum servatum est a Stobaeo Serm. LXXII 1. Nam de alio eiusdem Stobaei loco Serm. CXXV 8 statim dicemus.

DIONYSIUS, item Sinopensis, ut constat Athenaei indicio lib. XI p. 467 d. 497 c et XIV p. 615 e. Antiquis hunc comicis accenset Casaubonus ad Athen. XI p. 467 d, quod fragmentorum indoles satis refellit. Circa Olymp. C vixisse videtur Fabricio Bibl. Gr. II p. 437, quod ut verum esse facile concedo, argumentorum tamen nihil attulit vir doctus. Archestrato, nobilissimo auctore *Γαστρονομίας*, fuisse minorem, docet locus e fabula *Θεσμοφόρος* inscripta servatus ab Athen. IX p. 405 b, eademque ferme cum Nicostrato, Aristophanis filio, aetate fabulis scribendis operam dedisse, non male coniicias ex iis quae ex huius *Σύρῳ* et Dionysii *Ὁμωνύμοις* (quae fabula laudatur etiam lib. IX p. 381 c) de Cephisodoro attulit Athen. XIV p. 615 f. Eundem tamen Macedonica tempora attigisse, intelligitur e fragmento fabulae *Ἀκοντιζόμενος* apud Athenaeum XIV p. 664 d, ubi *ματτύην* commemorat, quod edulii genus sub Macedonum demum imperio Athenas introductum esse diserte testatur Athen. XIV p. 662 f. Sed utcunque de aetate Dionysii statuatur, certe mediae fuit poeta comoediae, ut vel ea docent quae refert ex una eius fabularum Scholiastes Hom. Iliad. λ 515, referens ille, Dionysium Herculem induxisse aegrotantem Silenumque morbo eius mederi conantem admoto clystere: *αἰσχρὸν γὰρ ἦν τὸν ἥρωα πυρέττοντα πα-*

ϱαλαβεῖν (fort. παραβαλεῖν) καὶ κενούμενον τὴν γαστέρα ἢ προποτιζόμενον. ταῦτα γὰρ κωμικά, ὡς καὶ τῷ Διονυσίῳ πεποίηται ἐν Λιμῷ τῶν νόσων Ἡρακλῆς, Σειληνὸς δὲ κλύζειν πειρᾶται τὸν Ἡρακλέα. Argumentum, ut vides, a nova certe comoedia alienum. Pro νόσων scribendum νοσῶν, in corruptis autem illis Λιμῷ τῶν fabulae titulus latet, quem sagacioribus eruendum relinquo. °°) Praeter commemoratas fabulas laudatur Dionysii Σώζουσα ab Athen. XI p. 467 d. 497 c et Σωτείρας nomine a Stobaeo Serm. CXXV 8, ubi tamen Trincavellus Diodori nomen adscripsit. Sed recte ceterae Stobaei editiones cum cod. A habent Διονύσιος, quem rursus ad partes vocat Stobaeus Serm. XXXVIII 2, qui quas praeterea affert Dionysii χρήσεις, non Sinopensis sunt sed Syracusani, quem nullas scripsisse comoedias, quamvis affirmante Suida, certissimum est. Denique nostro Dionysio Meursius Fabricius alii comoediam tribuunt Ταξίαρχαι inscriptam laudatamque a Suida s. v. Φορμίων. Sed de hoc loco vide quae p. 193 disseruimus. Quam supra commemoravi fabulam Ἀκοντιζόμενος inscriptam fortasse latine reddidit Naevius, cuius Acontizomenum laudat Charisius.

ERIPHUS, Antiphanis, cuius aliquot versibus tanquam suis usus est teste Athen. III p. 84 b, vel aequalis vel non multo inferior, mediae certe poeta comoediae, ut vel fabularum tituli indicant: Αἴολος apud Athen. IV p. 134 c. Μελίβοια ibid. III p. 84 b. VII p. 302 e. XV p. 693 c, Antiattic. p. 98. Πελταστής IV p. 137 d, nisi ea Ephippi fabula est, de cuius Peltasta supra p. 351 dictum est. Sed

---

°°) Neque enim valde placet quod cuivis in mentem veniat Λιμῶττοντι. Paullo speciosius coniicias Λίνῳ. De Alexidis Lino, in qua Herculis magnae partes fuerunt, supra dictum est p. 391.

nihil impedit quo minus utrumque *Πελταστὴν* scripsisse credamus. Easdem fabulas ex Athenaeo affert Suidas s. v. *Ἔριφος*. Cfr. Eudocia p. 167. Tacito dramatis titulo semel laudatur ab Athenaeo II p. 58 a, quo loco qui usus est Eustathius ad Hom. p. 1686 43 Eriphum *λογίου ἀνδρὸς* titulo condecoravit. Denique ut nihil eorum quae ad hunc poetam spectant omittam, A. Schottus parum felici coniectura Eriphi nomen pro Euripide restitui voluit apud Dionysium Halic. Rhet. p. 413 Rsk.

EUBULIDES. Huius *Κωμαστὰς* laudat Athen. X p. 437 d *τῇ ἑορτῇ τῶν Χοῶν ἔθος ἐστὶν Ἀθήνησι πέμπεσθαι δῶρά τε καὶ τοὺς μισθοὺς τοῖς σοφισταῖς, οἵπερ καὶ αὐτοὶ συνεκάλουν ἐπὶ ξενίᾳ τοὺς γνωρίμους, ὥς φησιν Εὐβουλίδης ὁ διαλεκτικὸς ἐν δράματι Κωμασταῖς οὕτως·*

Σοφιστιᾷς, κάκιστε, καὶ Χοῶν δέει
τῶν μισθοδώρων, οὐκ ἀδείπνων ἐν τρυφῇ.

Non diversus igitur fuit a celebri illo dialectico Milesio, Euclidis auditore et Aristotelis adversario, de quo vide Diogen. Laert. II 108 et ibi Menag. vol. II p. 125. Eiusdem philosophi librum de Diogene idem laudat Diogenes VI 20 et pleniore titulo ibid. 30: *Εὔβουλος* (Menag. *Εὐβουλίδης*) *δέ φησιν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Διογένους πρᾶσις οὕτως ἄγειν τοὺς παῖδας τοῦ Ξενιάδου* etc., ex quo loco *Διογένους πρᾶσις* inter Eubuli fabularum titulos receptum est a Meursio aliisque. Sed recte Menagius nostrum Eubulidem intellexit, nisi quod praeter necessitatem *Εὔβουλος* in *Εὐβουλίδης* mutavit. Cfr. T. Hemsterh. ad Luciani Tim. 44.

HENIOCHUS, Atheniensis, mediae poeta comoediae, testante Suida, qui has eius fabulas commemorat: *Τροχίλος, Ἐπίκληρος, Γοργόνες, Πολυπράγμων, Θωρύκιον, Πολύευκτος, Φιλέταιρος, Δὶς ἐξαπατώμενος.* Ex his Trochilum (quod servi nomen videtur) commemorat Athen. IX p. 408 a,

ubi ridetur Pauson, philosophus ut videtur Pythagoreus, Gorgones idem lib. XI p. 483 e, *Πολυπράγμονα* lib. VI p. 271 a et Polyeuctum lib. IX p. 296 d, ubi verba *Ἡνίοχος Πολυεύκτῳ* etc. negligentius inspecta in causa fuerunt, ut Suidas comicum poetam Polyeuctum fingeret, quem scripsisse dicit fabulam *Ἡνίοχος*. Vide s. v. *Πολύευκτος*. De quo errore admonuit iam Casaubonus. Polyeuctus autem, qui fabulae nomen fecit, non dubito quin sit Sphettius, Demosthenis in tractanda republica socius celeberrimus, sed idem a luxuria, quam in eo Anaxandrides Ter. I notavit, non alienus. De eo optime omnium dixit Ruhnkenius Histor. crit. orat. p. LXXX. Ceterarum fabularum a Suida commemoratarum nihil servatum est. Pro *Θωρύκιον* scribendum videtur *Θωρυκίων*, cuius nominis exemplum habemus apud Aristoph. Ran. 365. 383. Nisi *Θορίκιοι* fabulae titulus fuit, quo nomine etiam Antiphanis drama inscriptum fuisse constat. Fabularum a pagis Atticis nominatarum exempla composuit Elmsleius ad Aristoph. Acharn. 177, sed neglexit Timoclis Marathonios et ipsos illos Antiphanis Thoricios, quibus addendus fortasse Diphili *Ἐπιτροπεύς*, de quo infra dicam, et Magnetis *Τιτακίδης* V. p. 35. Praeterea semel laudatur Heniochus a Stobaeo Serm. XLIII 27, ubi dolendum est non additum esse fabulae titulum. Nam fragmentum ipsum satis memorabile est, si quidem graecas urbes personatas a poeta in scenam inductas esse inde cognoscimus, qua in re imitatus est Eupolidem in *Πόλεσιν* et Aristophanem in *Νήσοις*.

HERACLIDES. Huius *Ξενίζων* commemoratur ab Athenaeo X p. 414 d *Ἡράκλειτος δ' ἐν τῷ Ξενίζοντι Ἑλένην φησί τινα γυναῖκα πλεῖστα βεβρωκέναι*. Scribe *Ἡρακλείδης*, quem iterum ad partes vocat Athen. XII p. 532 e, ubi Philippi Macedonis ducem mercenarium Adaeum ludibrii caussa *Ἀλεκτρυόνα* dictum irridet. Adde Zenobium VI

34: *Φιλίππου ἀλεκτρυών — μέμνηται δὲ αὐτοῦ Ἡρακλείδης ὁ κωμικὸς καὶ Ἀντιφάνης.* Eiusdem Heraclidae nomen fortasse Athenaeo VII p. 325 d restituendum est, ubi vulgo legitur *Χαρικλείδης ἐν Ἀλύσει.*

MNESIMACHUS, poeta inprimis elegans, ut docet egregia illa ecloga ex Hippotropho apud Athen. IX p. 402 f. Eum novae comoediae assignat Eudocia p. 303, mediae Suidas s. v. *Μνησίμαχος* et Athenaeus VII p. 329 d. Idque verissimum esse etiam fabularum tituli demonstrant. Ex his quam *Ἀλκμαίων* inscripsit teste Diogene Laert. VIII 37, non ad fabulosum illum Alcmaeonem, sed ad philosophum Pythagoreum, de quo praeter alios cfr. Diogenem Laert. VIII 83, spectasse haudquaquam incredibile videbitur ipsum illud quod Diogenes attulit fabulae fragmentum contemplanti,

ὡς Πυθαγοριστὶ θύομεν τῷ Λοξίᾳ,
ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίοντες παντελῶς.

Cognominem Amphidis fabulam in eodem haud dubie argumento versatam supra attigimus p. 405. *Βούσιριν* praeter Suidam laudat Athenaeo X p. 417 e. *Δύσκολον* idem VIII p. 359 c. *Ἱπποτρόφον* Suidas et Athenaeus VII p. 301 d. 322 e. IX p. 402 f. *Ἰσθμιονίκην* Aelian. H. A. XIII 4. *Φίλιππον* Suidas et Athen. VIII p. 338 b. IX p. 387 b. X p. 418 b. 421 b. Argumentum fabulae ad Macedoniae regem pertinuisse haud temere coniicias. His adde *Φαρμακοπώλην* apud Scholiastam Aristoph. Av. 471 *Μνησίλοχος ἐν Φαρμακοπώλῃ*, ubi recte Menagius ad Diogen. Laert. vol. II p. 80 corrigit *Μνησίμαχος*. Ex incerta fabula unum superest fragmentum apud Schol. Iliad. Ξ 232.

PHILISCUS. Hunc mediae fuisse poetam comoediae fabularum tituli indicant, quos hoc ordine recenset Suidas: *Ἄδωνις, Διὸς γοναί, Θεμιστοκλῆς, Ὄλυμπος,*

Πανὸς γοναί, Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναί, Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος. Easdem Eudocia commemorat p. 427, sed omissis *Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναῖς*, in quibus offendit etiam Lobeckius Aglaoph. I p. 437. Cfr. tamen supra p. 282. Circa Olymp. C floruisse Philiscum e Plinii loco H. N. XXXV 10 colligas, ubi quae Parrhasii tabula commemoratur, in qua Philiscum et Liberum patrem adstante Virtute pinxerit, eam ad nostrum Philiscum trahendam esse perspecte monuit Naekius Sched. crit. p. 26. Cfr. Siliigii Catal. Artif. p. 320. Praeter fabulas a Suida commemoratas, Philisci *Φιλαργύρους* habemus apud Stobaeum Serm. LXXIII 53. Sed Themistoclem ut a nostro Philisco scriptam fuisse credam vix a me impetro, ac valde vereor ne ea Philisci tragici fabula fuerit. Historicorum argumentorum a tragicis graecis tractatorum exempla quaedam posui in Miscell. quaest. I p. 30. Fragmenta Philisci comici, praeter illos apud Stobaeum versus e *Φιλαργύροις* sive potius, ut equidem opinor, *Φιλαργύρῳ* et praeter duos alios ex incerta fabula ab eodem Stobaeo Flor. XXIX 40 servatos, habemus nonnisi duo, quorum alterum servavit Dicaearchus Vit. Hellad. in Gronovii Thesauro vol. XI p. 33 a *χρηστῶν σφόδρ' ἐστὶ Χαλκὶς Ἑλλήνων πόλις*, alterum legitur in Anthol. Palat. II p. 445. *Ὁ Πειραιεὺς κάρυον μέγ' ἐστὶ καὶ κενόν*, quem versum cur Philisco rhetori Milesio tribuat Iacobsius Catal. Poet. Anth. p. 936 nihil causae video.

SIMYLUS. Hunc archonte Diotimo h. e. Olymp. CVI 2 fabulas docuisse, manifestum est e titulo apud Boeckhium Inscr. I p. 353, ubi e fabulae indice extremae tantum litterae *σίᾳ* servatae sunt. Boeckhius *Ἐφεσίᾳ* fuisse suspicatur. Eiusdem *Μεγαρικὴ* laudatur apud Polluc. X 42 *τάχα δὲ καὶ περιστρώματα. εἴρηται γὰρ παρά τε Φιλίστου ἐν τῇ ἕκτῃ καὶ*

ἐν τῇ Σιμύλου Μεγαρικῇ. Ex incertis fabulis fragmenta servarunt Theophilus ad Autol. III p. 385. Stobaeus Serm. LX 4 et Io. Damasc. Parall p. 433 Lips. Simylum hunc non diversum fuisse a Simylo histrione tragico, de quo vide Maussacum ad Harpocrat. p. 317 [91]) suspicantur Salmasius ad Polluc. l. l. et Boeckhius. Quod mihi haudquaquam probabile videtur, qui non credam ullum unquam histrionem tragicum simul comoediarum actorem fuisse, quam in rem Platonis loco uti licebit Polit. III p. 395 B: ἀλλ' οὐδέ τοι ὑποκριταὶ κωμῳδοῖς τε καὶ τραγῳδοῖς οἱ αὐτοί.

SOPHILUS. De hoc ita Suidas: Σώφιλος [92]) ὄνομα κύριον, Σικυώνιος ἢ Θηβαῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. δράματα αὐτοῦ Κιθαρῳδός, Φίλαρχος (Athen. III p. 100 a, ubi ante Dindorfium edebatur Φύλαρχος, et ib. p. 125 e), Τυνδάρεως ἢ Λήδα καὶ Δηλία (ita Kusterus e codd. pro Δημία, quod servat Eudocia), ὥς φησιν Ἀθήναιος, καὶ Χειρίδιον (Eudocia Χοιρίδιον, apud Athen. X, p. 431 a recte Ἐγχειρίδιον) καὶ Παρακαταθήκη, quam et ipsam habet Athen. XIV p. 640 d, a quo praeterea commemorantur Sophili Συντρέχοντες III p. 125 e et Ἀνδροκλῆς III p. 123 e. VI p. 228 b. Eandem Valckenarius restituebat II p. 67 f τὸ δὲ ῥῆμα (ἀρτῦσαι) κεῖται παρὰ Σοφοκλεῖ· ἐγὼ μάγειρος ἀρτύσω καλῶς, corrigens παρὰ Σωφίλῳ ἐν Ἀνδροκλεῖ Sed ea valde incerta coniectura est. De argumento Androclis cfr. p. 275. Citharoedi, Tyndarei vel Ledae et Deliae nullum in nostris Athenaei exemplaribus vestigium. Denique Sophili Γάμοι laudantur

---

[91]) Fortasse is idem est quem Simum vocat Alexis Athenaei IV p. 144 d.

[92]) Aliud nomen Σώφιλος, aliud Σόφιλος vel Σόφιλλος (Arcad. p. 54, 14). Comicus scribitur Σώφιλος. Σόφιλλος Sophoclis pater vocabatur.

a Diogene Laert. II 120 *προσεσκώφθη δὲ* (Stilpo) *ὑπὸ Σωφίλου τοῦ κωμικοῦ ἐν δράματι Γάμοι. Στιλπωνός ἐστι βύσμαθ' ὁ Χαρίνου λόγος.* Ita Huebnerus dedit ex emendatione Casauboni pro *Σοφίλου* et *γάμου.* At pro *Σοφίλου* Arund. et edit. Frob. praebent *Φίλου*, quod in *Διφίλου* cum Aldobrandido mutavit Menagius, et recte quidem, ut opinor, siquidem Stilponem floruisse constat sub Ptolemaeo Sotere et Demetrio, Antigoni filio, vix ut Sophilus, quem circa Olymp. CVIII vixisse suspicari licet, Stilponem commemorare potuerit. Adde quod *Γάμος* in Diphili fabulis recensetur ab Athenaeo, et *Διφίλου* nomen in *Φίλου* abiit etiam in libris Athenaei IV p. 133 f et VI p. 226 e. Quamquam quum illud *Διφίλου* mera coniectura e *Φίλου* effictum sit, non minus probabiliter Philemonis nomen reponendum coniicias. Huius autem *Γάμος* notissima est fabula. Denique pro *Γάμοι*, ut pro *Γάμου* edidit praeeunte Casaubono Huebnerus, legendum est *Γάμῳ*, quo ducit scriptura cod. Reg. *γάμωι.* Ex incertis Sophili fabulis pauca servata sunt fragmenta. V. Athenaeum II p. 54 f. IV p. 158 a et Io. Damasc. p. 396 Lips. ubi male scriptum est *Σοφίλου.*

SOTADES, Atheniensis, quem diserte Athenaeus VII p. 293 a mediae poetam comoediae fuisse et probe distinguendum esse scribit a Sotade Maronita, Ionicarum cantilenarum auctore celeberrimo. Eius duo supersunt fabularum tituli, *Ἐγκλειόμεναι* apud Athenaeum l. l. et Antiatt. p. 102, ubi vocatur *Ἐγκλειόμενοι*, et *Παραλυτρούμενος* apud Athen. IX p. 368 a. Utramque Suidas s. v. *Σωτάδης* et Eudoc. p. 384 male tribuunt Maronitae. Sed *Ἄδωνιν* ab Hephaest. p. 8 Gaisf. laudatam recte Maronitae assignavit Fabric. Bibl. Gr. II p. 496, quod confirmat ad Hephaestionis locum Scholiastes.

STRATO. Suidas et Eudoc. p. 385: *Στράτων, κωμι-*

κὸς τῆς μέσης κωμῳδίας· τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Φοίνιξ. Quae fabula non dubitari potest, ut equidem opinor, quin eadem sit quam Phoenicidem appellat Athen. IX p. 382 c *ὁ παρὰ Στράτωνι μάγειρος ἐν τῷ Φοινικίδῃ*, ubi Koppiersius Observ. p. 24 et Villoisonus Proleg. ad Apollon. Lex. p. XXII, quum passim Strattidis nomen in Stratonem abiisse vidissent, illum Suidae Stratonem fictitium esse opinantes, etiam apud Athenaeum Strattidis nomen reponendum esse statuerunt, et Villoisonus quidem ita ut etiam *Φοινικίδῃ* in *Φοινίσσαις*, quae notissima est Strattidis fabula, mutandum putaret. Sed ne Strattidem aliumve antiquae comoediae poetam illius fabulae auctorem habeamus, plurima in ipso illo fragmento insunt quae prohibeant. Ut enim Philetae commemorationem omittam, quis non miretur in antiquae comoediae fabula *μαγείρου* personam in scenam produci? His adde frequentem (vs. 2. 15. 16. 41) in tam brevi fragmento usum formae *οὐδὲ εἷς* pro *οὐδεὶς* apud veteres illos Atticos longe rarissimae. V. Porson. Praef. Hec. p. XXXVI ed. nov. et Dindorf. ad Aristoph. Ran. 95. Porro vs. 19 habemus *θύειν* prima syllaba correpta et vs. 26 formam *οἶδας*, quorum neutrum ullus unquam Atticorum poeta ante Olymp. C ausus est. Recte igitur Stratoni tribuitur fragmentum illud, neque quidquam causae video cur Stratonem comicum poetam [93]) fuisse negemus; quamquam num recte hunc Suidas mediis comicis adnumeraverit merito dubitari posse videtur. Nam qui vs. 43 his verbis commemoratur Philetas:

ὥστε με
τῶν τοῦ Φιλητᾶ λαμβάνοντα βιβλίων
σκοπεῖν ἕκαστα τί δύναται τῶν ῥημάτων,

[93]) Alius est Strato *κωμῳδὸς* a Fabricio e Plutarchi Symp. V 1 commemoratus.

profecto non diversus censeri potest a celebri illo grammatico et poeta Coo, qui quum Olymp. CXX floruisse videatur, Stratonem novae potius quam mediae poetam comoediae fuisse censebimus. Ac nescio an id etiam eo confirmari possit, quod priores tres versus cum initio quarti in usus suos convertit Philemo apud Athen. XIV p. 659 b. Quamquam huic argumento non nimium tribuerim.

TIMOTHEUS. Suidas: *Τιμόθεος Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Πύκτης, Παρακαταθήκη, Μεταβαλλόμενος ἢ Μεταφερόμενος. καὶ Κυνάριον Τιμοθέου δρᾶμα, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς αὐτοῦ.* Scil. lib. VI p. 243 d. Ceterarum fabularum nihil servatum est. *Πύκτην* in Timoclis fabulis commemorari videbimus. *Παρακαταθήκην* docuerunt Aristophon Sopater Sophilus Timostratus, *Μεταφερομένους* Posidippus. Inscite Harlesium Bibl. Gr. II p. 505 eidem Timotheo tribuisse Cyclopem, quod Timothei dithyrambographi carmen fuisse constat, verbo monuisse sufficiat. Omisso fabulae titulo semel laudatur Timotheus ab Io. Damasc. p. 392 Lips.

TIMOCLES, Atheniensis, poeta, quantum e fragmentis coniicere licet, unus omnium maxime ingeniosus summaeque, ut temporibus illis, in dicendo libertatis, idemque elegantiae dictionis tam studiosus ut in satis magno fragmentorum numero vix ullum orationis a genuino Atticorum usu desciscentis exemplum reperias. Quod in fragmento ex *Διονυσιαζούσαις* apud Athenaeum VI p. 223 libri habent *ἀνεύρατο* recte sustulisse videtur Dindorfius. *Γλωττόκομον* pro eo, quo antiqui usi sunt, *γλωττοκομεῖον* e Timoclis *Βαλανείῳ* exsignavit Pollux X 154. Verbum *αἱμωδιᾶν* pro *αἱμωδεῖν* dixit in *Ἐπιχαιρεκάκῳ* apud Athenaeum VI p. 241 a. Praeterea nihil eiusmodi reperias, nisi forte ipsum illud

ἐπιχαιρέκακος ab Atticistis damnatum. De Hesychii glossa, *Ἀπυξίνου: ἀπονεύρου, Τιμοκλῆς*, nihil certi dicere licet. *Τὠλύμπια* insolita crasi dixit in fragmento *Δρακοντίου* apud Athen. VI p. 237. Mediae Timoclem fuisse poetam comoediae docet Plutarchus Vit. Orat. p. 845 B: *προελθὼν δὲ* (Demosthenes) *πάλιν εἰς τὰς ἐκκλησίας νεωτερικῶς τινα λέγων διεσύρετο, ὡς κωμῳδηθῆναι αὐτὸν ὑπὸ Ἀντιφάνους καὶ Τιμοκλέους·*

Μὰ γῆν, μὰ κρήνας, μὰ ποταμούς, μὰ νάματα.

Quae spectant ad priora Demosthenis tempora. Eundem ridet in Heroibus apud Athen. VI p. 224 a et simul cum Moerocle et Hyperide aliisque acerbissime perstringit propter pecuniam ab Harpalo acceptam in Delo sive Delio ibid. VIII p. 341 e. Hyperidem iterum exagitat in Icariis [94]) ibid. VIII p. 342 a. His adde Tithymalli irrisionem in Cauniis et in Centauro sive Dexameno [95]) ibid. VI p. 240 a. d. Phidippi salsamentarii in *Λήθῃ* IX p. 407 a. Callimedontem in *Πολυπράγμονι* VIII p. 339 e. Ctesippi in *Δημοσατύροις* IV p. 165 f. Telemachi Acharnensis, qui Cephisidori oratoris aequalis fuit, in *Διονύσῳ* IX p. 407 e et Misgolae citharoedi, de cuius aetate supra dictum est, in Sapphone VIII p. 339 a. Nec negligendus in hac causa Alexidis locus apud Athen. III p. 120 a, ubi ad Timoclis Icarios respicitur. [96]) Non igitur dubitari potest quin recte

---

[94]) *Ἰκάριοι* iterum laudantur VIII p. 339 d. At IX p. 407 f citatur *Τιμοκλῆς ἐν Ἰκαρίοις σατύροις*, pro quo fortasse *Ἰκαρίοις ἢ Σατύροις* scribendum. *Σάτυροι* satis frequens comoediarum titulus fuit.

[95]) Suidas alteram tituli partem omittit. De Dexameno Centauro satis constat ex Apollodoro aliisque. Ab eodem Cleophontem tragoediae argumentum duxisse Suidae testimonio constat vol. II p. 324.

[96]) Timoclem Alexis etiam alio loco commemorat apud

Timoclem mediis comicis accensuerim; neque repugnat, ut equidem opinor, Pollux X 154, qui quum eum τοῖς νεωτέροις adnumerat, non proprie loqui censendus est, sed serioris aetatis scriptores antiquis opponit. Eundem tamen Menandri tempora attigisse, utriusque poetae χρήσεις docent apud Athen. VII p. 245 c sqq. ubi Chabriae filius ridetur Ctesippus. Ceterum Suidae errorem duos distinguentis Timocles, quorum alteri tribuit Δημοσατύρους. Κένταυρον, Καυνίους, Ἐπιχαιρέκακον, Φιλοδικαστήν, Πύκτην, alteri autem Διονυσιαζούσας, Πολυπράγμονα, Ἰκαρίους, Δῆλον, Λήθην, Διόνυσον, Κονίσαλον, Πορφύραν, Ἥρωας, Δρακόντιον, Νέαιραν, Ὀρέστην, Μαραθωνίους, hunc igitur errorem post Meursium et Kusterum notavit iam Schweighaeuserus, qui tamen quum eundem nostrum Timoclem etiam tragoediarum poetam fuisse censet, multum fallitur. Nam Athenaeus IX p. 407 b, quum scribit Τιμοκλῆς ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής, ἦν δὲ καὶ τραγῳδίας, his verbis Timoclem tragicum a Timocle comico distinxisse putandus est, quamquam de tragico qui praeter Athenaeum tradiderit scio neminem, nisi forte, quod non puto, apud Plutarchum Vit. Timol. 36, ubi haec tanquam Sophoclis verba afferuntur:

ὦ θεοί, τίς ἄρα Κύπρις ἢ τίς Ἵμερος
ξυνήψατ' αὐτοῦ;

ex aliis libris Timoclis nomen restituendum est. [97]) Prae-

Athenaeum X p. 443 d, ubi bibacitatem eius perstringit, ὁ μὲν οὖν ἐμὸς υἱός, οἷον ὑμεῖς ἀρτίως|εἴδετε τοιοῦτος γέγονεν· Οἰνοπίων τις ἢ|Μάρων τις ἢ Κάπηλος ἢ καὶ Τιμοκλῆς·|μεθύει γὰρ οὐδὲν ἧττον. Nisi forte is alius est Timocles a comico poeta diversus.

[97]) Qui a Photio Bibl. 167 p. 113 Bekk. inter poetas ab Ioanne Stobaeo excerptos memoratur Timocles a comico non diversus est. De Timocle Syracusano, quem Suidas in Orphicorum librorum auctoribus numerat, ne Lobeckius quidem Aglaoph. p. 359 quidquam comper-

ter undeviginti illos, quos ex Athenaeo attulit Suidas, dramatum titulos. ab eodem Athenaeo laudantur Timoclis *Αἰγύπτιοι* VII p. 300 a, ubi quod quattuor trimetrorum fragmentum servatum est, eius tres versus affert etiam Phaedrus Epicureus de Nat. deor. p. 25 Pet. ubi quidem *Τιμοκλῆς ἐν Αἰγύπτῳ* (ita vol. Herc.) *δράματι* legitur. Porro *Δακτύλιος* affertur ab Athen. II p. 295 b. *Ἐπιστολαὶ* VI p. 240 e. 243 b. *Σαπφὼ* VIII p. 339 a. *Ψευδολησταὶ* III p. 109 c. Quibus adde *Βαλανεῖον* e Polluce X 154 et *Ποντικὸν* e Stobaeo Serm. XCVI 22, ubi quod in margine scriptum legitur *Τιμοκλέους Ποντικοῦ*, ad patriae notationem traxerunt Gesnerus et Gaisfordius. Eiusdem tituli fabulas scripserunt Antiphanes Alexis Epigenes. Neaeram ab Athenaeo XIII p. 567 c laudatam etiam a Suida commemorari s. v. *ἀνάριστος* perspexit Toupius Emend. I p. 50.

---

tum habuit. Praeterea unum eiusdem nominis scriptorem commemorare iuvat, quem tanquam insignem mendaciorum architectum carpit Photius Epist. 55 p. 111. *Τιμοκλέα ποτέ, μᾶλλον δὲ Χλονθάχονθλον τὸν Ὀφιοκανόν (δεῖ γὰρ ὡς ἔοικε καὶ τὰ ὀνόματα τερατεύεσθαι) κουρίζων ἴσως ἢ μειρακίζων τοῖς μαθήμασιν ἤκουσας, Ὀφιοκανῶν ἐκείνων, οὓς αὐτὸς ὑπεστήσατο, γένος καὶ φύσιν καὶ πολιτείαν καὶ μάχας καὶ νίκας καὶ βίων αἰῶνας καὶ ἡλικίας καὶ εὐδαιμονίας οὐκ ἀνθρώπων μόνον ἀλλὰ καὶ φυτῶν καὶ ζώων καὶ γῆς καὶ θαλάσσης καὶ ἀέρος καὶ* (leg. *καθ'*) *ὑπερβολὴν ψευσμάτων τερατευσάμενον.* Quo loco quid *Χλονθάχονθλος* significet ab aliis me doceri velim: nec magis de Ophiocanis quidquam mihi innotuit. Ophianorum quidem, *οἳ τὸν ὄφιν δοξάζουσιν καὶ τοῦτον Χριστὸν ἡγούμενοι*, Schol. Basilii apud Ducangium Lex. med. graec. p. 1068, nullus hic videtur locus esse. Hoc tamen satis intelligitur, Timoclis librum ex Milesiarum sive Romanensium scriptionum genere fuisse, miraculis de ficta Ophiocanorum gente refertum. Videtur autem ille satis antiquus scriptor fuisse, quum Timoclis nomen in mediae aetatis historia mihi quidem plane incompertum sit.

Quae **Orestes** dicitur a Suida, rectius ab aliis vocatur **Orestautoclides**. Eius quod argumentum fuerit docet opinor locus ab Athenaeo servatus XIII p. 567 e: *καὶ ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ δ' Ὀρεσταυτοκλείδῃ ὁ αὐτὸς Τιμοκλῆς φησι*

Περὶ δὲ τὸν πανάθλιον
εὕδουσι γρᾶες, Νάννιον Πλαγγὼν Λύκα
Γνάθαινα Φρύνη Πυθιονίκη Μυρρίνη
Χρυσὶς Κοναλλὶς Ἱερόκλεια Λοπάδιον.

Quae si quis cum titulo fabulae comparaverit, simulque Autoclidem illum, quemadmodum Aeschines c. Tim. § 52 et Aristogiton apud Harpocrat. p. 40 15 testantur, puerorum amoribus infamem fuisse meminerit, haud levis oboritur suspicio, ut apud tragicos poetas Orestem a Furiis propter parricidium, ita in Timoclea fabula Autoclidem propter puerorum amores a meretricibus acerrime fuisse vexatum. Videmus autem in illis quos adscripsi versibus, quosque ex prologo fabulae petitos esse suspicor, Autoclidem in nescio cuius venerii daemonis et masculorum amorum antistitis [98]) sacrario sedentem, meretricibus circum circa alto somno oppressis. Nec defuisse suos novo illi Orestae iudices qui causam eius cognoscerent, indicare videntur quae leguntur apud Harpocrat. p. 146 3. *Παράβυστον: οὕτως ἐκαλεῖτό τι τῶν παρ' Ἀθηναίοις δικαστηρίων, ἐν ᾧ ἐδίκαζον οἱ ιά — μνημονεύουσι δ' αὐτοῦ ἄλλοι τε τῶν κωμικῶν καὶ Τιμοκλῆς ἐν Ὀρεσταυτοκλείδῃ.* Itaque Areopago poeta Parabystum et Areopagitis undecimviros substituit, quos de cuiusvis generis maleficis iudicium exercuisse constat. Dolendum vero non plura fabulae fragmenta superesse: ita enim etiam clarius pateret, quod vel ex his paucis suspicari licet, totam

---

[98]) Orthanae puta vel Conisali vel Tychonis.

fabulam in ludendo non quidem Aeschyli, ut olim putabam, at Carcini fortasse aut Theodectae aut Timesithei Oreste versatam esse. Iam non est quod copiosius Valesii ad Harpocr. p. 126 opinionem refutemus, qui Orestem in titulo fabulae Timocleae de nocturno illo grassatore apud Aristophanem interpretatur.

Ceterae Timoclis fabulae a Suida commemoratae, quas quidem in superioribus nondum attigimus, sunt *Φιλοδικαστής, Πύκτης, Κονίσαλος, Μαραθώνιοι.* Eas Athenaeus attulit VI p. 245 b. 246 f. X p. 430 f. XIII p. 570 f. Marathonios, si Suidae fides, scripserat etiam Lycophro Chalcidensis. Itaque omnino viginti et septem fabularum auctor habitus est Timocles. Nam *Πορφύρα*, quam item in Timoclis fabulis Suidas commemorat, ab aliis Xenarcho tribuebatur, de quo dissensu vide Athenaeum VI p. 225 c. VII p. 319 a. X p. 431 a. Eodem nomine fabulam docuisse Augeam, qui Suidae dicitur, vidimus p. 416. Titulum fabulae Bernhardio suspectum a meretricis nomine ductum suspicari licet; quamquam nihil impedit quominus de stragula veste cogitemus. Ita *Καλάσιρις* index fuit fabulae Alexideae.

Praeterea fabulis Timoclis fortasse *Συνέριθοι* adiicienda est; vix enim dubito quin apud Stobaeum Serm. CXXV 10, ubi hoc lemma adscriptum est *Τιμοκλέους Συνεργικά*, scribendum sit *Τιμοκλέους Συνερίθων.* Denique *Γεωργὸν* scripsisse Timoclem suspicari licet fortasse e Clemente Alex. Strom. IV p. 204 34: *κατὰ τὸν γεωργὸν Τιμοκλέους τοῦ κωμικοῦ «σῦκ᾽ ἔλαιον ἰσχάδας μέλι προσοδεύουσιν.»* Quamquam haec etiam alium in sensum accipi possunt. Ex incertis fabulis perpauca fragmenta servata sunt, quae enumerare nihil attinet. Quod Valesius putabat, Timoclem nostrum sub Timoclidae nomine latere apud Suidam s. v. *ὡς τὸ ἱερὸν πῦρ* etc. refutavit Ruhnkenius ad Rutilium Lup. p. 8.

XENARCHUS. Hunc mediae fuisse poetam comoediae docet fragmentorum indoles, in quibus frequentes tragicorum poetarum parodiae, velut in *Πεντάθλῳ* fabula (quam vitiose Suidas s. v. *Ξέναρχος* vocat *Πένταθλοι*) apud Athen. p. 569 a, ad quae cfr. Eurip. Hippol. 415, ubi vide Valcken. et quae monui Cur. crit. p. 65. Aliud aetatis indicium hoc est, quod fabulae *Πορφύρα* inscriptae dubitabant veteres utrum Timocles auctor habendus esset an Xenarchus. V. p .433. Praeter Porphyram et Pentathlum, quam commemorat Athenaeus etiam lib. X p. 440 e et 441 e, laudantur Xenarchi *Βουταλίων* ab Athen. II p. 63 f, ubi titulum fabulae (de quo cfr. p. 331) e Suida addendum esse vidit Casaubonus; *Δίδυμοι* a Suida l. l. et Athen. X p. 426 b, ubi olim legebatur *Ξενόχαρτος* pro *Ξέναρχος*, et XV p. 693 b. Denique *Πρίαπον*, *Σκύθας*, *Στρατιώτην* et *Ὕπνον* praeter Suidam commemorat Athen. XI p. 473 f. IX p. 367 b. X p. 418 d. XV p. 679 e. XIII p. 559 a. Meursii Fabricii aliorumque errorem, Xenarchum comicum poetam confundentium cum Xenarcho mimographo, Sophronis filio, attigit Hermannus ad Aristot. A. P. p. 93. Nec magis digna est cui immoremur eiusdem Fabricii Bibl. II p. 505 dubitatio, num Xenarchus comicus idem sit cum Rhodio illo potatore, de quo diximus ad Euphor. p. 100.

THEOPHILUS. Suidas: *Θεόφιλος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἰατρός, Ἐπίδαυρος, Παγκράτεια, Βοιωτία, Προιτίδες, Νεοπτόλεμος.* Eadem habet Eudocia p. 232. Hunc veteris poetam comoediae vocat Fabricius Bibl. Gr. II p. 500, quod quibus argumentis ductus fecerit frustra quaesivi. Quin *τοῖς νεωτέροις* adscribitur a Polluce IX 15. Sed huius quidem loci admodum incerta est ratio, cum codd. pro Theophilo fere Diphili nomen praebeant. Mediae ut Theophilum comoediae poetam fuisse credam, per-

suadent fere fabularum indices Προιτίδες apud Athenaeum XI p. 472 e et Νεοπτόλεμος apud eundem XIII p. 560 a. XIV p. 635 a. Accedit Callimedontis irrisio in fabula Ἰατρὸς apud Athenaeum VIII p. 340 d et Laidis commemoratio in Φιλαύλῳ XIII p. 587 f, ex qua fabula quam idem p. 563 a. servavit eclogam, eius priores quattuor versus Antiphani tribuit Stobaeus Floril. LXIII 12. Itaque mediae comoediae poetis adscribere non dubitavi. Praeter commemoratas fabulas laudantur Theophili Ἀπόδημοι a Schol. Dionysii Thr. p. 724 26. Βοιωτία ab Athenaeo XI p. 472 d. Ἐπιδαύριος (sic enim legendum pro Ἐπίδαυρος) ibid. X p. 417 a. Denique Παγκρατιαστὴς III p. 95 a. X p. 417 b et Polluc. IX 15. Vitiose Suidas Παγκράτεια. Sed Κιθαρῳδὸς quae ex Athenaeo XIV p. 623 f recepta est, non fuisse videtur fabulae titulus.

Progredior iam ad tertiam comicae poesios aetatem, cuius initia proximis post praelium apud Chaeroneam annis ponimus. [99]) Eius aetatis quattuor et sexaginta poetas numeratos esse Anonymus de Com. p. XXX memoriae prodidit, de quibus nominatim commemoratos reperio Anaxippum, Apollodorum Carystium, Apollodorum Geloum, Archedicum, Bathonem, Critonem, Damoxenum, Demetrium, Diphilum, Epinicum, Eudoxum, Euphronem, Hegesippum, Hipparchum, Lyn-

[99]) Minus accurate Anonymus de Com. p. XXXII ἡ μὲν νέα ἐπὶ Ἀλεξάνδρου, ἡ δὲ παλαιὰ ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν εἶχε τὴν ἀκμήν.

ceum, Machonem, Menandrum, Philemonem I, Philemonem II, Philippidem, Phoenicidem, Posidippum, Sosipatrum, Sosippum, Stephanum, Theognetum. Ex his veteres critici palmam detulisse videntur Philemoni I, Menandro, Diphilo, Philippidi et Apollodoro Carystio, non, ut infra demonstrabo, Geloo. Hos certe prae ceteris commemorat Grammaticus apud Montefalc. Bibl. Coisl. p. 597. Neque repugnat Anonymus de Com. l. l. nisi quod Posidippum addidit: *ἀξιολογώτατοι δὲ Φιλήμων Μένανδρος Δίφιλος Φιλιππίδης Ποσείδιππος Ἀπολλόδωρος.* Tzetzes autem Prol. ad Lycophr. p. 257 Muell. in trium poetarum commemoratione acquiescit: *καὶ νέοι,* inquit, *Μένανδρος Φιλήμων Φιλιστίων καὶ πλῆθος πολύ.* Ubi quum ineptissima sit Philistionis mimographi, qui extremis Augusti temporibus floruit (Praef. Men. p. VII), memoria, vix dubito quin Tzetzes *Φιλιππίδης* scriptum reliquerit. De natura et indole novae comoediae quum satis iam a doctis Terentii interpretibus et in nostris de Menandro et Philemone commentariis expositum sit, ea tantum hoc loco perstringam, quae ab aliis vel omissa vel minus plene tradita sunt. Ac primum ii magnopere falluntur, qui novam comoediam intra privatae vitae parietes ita quasi inclusam fuisse sibi persuadent, ut eam neque in publicam lucem prodiisse nec nisi fictis nominibus lusisse existiment. Quam in rem nolo commemorare quae Philemon et Menander de vinositate et iactantia Alexandri Magni (p. 99. 211) de Dionysii Heracleotae obesitate et luxurie (p. 10) de Magae regis Cyrenarum inscitia et stupiditate (p. 414) protulerunt, vel quae foederis inter Pyrrhum et Antigonum ridendi causa lusit Phoenicides apud Hesychium vol. I p. 1041. Mitto etiam lenem minimeque malignam Corydi Callimedontis aliorumque irrisionem apud Euphronem Athenaei VIII p. 343 b et Menandr. p. 108 sq. At Democharem, virum

in re publica Atheniensium multa cum laude versatum, Archedicus teste Polybio XII 13 contumeliosis proscidit conviciis, integerrimum patriaeque amantissimum hominem calumnians ἡταιρηκέναι μὲν τοῖς ἄνω μερίσι τοῦ σώματος, οὐκ εἶναι δ᾽ ἄξιον τὸ ἱερὸν πῦρ φυσᾶν. Ctesippi qui Chabriae filius fuit, luxuriem graviter notat Menander in Ira p. 127:

[illegible] καὶ βάψομαι
καὶ παρατιλοῦμαι, νὴ Δία, καὶ γενήσομαι
Κτήσιππος, οὐκ ἄνθρωπος ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ.

Quibus similia habet Diphilus Athenaei IV p. 165 f. Stratoclem, Demetrii adulatorem impudentissimum, quam libero ore exagitaverit Philippides documento sunt ea quae ex huius fabulis servavit Plutarchus Demetr. 12:

δι᾽ ὃν ἀπέκαυσεν ἡ πάχνη τὰς ἀμπέλους,
δι᾽ ὃν ἀσεβοῦνθ᾽ ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος,
τὰς τῶν θεῶν τιμὰς ποιοῦντ᾽ ἀνθρωπίνας.
ταῦτα καταλύει δῆμον, οὐ κωμῳδία.

Quae aperte docent etiam illis temporibus h. e. Olymp. CXX fuisse qui de comoediae libertate intra angustiores fines compellanda consilia agitarent. Cfr. ibid. 24 et Amat. p. 750 F. Idem poeta graviter conqueritur de novorum hominum luxurie apud Athenaeum VI p. 230 a:

ἀλλ᾽ ἔλεος ἐμπέπτωκέ μοί τις τῶν ὅλων,
ὅταν ἀπορουμένους μὲν ἀνθρώπους ὁρῶ
ἐλευθέρους, μαστιγίας δ᾽ ἐπ᾽ ἀργυροῦ
πίνακος ἄγοντος μνᾶν τάριχος ἐνίοτε
δυοῖν ὀβολοῖν ἔσθοντας ἢ τριωβόλου.

Nec minus publicarum rerum perturbationem et iudiciorum pravitatem dolet Diphilus in Nuptiis apud Athenaeum l. l. p. 254 e:

νῦν δὲ καὶ καχεξία τις ὑποδέδυκε τοὺς ὄχλους,
αἱ κρίσεις θ᾽ ἡμῶν νοσοῦσι καὶ τὸ πρὸς χάριν πολύ.

Quod argumentum fortasse Thugenides in fabula *Δικασταὶ* inscripta (Phot. Lex. 518) data opera exsequutus est. Eiusdem Diphili versum plenum contumeliae de Timaeo historico:

παχὺς ὠνθυλευμένος στέατι Σικελικῷ,

servavit Plutarch. Nic. cap. 1. Rara contra minimeque aculeata poetarum illusio. Philosophorum autem tristitiam et superciliosam arrogantiam in fabulis *Φιλόσοφοι* inscriptis multis modis exagitasse videntur Philemon et Posidippus. Epicuri irrisionem habemus apud Bathonem Athenaei III p. 102 c et VII p. 279 a. c, Hegesippum ibid. d. et Damoxenum III p. 102 a; Zenonis et Stoicorum apud Theognetum Athenaei III p. 104 b, Posidippum Diogenis Laert. VII 17 27 et Philemonem p. 388; Cleanthis apud Bathonem Plutarchi Mor. p. 55 c; Monimi et Cratetis Cynicorum apud Menandrum p. 46. 89. Platonem, quod perrarum apud huius aetatis poetas, tangit Philippides Stobaei Floril. LXVIII 6. Nec defuisse qui vivos homines et poetarum, qui illos luderent, aequales nominatim per totas fabulas carperent, tum aliis argumentis cognoscitur tum ex fabularum indicibus intelligitur, quales sunt Diphili Telesias Tithraustes et Amastris, Posidippi Myrmex, Anaxippi Ceraunus. Sub hoc enim nomine Damippum quendam ab Anaxippo irrisum fuisse ex Athenaeo X p. 416 f intelligitur. Ex eodem genere Epinici fabula fuit Mnesiptolemi historici nomine inscripta, de qua notabilis est locus Hegesandri apud Athen. X p. 432 b: *Ἐπίνικος, Μνησιπτολέμου ἀνάγνωσιν ποιησαμένου τῶν ἱστοριῶν ἐν αἷς ἐγέγραπτο ὡς Σέλευκος ἀπηλφίτισε, γράψας δρᾶμα Μνησιπτόλεμον, καὶ κωμῳδῶν αὐτόν, καὶ περὶ τῆς πόσεως ταῖς ἐκείνου* (Seleuci) *χρώμενος φωναῖς ἐποίησε λέγοντα.* Quid quod ne tragici quidem poetae illa aetate a celebrium hominum irrisione abstinuerunt. Lycophro qui-

dem Chalcidensis a Menedemo Eretriensi satyricae fabulae argumentum duxit. V. Athen. II p. 55 c.

A scortorum nominibus multo rarius quam mediae comoediae auctores fecisse vidimus, fabulis suis indices fecerunt, neque id mirum. Quamquam enim in describendis amoribus meretriciis nequaquam sibi displicuerunt, multo tamen frequentius amatoriarum fabularum argumenta ab ingenuarum puellarum et atticarum civium amoribus duxerunt.

Quod a mediis comicis inprimis frequentatum fuisse demonstravimus fabularum genus in describendis repraesentandisque deorum heroumque rebus et fatis occupatum, ne a novis quidem poetis plane neglectum fuisse ex fabularum inscriptionibus coniicias. Prae ceteris Diphilus talia argumenta frequentavit, cuius quinque huius generis laudantur fabulae, Danaides ab Erotiano gl. Hippocr. p. 116, Hecate ab Athen. XIV p. 645 a et Poll. X 72, Hercules ab Athen. X p. 421 c, Peliades ab eodem IV p. 156 f et Theseus ibid. VI p. 262 a, quibus addendus fortasse Anagyrus, cuius memoriam servavit Schol. Iliad. p. 246 11, et Pyrrha apud Ammon. de differ. p. 61. Sed Diphilus, quamquam Menandri aequalis et merito in praestantissimis novae comoediae auctoribus habitus, tamen, si indolem et ingenium eius fabularum spectas, mediae propior fuisse videtur comoediae quam novae. Ceterorum poetarum quae huc pertinent comoediae sunt Euphronis Deorum concio (*θεῶν ἀγορά*) et Musae, Lyncei Centaurus, Philippidis Amphiaraus, Philemonis Myrmidones, Menandri Dardanus, Apollodori Geloi Sisyphus. Quibus Alexandri Dionysum et Helenam, Timostrati Pana, Clearchi Pandrosum et Nicomachi Ilithyiam adiicerem, nisi dubitari posset mediisne an novis comicis hi accenseri debeant.

De dictione qua huius aetatis poetae usi sunt apud

Anonymum de Com. p. XXXII haec leguntur: *ἡ μὲν νέα τὸ σαφέστερον ἔχει τῇ νέᾳ κεχρημένῃ Ἀτθίδι, ἡ δὲ παλαιὰ τὸ δεινὸν καὶ ὑψηλὸν τοῦ λέγειν, ἐνίοτε δὲ ἐπιτηδεύει καὶ λέξεις τινάς.* Qua in re nonnihil Epicuri exemplo tribuendum videtur, de quo Diogenes Laert. X 8: *σαφὴς δ᾽ ἦν οὕτως ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ τῆς ῥητορικῆς ἀξιοῖ μηδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀπαιτεῖν.* Poetici coloris et figuratae dictionis, quam superioris aetatis poetarum fere propriam dicas, vix ullum usquam vestigium. Nam de Menandri fragmento apud Stobaeum Floril. LXX p. 323 Gr. (sive p. 184 meae ed.) perquam dubia res est, quamquam fuisse ubi huius poetae oratio altiores sumeret spiritus ex Terentii Eun. III 5 43 colligas. Diphilum autem, cuius haec sunt apud Athen. VI p. 223 a: [illegible]

ὦ τόνδ᾽ ἐποπτεύουσα καὶ κεκτημένη
Βραυρῶνος ἱεροῦ θεοφιλέστατον τόπον,
Λητοῦς Διός τε τοξόδαμνε παρθένε,
ὡς οἱ τραγῳδοί φασιν —

apertum est ridere tragicorum poetarum gravitatem et magniloquentiam. Neque aliter Epinicus Athenaei X p. 432 b:

γέροντα Θάσιον τόν τε γῆς ἀπ᾽ Ἀτθίδος
ἑσμὸν μελίσσης τῆς ἀκραχόλου γλυκὺν
συγκυρκανήσας ἐν σκύφῳ χυτῆς λίθου,
Δήμητρος ἀκτῇ πᾶν γεφυρώσας ὑγρόν,
κατῃσίμωκα πῶμα καύματος λύσιν.

Quibus versibus ineptum et affectatum dicendi genus, quo Mnesiptolemus historiarum scriptor usus est, lepidissime perstringit. Sed talia quoque apud novos comicos sunt rarissima. Recte igitur illis simplex et perspicuum dicendi genus attribuit Anonymus. Novorum et audacius formatorum verborum adeo nihil reperias, ut ferax illud et foecundum graecorum poetarum ingenium ad exilem quandam et

ieiunam tenuitatem exaruisse videatur. Sed totius orationis conformatio multas habet neque contemnendas dicendi virtutes: placido et aequabili flumini comparaveris sine salebris, sine multiplici aquarum anfractu leniter decurrenti. At magna multoque maior quam superiore aetate peregrinorum barbarorumque verborum licentia, magna item in formarum ab antiquis sermonis legibus desciscentium usu incuria.

Eandem sive simplicitatem sive exilitatem in metris deprehendas, vereque Anonymus de com. p. XXXII *ἡ μὲν νέα*, inquit, *κατὰ τὸ πλεῖστον στρέφεται περὶ τὸ ἰαμβικόν, σπανίως δὲ μέτρον ἕτερον.* Choro usam esse novam comoediam fortasse ex his Menandri versibus Epicl. p. 61 colligas:

ὥσπερ τῶν χορῶν
οὐ πάντες ᾄδουσ᾽ ἀλλ᾽ ἄφωνοι δύο τινὲς
ἢ τρεῖς παρεστήκασι πάντων ἔσχατοι
εἰς τὸν ἀριθμόν· καὶ τοῦθ᾽ ὁμοίως πως ἔχει.
χώραν κατέχουσι, ζῶσι δ᾽ οἷς ἐστιν βίος.

Sed haec quidem nihil impedit quominus de tragicis vel si mavis de cycliis choris intelligantur. Fuisse tamen ubi huius quoque aetatis poetae chorica carmina fabulis suis interponerent, indicat auctor Vitae Aristoph. p. XXXVIII Beck. *πάλιν δὲ ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν, τὸν Πλοῦτον γράψας, εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι ἐπιγράφει Χοροῦ, φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις* (h. e. *ἐν τοῖς Χοροῦ*) *ἃ καὶ ὁρῶμεν τοὺς νέους* (de Philemone et Menandro in superioribus dixit) *ἐπιγράφοντας οὕτω ζήλῳ Ἀριστοφάνους.* De quo loco conferquae post Dobraeum ad Plut. 252 disseruit Fr. Ritter Disput. de Aristoph. Pluto p. 12 sqq. Ad metra ut revertar, praeter iambicos versus maxime trochaicis tetrametris poetae usi sunt. Cuius rei testem habemus Marium Victorinum Art. gramm. I p. 2500.

Μεταβολικὰ (carmina dicuntur) quae ab aliis metris ad alia genera transitum faciunt, qualia esse tragica et comica paullo ante memoravi. Nam et Menander in comoediis frequenter a continuatis iambicis versibus ad trochaicos, et rursum ad trochaicos redit. Quibuscum comparanda sunt quae Hephaestion habet de Carm. VI p. 118: *τῶν κατὰ στίχον τὰ μέν ἐστι μικτά, τὰ δὲ οὔ. καὶ μικτὰ μὲν ὡς αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι· πῆ μὲν γὰρ τετράμετρα ἐν τῷ αὐτῷ ποιήματι*[100]), *πῆ δὲ τρίμετρα εὑρίσκεται.* Ubi qui tetrametri commemorantur, non de iambicis versibus, sed de trochaicis intelligendi sunt: iambicis enim tetrametris, quantum quidem ex fragmentis coniicere licet, nunquam novae comoediae scriptores usi sunt. Marius Victor. l. l. p. 2494: Comicum carmen (i. e. comoedia) varia versuum et modulorum lege compositum reperitur, sicut plerumque apud Menandrum, sed et apud alios, cognoscimus. Idem lib. III p. 2551 de metris *κατ᾽ ἀντιπάθειαν* mixtis disserens: Sunt item (cola) quae primam trochaicam, secundam choriambicam, tertiam trochaicam, sed et quartam syllaba breviorem coniugationem habeant, quorum exempla plerumque apud comicos, Diphili et Menandri comoediis, reperiuntur. Quibus apertum est versum significari Eupolideum polyschematistum,

– ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏑ ⏑́ – || – ⏓ | –́ ⏑ – ⏑ ⏓

Cuius etiam in media comoedia usum fuisse supra ostendimus p. 300. Non erat igitur cur erroris insimularer a Dobraeo ad Aristoph. Nub. 518, quum Eupolidei metri vestigia in his Menandri verbis apud Etymol. M. v. *ἀκαρής* repperisse mihi visus essem:

---

100) H. e. in una eademque *ῥήσει*.

— ⏑ — ὁρᾷς, ἀκαρὴς παραπόλωλας ἀρτίως.

Anapaesticorum versuum dimetrorum, quos in media comoedia frequentissimos fuisse supra vidimus, non nisi duo exempla reperio, utrumque Menandri, alterum e Leucadia p. 105:

οὗ δὴ λέγεται πρώτη Σαπφὼ
τὸν ὑπέρκομπον
θηρῶσα Φάων' οἰστρῶντι πόθῳ
ῥῖψαι πέτρας ἀπὸ τηλεφανοῦς·
ἀλλὰ κατ' εὐχὴν σήν, δέσποτ' ἄναξ,
εὐφημείσθω
τέμενος περὶ Λευκάδος ἀκτῆς.

Qui versus eam quoque ob causam memoratu dignissimi sunt, quod, teste Scholiasta Hephaestionis, ἐν τῇ εἰσβολῇ h. e. proximo loco post prologum posita fuerunt: qua in re Menander Euripidis exemplum sequutus esse videtur, cuius in compluribus fabulis anapaesti prologum excipiunt. Sed de hoc alias plura dicam. Alterum exemplum habemus in Adulatore p. 102:

κωβιὸς ἠλακατῆνες,
κυνὸς οὐραῖον.

Dactylicis hexametris, quos itidem medios comicos inprimis frequentasse demonstravimus, unus omnium usus est Diphilus apud Clement. Alex. Str. VII p. 303:

Προιτίδας ἁγνίζων κούρας καὶ τὸν πατέρ' αὐτῶν
Προῖτον Ἀβαντιάδην καὶ γραῦν πέμπτην ἐπὶ τοῖσδε
δαδὶ μιᾷ σκίλλῃ τε μιᾷ, τόσα σώματα φωτῶν —

Apud eundem Diphilum loco ab Athen. X p. 499 c servato:

λάγυνον ἔχω κενόν, ὦ γραῦ, θυλακὸν δὲ μεστόν,

hanc metri speciem habemus:

⏑ ⏑́ ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑ — ⏓ | ⏑́ ⏑ — ⏑ — ⏑

Praeterea unum metri genus commemorare iuvat, quod ob id ipsum, quia Diphilus frequenter eo usus est, Diphilium,

ab aliis autem Choerilium appellatum est, Marius Victor. III p. 2558: Choerilium seu Diphilium metrum ex eodem pentametri ortum esse genere res ipsa indicat; est enim e dactylica specie derivatum, suprema tantum versus syllaba, qui sex pedibus profluat, brevius. Incipit autem a duobus dactylis, tertia regione spondeo semper manente, et rursus ex duobus dactylis et syllaba una. Huic duo cola, quae penthemimere dicimus, accrescente media syllaba, qua spondeus gignitur, formam dedisse noscuntur, qua detracta ad elegiacum pentametrum versus reverteretur, veluti:

Nunc age Pierios versus dea Calliope.

Itaque his constat numeris:

–́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ – – | –́ ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ –

Attigit haec etiam Plotius de metris p. 2633, ubi vitiose Delphicum metrum scriptum est, quod correxit Gaisfordius ad Hephaest. p. 353 et Naekius Choer. p. 263. Eandem metri speciem habemus apud Telestem Athenaei XIV p. 617 b et cum trochaicis tetrametris coniunctam apud Antiphanem loco supra p. 299 allato.

Denique de ordine et continuitate, qua variae metrorum species apud novae comoediae poetas per singulos fabularum actus sese exceperunt, aliquid fortasse colligi potest ex loco Marii Victorini II p. 1523 sive apud Rufinum de metris com. p. 2707, quem licet longiusculum hic adscribam: Quantum autem ad metrum comicum spectat, scio plurimos affirmare Terentianas maxime fabulas metrum et disciplinam graecarum comoediarum non custodiisse, id est quas Menander Philemon Diphilus et caeteri ediderunt. Nostri

enim in modulandis metris seu rhythmis veteris comoediae scriptores sequi maluerunt, id est Eupolin Cratinum et Aristophanem. Prologos itaque et primarum scenarum actus trimetris comprehenderunt, deinde longissimos id est tetrametros subdiderunt, qui appellantur quadrati. Postea in consequentibus variaverunt: modo enim trimetros, modo addito quadrante vel semisse posuerunt, id est semipede adiecto, vel integro pede iambo vel sesquipede. Haec per medios actus varie. Rursus in exitu fabularum quadratos, quales diximus in secunda scena, locarunt. Quae etsi neque plene neque satis accurate disputata sunt, hoc tamen docere videntur, alium apud Terentium, alium apud Menandrum ceterosque metrorum ordinem fuisse. Quod si verum est, simul etiam illud intelligitur, in iis quas latini poetae de graecis verterunt fabulis non eadem ubique metrorum genera graecis exemplaribus respundisse. Ac commode accidit ut exempla eius rei vel hodie demonstrare liceat. Ita quos Terentius in Adelph. V 4 12 posuit trochaicos tetrametros:

ego ille agrestis saevus tristis parcus truculentus tenax,

Menandri respondent trimetris iambicis p. 8:

ἐγὼ δ' ἄγροικος ἐργάτης σκυθρὸς πικρὸς
φειδωλός.

Quae qui propter Terentii locum in unum versum counuxit (Quaest. Arist. I p. 80) syllabarum mensurae nimium incuriosus fuit. Aliud ex eadem fabula exemplum vide p. 7. Eandem in transferendis Menandreis Plauti fuisse licentiam docet fragm. inc. fab. XXXII.

Haec habui quae de nova comoedia in universum dicerem. Itaque in sequentibus de poetis qui hanc tertiam co-

micae artis aetatem illustrarunt, sigillatim exponam, omissis tamen, de quorum vita et fabulis alio loco copiose explicatum est, Philemone et Menandro. Utriusque aequalis fuit DIPHILUS. Is patriam habuit Sinopen, urbem bonarum artium studiis florentissimam. Strabo XII p. 546: *ἄνδρας δὲ ἐξήνεγκεν* (Sinope) *ἀγαθοὺς τῶν μὲν φιλοσόφων Διογένη τὸν κυνικὸν καὶ Τιμόθεον τὸν Πατρίωνα, τῶν δὲ ποιητῶν Δίφιλον τὸν κωμικόν.* Contra Atheniensem dicit auctor Lexici ab Hermanno editi p. 324. Cum Strabone convenit Anonymo de Com. p. XXXI Diphilum Menandri aequalem fuisse et Smyrnae obiisse dicenti: *Δίφιλος Σινωπεὺς κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐδίδαξε Μενάνδρῳ, τελευτᾷ δὲ ἐν Σμύρνῃ.* Idem eum praestantissimis novae comoediae auctoribus accenset p. XXX. Amatorem fuisse Gnathaenae, famosissimi nominis meretriculae, praeter Lynceum Samium apud Athenaeum XIII p. 583 f testatur Macho ibid. p. 579 e, ubi dramatum eius frigus festive irridet:

Παρὰ Γναθαίνῃ Δίφιλος πίνων ποτὲ
ψυχρόν γ', ἔφη, τἀγγεῖον ὦ Γνάθαιν' ἔχεις.
τῶν σῶν γάρ, εἶπεν, ἐπιμελῶς ὦ Δίφιλε
εἰς αὐτό γ' ἀεὶ δραμάτων ἐμβάλλομεν.

Similia idem narrat p. 580 a. Nec defuisse simultates quibus offensus Diphilus subinde amicam in fabulis notaret, docet eiusdem narratio p. 579 f. Nam quum aliquando dona ab alio amatore missa accepisset, dissimulare ea Gnathaena conabatur *φυλαττομένη μάλιστα Δίφιλον, | μὴ δῷ δίκην μετὰ ταῦτα κωμῳδουμένη.* Nec tamen constans fuit hic amor Diphili, quem etiam aliis amoribus indulsisse ex Alciphronis Epist. I 37 intelligas, ubi Myrrhina Nicippae scribit: *οὐ προσέχει μοι τὸν νοῦν ὁ Δίφιλος, ἀλλ' ἅπας ἐπὶ τὴν ἀκάθαρτον Θεττάλην νένευκε.* Fabulas docuit, si Anonymo l. l. fides, centum, in quibus fuisse quas ipse in scena

ageret, testatur Lynceus Samius apud Athenaeum XIII p. 583 f: *ἐν ἀγῶνί ποτε αὐτὸν ἀσχημονήσαντα σφόδρα ἀρθῆναι ἐκ τοῦ θεάτρου συνέβη καὶ οὐδὲν ἧττον ἐλθεῖν πρὸς τὴν Γνάθαιναν. κελεύοντος οὖν τοῦ Διφίλου ὑπονίψαι τοὺς πόδας αὐτοῦ τὴν Γνάθαιναν, ἡ δὲ «τί γάρ, εἶπεν, οὐκ ἠρμένος ἥκεις.»*

De indole poesios Diphiliae ita iudicamus ut mediae potius quam novae comoediae ingenium eam rettulisse credamus. Docent hoc vel fabularum indices, quorum partim ita comparati sunt ut Diphilus mythica argumenta frequentius quam quisquam reliquorum novae comoediae poetarum tractasse videatur. V. supra p. 439. Eodem pertinent quae de ea quam Sapphonis nomine inscripsit fabula memoriae prodidit Athenaeus XIII p. 599 d: *Δίφιλος ὁ κωμῳδιοποιὸς πεποίηκεν ἐν Σαπφοῖ δράματι Σαπφοῦς ἐραστὰς Ἀρχίλοχον καὶ Ἱππώνακτα.* Archilochum igitur et Hipponactem Sapphonis amatores induxit. Quos ipsos in scena praesentes adfuisse docet fragmentum fabulae apud Athenaeum XI p. 487 a:

> *Ἀρχίλοχε, δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα*
> *μεστὴν Διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.*

Talis rerum in scena actarum species apud novos comicos fuisse videtur rarissima. Orationis qua usus est Diphilus ea est ratio ut et nativae simplicitatis et argutae elegantiae laude commendetur egregia. Non desunt tamen quae ab antiquiorum Atticorum munditie et castitate longius recedant. Eius generis compluria vel unus ille Antiatticista suppeditat, velut *φυγγάνω* pro *φεύγω* p. 95 17. Quamquam enim id Sophoclis exemplo tueri licet, a comicorum tamen sermone alienum fuit. Eodem teste *κλεῖδα* dixit pro *κλεῖν* p. 101 29, *κραυγασμὸς* pro *κραυγὴ* ibid. 10, *ἰτητέον* pro *ἰτέον* p. 100 11, *μναδάριον* deminut. a *μνᾶ* p. 108 32, *βρώ-*

σιμος pro βρωτός p. 84 25. Sed idem βρωτὸν dixit apud Athen. X p. 422 b εἰς ἣν βρωτὸν ἐμβαλεῖς ἅπαν. Ita enim editum πρῶτον corrigendum est. Porro κόλλοψ de lenone dixit apud Athen. III p. 291 f, χύτρος pro χύτρα apud Polluc. X 99, ἔνι pro ἔνεστι apud Athen. VII p. 292 b, γρυμέα apud Phrynichum Praep. Soph. p. 33, στρηνιᾶν apud Antiattic. p. 113 25, κρομβῶσαι i. e. κραυρῶσαι apud Athen. IX p. 383 f, ὀνάριον apud Stobaeum Flor. LI 2, ξύστρα apud Polluc. X 62, ἀνακεῖσθαι de epulantibus apud Athen. I p. 23 c, Ἀρτεμίσιον de signo Dianae ibid. IV p. 168 c, αἰσχροκερδία pro αἰσχροκέρδεια apud Stobaeum Flor. X 4. Sed ἀπολαύειν cum accusativo βίον apud Athen. VI p. 227 c in ἀπολάπτειν mutandum, ut vidit Iacobsius. Nec μάκαρ ultima longa dixit apud Clement. Alex. Strom. VII p. 303, ubi scribe μάκαιρ' ἀήρ. Nec magis ὀρθριοκόκκυξ secunda longa apud Eustath. p. 1479 46, sed scribendum:

εὐθὺς ἐξέπεμπέ με
ὧδ' ὀρθριοκόκκυξ ἀρτίως ἀλεκτρυών.

Hiatum in πρὸ ἡμέρας admisit apud Athenaeum X p. 417 e. Quod autem apud Stobaeum legitur εἰμὶ εὐσεβής Floril. LXXIX 16. id in εἰμὶ θεοσεβὴς mutandum videtur.

De metris quibus usus est Diphilus supra diximus p. 343. In his quod ab aliis Choerilium ab aliis autem Diphilium vocatum esse tradit Marius Victor. III p. 2558, dubitari potest utrum a comico an ab alio cognomine poeta appellatum sit. Fuerunt enim plures huius nominis poetae, ex quibus unum commemorare iuvat, qui Theseidos et iambicorum i. e. probrosorum carminum auctor perhibetur a Scholiasta Pindari Olymp. X 83: Ἀριστόδημος δέ φησι μὴ δύνασθαι συγχρονεῖν Ἁλιρρόθιον τὸν κατὰ Κέκροπα Ἡρακλεῖ — Σῆμον δέ τινα νῦν νενικηκέναι ἅρματι, ὥς φησι Δίφιλος ὁ τὴν Θησηΐδα ποιήσας ἔν τινι ἰαμβείῳ οὕτως·

Τρέψας δὲ πώλους, ὡς ὁ Μαντινεὺς Σῆμος,
ὃς πρῶτος ἅρματ' ἤλασεν παρ' Ἀλφειῷ. [1])

Quae ad Comicum male rettulerunt Fabricius Bibl. gr. vol. II p. 439 et Sturzius Praef. ad Hellan. p. XVI. Satis antiquum poetam fuisse et Aristophane priorem colligas ex Scholiasta Aristophanis Nub. 96: *πρῶτον μὲν γὰρ Δίφιλος εἰς Βοίδαν τὸν φιλόσοφον* [2]) *ὁλόκληρον συνέταξε ποίημα, δι' οὗ καὶ εἰς δουλείαν ἐρρυπαίνετο ὁ φιλόσοφος, οὐ διὰ τοῦτο δὲ ἐχθρὸς ἦν. ἔπειτα Εὔπολις, εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφάνης αὐτοῦ καθήψατο.* Ubi quod carmen *εἰς Βοίδαν* scriptum commemoratur, haud dubie ex iambico genere fuit.

Sed his missis de fabularum titulis, qui quidem servati sunt, videamus. Primo loco ponimus *Ἄγνοιαν*, cuius memoriam Athenaeus IX p. 401 a ita servavit ut eandem fabulam ab aliis CALLIADAE adscriptam fuisse intelligamus: *μνημονεύει δ' αὐτῶν (λαγωῶν χελιδονιῶν) Δίφιλος ἢ Καλλιάδης ἐν Ἀγνοίᾳ.* Calliadem comicum commemorat ex Carystio Athenaeus XIII p. 577 b: *Ἀριστοφῶν δὲ ὁ ῥήτωρ ὁ τὸν νόμον εἰσενεγκὼν ἐπ' Εὐκλείδου ἄρχοντος, ὃς ἂν μὴ ἐξ ἀστῆς γένηται νόθον εἶναι* [3]), *αὐτὸς ἀπεδείχθη ὑπὸ*

[1]) Hos versus ex ipsa illa Theseide ductos esse statuentibus non assentior. Ut enim mittam tali argumento choliambicum metrum minime convenire, ipsa Scholiastae verba, *ἔν τινι ἰαμβείῳ* illos versus perscriptos fuisse dicentis, aliud suadent.

[2]) De Boeda philosopho nihil mihi compertum est. Nomen viri, sive illud *Βοίδας* fuit sive *Βοιδᾶς*, Siculum vel Italum philosophum fuisse subindicat.

[3]) De hac lege vide Meierum de bonis damn. p. 70 et Clintonum Fast. Hell. p. 95. Eiusdem legis auctorem Nicomenem perhibet Eumelus apud Schol. Aeschinis c. Tim. § 39 4. *Εὔμηλος — φησὶ Νικομένη τινὰ ψήφισμα θέσθαι μηδένα τῶν μετ' Εὐκλείδην ἄρχοντα μετέχειν τῆς πόλεως, ἂν μὴ ἄμφω τοὺς γονέας ἀστοὺς ἐπιδεί-*

Καλλιάδου τοῦ κωμικοῦ ἐκ Χορηγίδος τῆς ἑταίρας παιδοποιησάμενος, ὡς ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ Καρύστιος ἐν τρίτῳ ὑπομνημάτων. Quae si vera sunt, Calliades antiquae potius quam novae comoediae poetis accensendus fuerit. Id vero quum eam ab causam credere non liceat, quod Diphileae fabulae sive auctor sive emendator habitus est, videndum est ne Athenaeus *Καλλία τοῦ κωμικοῦ* scripserit. Ceterum *'Αγνοίας* fabulae memoriam habemus fortasse etiam apud Etymol. M. p. 127, in. ubi *ἀπολιβάξεις* (v. Aristoph. Av. 1467) interpretatur *εἰς τὴν Λιβύην ἀπελεύσῃ. ὅμοιον τῷ εἰς* (leg. *ἐς*) *κόρακας, ἀντὶ τοῦ ἐν ἀγνοίᾳ.* Fortasse legendum *ἀντὶ τοῦ [ἐς φθόρον. Δίφιλος] ἐν 'Αγνοίᾳ.*

Porro *'Αδελφοὶ* laudatur ab Athenaeo XI p. 499 e, Polluce X 72 et Stobaeo Flor. CVIII 9. *'Αλείπτριαν*, cuius nullum fragmentum superest, commemorat Etymol. M. p. 61 10: *ἀπὸ τοῦ ἀλείφω ἄλειμμα. δεῖ γινώσκειν ὅτι γέγραπται Διφίλῳ τῷ κωμικῷ δρᾶμα· ἐπιγέγραπται 'Αλείπτρια.* Ubi scribendum videtur *δρᾶμα ἐπιγεγραμμένον 'Αλείπτρια.* Eam fabulam non cognitam fuisse Polluci, nescio an ex his eius verbis VII 17 coniicere liceat: *ἀλείπτριαν εἰρήκασιν οἱ μέσοι κωμικοὶ καὶ Λυσίας ἐν τῷ ὑπὲρ Διοφάντου περὶ χωρίου. ῎Αμφιδος δὲ καὶ δρᾶμά ἐστιν 'Αλείπτρια.* Idem Antiphaneae fabulae titulus fuit ab aliis Alexidi tributae, de qua vide quae supra diximus p. 393. Nec tamen ideo Diphili nomen in loco Etym. M. suspectum habuerim cum viro docto in Museo crit. Cantabr. I p. 127.

Neque frequentior *'Αμάστριδος* memoria, quam unus Suidas commemorat s. v. *'Αθηναίας* p. 138 Bernh. Nomen fabulae dedisse videtur Amastris, Oxathrae, qui fuit Darii Codomanni frater, filia, primum Crateri, postea Dionysii IV

ξηται. Ita enim supra p. 8 correxi id quod Bekkerus e cod. edidit *νικωμένη.* Nicomenes ille haud dubie idem est quem commemorat Lysias c. Agorat. § 58.

Heracleensium tyranni, eoque mortuo Lysimachi uxor, de cuius virtutibus vide Memnonem apud Photium Bibl. Cod. 224 p. 224 Bekk. cfr. Stephanus Byz. s. v. Ἄμαστρις et Tzetzes Chil. XIII 471. Haec quomodo fabulae nomen et argumentum praebere potuerit Atheniensibus placiturae etsi difficile est ad intelligendum, aliam tamen Amastridem, a qua Diphili fabula denominata fuerit, novi nullam: nam de filia eius quae et ipsa Amastris vocabatur nihil memorabile compertum habemus. De Dionysio Amastridis marito etiam Menander in Piscatoribus egerat. V. Athen. XII p. 549 c sive Fragm. Menandri p. 10.

Sequitur *Αἱρησιτείχης*, quo nomine Pyrgopolinicen quendam omnia magna loquentem et hostilium munimentorum urbiumque expugnationes iactantem videtur insignivisse. Huius fabulae secundam editionem fuisse, a Callimacho *Εὐνοῦχος* sive *Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης* inscriptam, docemur his verbis Athenaei XI p. 496 f: *Δίφιλος Αἱρησιτείχει· τὸ δὲ δρᾶμα τοῦτο Καλλίμαχος ἐπιγράφει Εὐνοῦχον*, et non multo inferius: *Δίφιλος ἐν Εὐνούχῳ ἢ Στρατιώτῃ. ἔστι δὲ τὸ δρᾶμα διασκευὴ τοῦ Αἱρησιτείχους.* Sub Eunuchi nomine laudatur tribus locis ab Antiatt. p. 95 17. 100 31. 101 29. *Στρατιώτην* semel vocat Athenaeus XV p. 700 e. Ceterum *Αἱρησιτείχης* nomen appellativum fuisse apud Diphilum, vel accentus docet. Schol. Venetus ad Homeri Iliad. π 57: *ὅσοις κυρίοις εἰς ῆς λήγουσι βαρυτόνοις συνθέτοις παράκειται ἐπιθετικὰ ὀξυνόμενα. Διογένης — αὐτὰρ ὁ διογενής. Πολυνίκης (Πολυνείκης) — ἀλλὰ πολυνικὴς διελένα. Παγκράτης — παγκρατὴς ἀλήθεια. Εὐρυσθένης — ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής* (Pind. Pyth. V 1). *εἰ δὴ Εὐτείχης ὄνομα κύριον παρὰ Ἀλκμᾶνι, ὀξύνεται τὸ ἐπιθετικόν.* In his verba *ἀλλὰ πολυνίκης διελένα*, quae ita scribenda videntur *ἀλλ' ἁ πολυνεικὴς Ϝελένα*, ex Aeolensi

poeta ducta sunt. Compares *τὰν δορίγαμβρον ἀμφινεικῆ θ' Ἑλέναν* apud Aeschylum Agam. 695, qui adiectivo *πολυνεικὴς* usus est Sept. c. Theb. 812. Helenae nomen digammatum fuisse constat.

Ἀνάγυρος laudatur a Schol. Iliad. *ι* 123: *ὡς καὶ Δίφιλος ἐν Ἀναγύρῳ «βραχύ τί ἐστι τάλαντον» φησί.* Ubi Didymi quae vocantur scholia *Ἀργύρῳ* habent, quod legitur etiam apud Etymolog. M. p. 744 48. Idem nomen peius etiam corruptum est apud Eustath. p. 740 20: *Δίφιλος δέ που φησὶν ἀργυρίου βραχύ τι τάλαντον.* Villoisoni commentum Praefat. ad Iliad. p. XXXIII in scholiis Venetis *Ἀναργύρῳ* corrigentis verbo tetigisse sufficiat. Anagyrus notissimus est heros atticus, quem etiam Aristophaneae fabulae nomen praebuisse constat. V. Dindorfium p. 91.

Ἀνασωζόμενοι laudatur Athenaeo XI p. 499 c et Antiattic. p. 84 25. *Ἄπληστος* Athenaeo IX p. 370 e. *Ἀποβάτης* Harpocrat. p. 41 3: *ὅτι δὲ εἶχον ἐν ταῖς ληκύθοις ἀργύριον ἐνίοτε δὲ φίλον* (*δὲ Δίφιλον* duo codd.) *τὸν ἀποβάτην.* Ita libri; recte Maussacus edidit: *ἐνίοτε, Δίφιλος τῷ Ἀποβάτῃ.* Sed *δὲ* fortasse in *λέγει* mutandum. Laudatur etiam ab Antiattic. p. 101 10 *κραυγασμός: ἀντὶ τοῦ κραυγή. Δίφιλος Ἀποβάτῃ.*

Sequitur *Ἀπολιποῦσα.* Ita enim recte vocatur apud Polluc. X 12 et in cod. B apud Athenaeum IV p. 132 e et p. 133 f, aliis libris *Ἀπολείπουσαν* praebentibus. *Ἀπολιποῦσαν* scripserunt etiam Apollodorus et Crobylus. Titulum fabulae, quem Grotius Exc. p. 782 perperam Deficiens transtulit, Schweigh. ad Athen. IV p. 125 rectissime de muliere quae maritum deseruit interpretatus est. Ceterum ex Athenaei loco IV p. 133 f: *Δίφιλος* (cod. B *φίλος*) *δ' ἢ Σώσιππος ἐν Ἀπολιπούσῃ,* intelligitur hanc fabulam ab aliis Sosippo tributam esse. At SOSIPPUM comicum quum nemo quod

sciam commemoraverit, eius in locum fortasse Posidippi nomen sufficiendum est. Quamquam eiusmodi coniecturis nihil incertius. De Sosippo Anaxandridis fabula supra diximus p. 373.

Βαλανεῖον habemus apud Athenaeum X p. 446 d et Antiattic. p. 108 32. *Βοιώτιον* apud Athen. X p. 417 e. *Γάμον* ibid. VI p. 254 e et fortasse apud Diogenem Laert. II 120. Cfr. supra p. 426. *Διαμαρτάνουσαν* apud Athen. III p. 111 e. *Ἐγκαλοῦντας* apud Antiattic. p. 110 18. *Ἑκάτην* apud Athenaeum XIV p. 645 a et dubio loco apud Polluc. X 72: *λάγυνος καὶ λαγύνιον. Δίφιλος δ᾽ ἄμφω λέγει, τὸ μὲν ἐν τῇ Ἑκάτῃ πολλάκις, τὸ δὲ λαγύνιον ἐν Ἀδελφοῖς.* Athenaeus autem XIII p. 499 b *λάγυνον* ex Nicostrati Hecate affert, unde Pollucem erroris insimulat Dindorfius. Fortasse rem ita expedire licet, ut Diphilum Nicostrati Hecaten sub incudem revocasse et denuo edidisse dicamus.

Ἐλενηφοροῦντας laudat Athenaeus VI p. 223 a, ubi quod servatum est fabulae fragmentum, scenam dramatis Braurone fuisse indicat. Titulum fabulae primus restituit Casaubonus. Olim enim legebatur apud Athenaeum *ἐλεωνηφοροῦσιν.* Cod. Ven. *ἐλαιωνηφοροῦσιν. B ἐ λαιωνηφοροῦσι.* Similiter cod. Hurald. Apposite Casaubonus affert Polluc. X 191: *ἔστι δὲ καὶ ἑλένη πλεκτὸν ἀγγεῖον σπάρτινον, τὰ χείλη οἰσύϊνον, ἐν ᾧ φέρουσιν ἱερὰ ἄρρητα τοῖς Ἑλενηφορίοις.* Cum autem non mares sed virgines mysticum illud vasculum portasse probabile sit, nescio an *Ἑλενηφοροῦσα* fabulae titulus fuerit, Athenaeus autem scripserit *Ἑλενηφορούσῃ.* Brauronias virgines *κανηφόρους* commemorat Philochorus apud Schol. Homeri Iliad. *α* 594. Heleniorum festum, quod Lacedaemoniorum proprium fuisse existimant, etiam ab Atheniensibus celebratum esse haud

temere ex eo coniicias quod Diphilo comoediae vel argumentum vel opportunitatem praebuit. Ceterum cfr. Meursii Graec. fer. p. 10.

Ἐλλεβοριζομένους habemus apud Antiattic. p. 100 12. *Ἔμπορον* apud Athenaeum VI p. 226 e, ubi ante Casaubonum *ἐν Ἐμπορίῳ* legebatur, ibid. p. 227 e et VII p. 316 f, Etymolog. M. p. 440 40 cll. Anecd. Bekk. III p. 1445, denique apud Harpocrat. p. 130 26, ubi olim *Δίφιλος ἐν Πύρρῳ.* Scenam fabulae Corinthum fuisse docet locus Athenaei l. l. *Ἐναγίζοντες* laudantur Athen. IV p. 165 f, quae fabula non diversa fuisse videtur ab ea quae *Ἐναγίσματα* vocatur a Scholiasta Aristoph. Equ. 960, Photio et Suida s. v. *ψωλός. Ἐπιδικαζόμενος* laudatur apud Pollucem X 137.

Ἐπιτροπή commemoratur ab Antiattic. p. 69. *Ἐξιδιάσασθαι· Δίφιλος Ἐπιτροπῇ.* Sed is permirus est planeque insolens fabulae titulus. Itaque aut *Ἐπιτρόπῳ* scribendum videtur aut *Ἐπιτροπεῖ. Ἐπίτροπον* scripsit etiam Alexis, *Ἐπιτρέποντας* Menander[4]), quae vitiose scribitur *Ἐπιτροπεὺς* apud Schol. Aristoph. Acharn. 1114. Si recte con-

---

[4]) Fragmentis huius fabulae adde locum quantivis pretii apud Davidem ad Aristotelis Categ. p. 23 30 *μέμνηται δὲ τῆς δόξης* (Epicureorum doctrinam dicit) *καὶ Μένανδρος ἐν τοῖς Ἐπιτρέπουσιν ἡνίκα φησίν*

Οἴει τοσαύτην τοὺς θεοὺς ἄγειν σχολήν,
ὡς ἀγαθόν τε καὶ κακὸν καθ' ἡμέραν
νέμειν ἑκάστῳ σμικρὸν ἦν.

Quorum partem servavit etiam Io. Philoponus de aetern. mundi XVI 4. Versum secundum et reliqua ita scribenda videntur:

ὡς τἀγαθόν τε καὶ τὸ κακὸν καθ' ἡμέραν
νέμειν ἑκάστῳ, Σμικρίνη.

Smicrines personae nomen fuisse in illa Menandri fabula docui p. 64.

ieci Diphiliae fabulae indicem fuisse *Ἐπιτροπεύς*, eum de incola pagi *Ἐπιτροπή* interpretandum esse crediderim. Inscriptio apud Boeckhium Corp. Inscr. I 626: *Ἀπολλοφάνης Σατύρου Ἐπιτροπῆθεν.* De fabularum titulis ab atticorum pagorum incolis petitis dixi supra p. 422. *Ἐπίκληρος* laudatur a Polluce X 99. De Eunucho supra dictum p. 451. *Ζωγράφος* est apud Athenaeum VI p. 230 f. VII p. 291 f et Stobaeum Flor. CV 5. *Ἡρακλῆς* apud Athen. X p. 421 e. *Ἥρως* ibid. IX p. 371 a. *Θησαυρὸς* apud Stobaeum Floril. XII 12. *Θησεὺς* apud Athen. VI p. 262 a et X p. 451 b.

Quam *Κληρούμενοι* inscripsit fabulam, eam in Casina expressit Plautus. Ita enim ille Prol. 31:

Clerumenoe vocatur haec comoedia
graece, latine Sortientes. Diphilus
hanc graece scripsit, post id rursum denuo
latine Plautus cum latranti nomine.

Porro *Λημνίας* laudat Athen. VI p. 307 f cll. IV p. 168 b. Lemnias scripserunt etiam Nicochares et Antiphanes, Lemniam Alexis. Turpilii Lemnias aliquoties affert Nonius, cuius fabulae titulum Bothius Fragm. Com. p. 85 minus recte fecit Lemnii.

Μαινόμενον habemus apud Pollucem X 18. *Μνημάτιον* apud Athen. III p. 124 d. *Παιδεραστὰς* ibid. X p. 423 e. *Παλλακὴν* apud Etymol. M. p. 206 16. *Παράσιτον* apud Athen. VI p. 236 b. 238 f. 247 d. X p. 422 b, quibus locis quae servata sunt fragmenta, abunde docent poetam hac in fabula parasiti ingenium et mores data opera descripsisse. *Πελιάδες* laudantur Athen. IV p. 156 f. *Πιθραύστης* ibidem XIII p. 484 c, ubi quod Casaubonus dicit alibi se *Τιθραύστης* scriptum repperisse, memoriae est error: nusquam enim praeterea ea fabula com-

memoratur. Non dubito tamen quin ipsum illud *Τιθραύστης* genuinus fabulae titulus fuerit, modo ne illum Thitrausten intelligas, cuius admonuit Schweighaeuserus, qui quum Artaxerxis fuerit dux belli, Tissaphernis successor, memoratus Diodoro Sic. XIV 8 aliisque, facile intelligitur, Diphilo fabulae argumentum praebere non potuisse. *Πλινθοφόρος* laudatur Antiattic. p. 101 4 et si recte coniicio ab Eustathio ad Hom. p. 1479 46. *Πολυπράγμων* Athen. VI p. 225 a et Photio Lex. s. v. *ῥαγδαῖος*. *Πύρρα* Ammon. differ. verb. p. 61. De Sapphone supra diximus. *Σικελικὸς* laudatur a Polluce IX 81, nisi pro Diphilo Philemonis nomen restituendum est. Vide quae diximus ad Philem. fragm. p. 383. *Σχεδίαν* Etymol. M. p. 683 24, ubi cum vulgo editum sit *Φίλων δὲ μνημονεύει*, Gaisfordius ad Hesiod. p. 112 ex MS Dorvill. legendum esse docuit *Δίφιλος ἐν Σχεδίᾳ μνημονεύει*.

Sequitur fabula *Συναποθνήσκοντες* inscripta, cuius nullum superest fragmentum. Eam latine vertit Plautus teste Terentio Prol. Adelph. 10 sqq.

> Synapothnescontes Diphili comoedia est;
> eam Commorientes Plautus fecit fabulam.
> In graeca adulescens est, qui lenoni eripit
> meretricem in prima fabula: eum Plautus locum
> reliquit integrum; eum hic locum sumpsit sibi
> in Adelphos; verbum de verbo expressum extulit.

Cfr. quae dixi ad Menandri Adelphos. Titulus fabulae spectat ad mutuam coniunctissimorum amicorum caritatem una eademque hora ex vita excedere cupientium. Cfr. Sturzii Dissert. de consuetud. commorientium Gerae 1790. Idem argumentum in cognomine fabula tractavit Alexis.

Στρατιώτην fabulam supra attigimus p. 451. *Σύντροφοι* laudantur Harpocrat. p. 55 10. *Συνωρίδος* duplex fuit

recensio, ut docet Athenaeus VI p. 247 c, qui eandem fabulam rursus commemorat XIV p. 657 e. Aliud fragmentum servavit Harpocratio p. 182 3 et Photius Lex. s. v. *φιμοί*. Fabulae nomen a Synoride meretrice cui *Λύχνος* cognomen erat (Athenaeus XIII p. 583 e) inditum est. *Τελεσίας* a parasito, cui Telesiae nomen, appellata videtur. Athen. VI p. 258 e: *κεχαρτήρικε δὲ ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι, ὡς καὶ τὸν παράσιτον Δίφιλος ἐν Τελεσίᾳ.* Fragmentum fabulae unum superest apud Athenaeum XIV p. 640 d. *Φρέαρ* laudatur a Stobaeo Floril. CXVI 32. *Φιλάδελφος* Antiatt. p. 80 29, qui p. 110 17 eandem fabulam plurali numero *Φιλάδελφοι* extulit. Denique *Χρυσοχόον* habemus apud Photium Lex. s. v. *ὀπαία*. — Plauti Rudentem ex Diphilea fabula esse expressam ipse significat Prol. 32: primum dum huic esse nomen urbi Diphilus Cyrenas voluit. Graecae fabulae quod nomen fuerit nescitur.

Diphilo et Menandro aetate suppar fuit, ni sententia fallit, HIPPARCHUS, de quo nihil nisi haec pauca Suidas memoriae prodidit: *Ἵππαρχος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. δράματα αὐτοῦ περὶ γάμων.* Eadem Eudocia habet p. 248. Quorum verborum sensus, si corruptela vacant [5], haud dubie hic est, in Hipparchi fabulis vel omnibus vel plerisque nuptiarum sollennia esse celebrata. Licuit igitur de Hipparcho idem dicere quod Plutarchus de Menandro praedicavit: *τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἓν συνεκτικόν ἐστιν ὁ ἔρως.* Sed hoc ipsum in caussa est, ut Hipparchum non veteris, sed novae comoediae poetis accensendum putem, idque etiam superstites fabularum tituli (*Ἀνασωζόμενοι* apud Athe-

---

[5]) Lil. Gyraldus Hist. poet. IV p. 734 vertit de mulieribus, ut *περὶ γυναικῶν* legisse videatur.

naeum XI p. 477 f. *Θαΐς* ibid. XI p. 484 d. *Παννυχὶς* ibid. XV p. 668 c. 691 c et apud Pollucem X 108. *Ζωγράφος* apud Stobaeum Serm. LX 2 et Scholiasten ad Dionysium Thrac. p. 648) ita confirmant, vix ut dubitationi locus relictus sit. Menandri ut aequalem fuisse credam Thaidis fabulae indice adducor. Cfr. ad Menandri Fragm. p. 74. Ceterum ab hoc Hipparcho diversus esse videtur is cuius Iliadem Aegyptiacam laudat Athen. III p. 101 a.

LYNCEUS, Samius, Theophrasti discipulus, Duridis nobilissimi historiarum scriptoris frater (vid. Athenaeus VIII p. 337 d) suppar aetate Menandro, eiusque aemulus. Suidas II p. 466 et Eudocia Viol. p. 283: *σύγχρονος δὲ γέγονεν ὁ Λυγκεὺς Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ καὶ ἀντεπεδείξατο κωμῳδίας καὶ ἐνίκησε.* Sed superasse aetate Menandrum ex eo coniicias quod commemoratur eius epistola ad Posidippum comicum (Athenaeus XIV p. 652 c), quem tertio post Menandri obitum anno primam fabulam docuisse constat e Suida. Inter cetera viri scripta ab Athenaeo laudata maxime nos advertit *σύγγραμμα περὶ Μενάνδρου*, cuius secundum librum laudat Athenaeus VI p. 242 b. De comoediis viri unam novimus Centaurum. Vid. Athenaeus IV p. 131 f.

ARCHEDICUS, aequalis Democharis. Suidas: *Ἀρχέδικος, κωμῳδιογράφος, ὃς κατὰ Δημοχάρους ἔγραψε τοῦ ἀνεψιοῦ Δημοσθένους.* Qui pro *ἀνεψιοῦ* rectius scripsisset *ἀδελφιδοῦ*. Sed idem Athenaei error VI p. 252 f et XIII p. 610 f. cfr. Schweigh. vol. III p. 486. Ad easdem contumelias ab Archedico in Democharem iactas spectat Polybii locus lib. XII 13, ubi Timaeum tradit in Democharem omnis generis convicia contulisse, quibus ut aliquam veri speciem conciliaret, comicum poetam, *μάρτυρα ἀνώνυμον*, ab ipso advocatum esse. His autem Archedicum significari,

sequentia docent, ubi criminationum a Timaeo in Democharem sparsarum levitatem demonstraturus ita scribit: *οὐ γὰρ ἂν Ἀρχέδικος ὁ κωμῳδιογράφος ἔλεγε ταῦτα μόνος περὶ Δημοχάρους ὥς Τίμαιός φησιν· ἀλλὰ πολλοὶ μὲν τῶν Ἀντιπάτρου φίλων, καθ' οὗ πεπαρρησίασται πολλὰ καὶ δυνάμενα λυπεῖν οὐ μόνον αὐτὸν Ἀντίπατρον, ἀλλὰ καὶ τοὺς διαδόχους καὶ φίλους γεγονότας.* Itaque ut in Antipatri [6]) gratiam se insinuaret, Archedicus Democharem conviciis proscidit. Hunc enim patriae et libertatis amantissimum fuisse, Macedonicis autem partibus et inprimis Antipatro infestissimum, satis constat. V. Ruhnken. ad Rutilium Lup. I p. 8. Ceterum quales fuerint Archedici in Democharem contumeliae, facile iudicari potest e Timaei verbis apud Polybium l. l. *Δημοχάρην ἡταιρηκέναι μὲν τοῖς ἄνω μέρεσι τοῦ σώματος, οὐκ εἶναι δ' ἄξιον τὸ ἱερὸν πῦρ φυσᾶν.* Cfr. Suidas s. v. *Δημοχάρης.* Fabularum tituli supersunt *Διαμαρτάνων* apud Athen. X p. 467 e et *Θησαυρὸς* ibidem VII p. 292 e et 294 b. Utramque ex Athenaeo commemorant Suidas s. v. *Ἀρχέδικος* et Eudoc. p. 68.

APOLLODORUS. Veteres scriptores duos huius nominis poetas distinguunt, Geloum et Carystium. Quorum alterum APOLLODORUM GELOUM, Menandri aetate h. e. inter Olymp. CX — CXXII vixisse Suidas et ex Suida Eudocia Viol. p. 61 tradit: *Ἀπολλόδωρος Γελῷος, κωμικός, σύγχρονος τοῦ κωμικοῦ Μενάνδρου.* Iidem fabulas ei tribuunt septem, quarum hunc posuerunt recensum: *Ἀποκαρτερῶν ἢ Φιλάδελφοι,* quam Geloo tribuit etiam Athenaeus XI p. 472 c, ubi inverso verborum ordine vocatur *Φιλάδελφοι ἢ Ἀποκαρτερῶν.* Sed idem Suidas s. v.

---

[6]) Est is Cassandri filius de quo cfr. Droysen Hist. Diadoch. p. 165.

σπουδάζω laudat Apollodori Carystii *᾿Αποκαρτεροῦντας*. Ambigue margo Stobaei Floril. XIV 11 *᾿Απολλοδώρου ᾿Αποκαρτερῶν*. Quae sequitur apud Suidam et Eudociam *Δευσοποιός* (sic enim e codd. Pariss. fide pro *Δευσοποιοί*, quod etiam Eudocia tenet, edidit Kusterus) a nemine praeterea laudatur. Titulus fabulae de tinctore interpretandus videtur, quae perrara est huius vocabuli potestas, quod alias aut de coloribus *ἐμμόνοις καὶ δυσεκπλύτοις* aut de vestimentis colorum, quibus imbuta sunt, tenacibus dici constat. Quo magis mirum est a Moeride Attic. p. 122 haec scribi potuisse, *Δευσοποιοὶ ἀττικῶς. βαφεῖς κοινῶς*. Cuius usus nullum adhuc in attico scriptore exemplum se obtulit. *῾Ιέρειαν*, quam Geloo tribuunt Suidas et Eudocia Carystio adscribit Athenaeus VI p. 243 d. V. Ruhnkenius ad Timaei Lex. p. 76. Eadem de *Γραμματειδιοποιῷ* dubitatio obtinuit, quam Geloo praeter Suidam et Eudociam, quibus *Γραμματόδειπνος* dicitur, diserte tribuit Pollux IV 19: *γραμματεῖον δὲ παρὰ τοῖς ᾿Αττικοῖς καὶ ἐν ᾧ ἀργύριον ἀπέκειτο, ὃ καὶ [γραμματεῖον] κιβώτιον ἐκάλουν. οἱ δὲ νεώτεροι αὐτὸ καὶ ἀργυριοθήκην ὠνόμαζον. ᾿Απολλοδώρου δὲ τοῦ Γελώου καὶ δρᾶμά ἐστιν ὁ Γραμματειδιοποιός*. Ita etiam X 193, ubi qui afferuntur versus ita scribendi sunt:

> *μεταξὺ τῶν λόγων δὲ τουτί μοι δοκεῖ*
> *κυμινοδόκην οὐ γραμματεῖον περιφέρειν.*

Tertio loco VII 190 simpliciter Apollodori nomen posuit: *᾿Εκπωματοποιὸς δὲ δρᾶμα ᾿Αλέξιδος καὶ Γραμματειδιοποιὸς ᾿Απολλοδώρου*. Athenaeus autem hanc etiam fabulam Carystio adscripsit VII p. 280 d, ubi quod Casaubonus ea in fabula recoctum aliquem formularum aut litium procuratorem perstrictum fuisse existimat, assensu suo comprabavit Hemsterhusius ad Polluc. X 193. Ac sane *γραμματεῖα* et

γραμματείδια frequentissime dicuntur de libellis vel instrumentis iudicialibus, v. ad Menandrum p. 115. Neque aliter intellexisse videtur Grotius in Excerptis p. 820, qui libellificem interpretatus est. Non video tamen quid impediat quo minus titulum fabulae de homine qui *γραμματεῖα* h. e. *ἀργυριοθήκας* fabricatur, interpretemur. Eo ipse nos Pollux ducit. Cfr. Harpocrat. p. 33 4. Scripsi autem ubique *Γραμματειδιοποιὸς* per *ει*, quae unice vera huius vocabuli, a *γραμματεῖον* ducti, forma fuit. Sequitur *Ψευδαίας* etiam a Polluce X 138 ut Geloi fabula laudata: *Ἀπολλόδωρος ὁ Γελῷος ἐν Ψευδαίαντι*. Ea vitiose apud Eudociam *Ψευδέας* scribitur; neque enim dubitari potest quin inscriptio fabulae de personato Aiace interpretanda sit. Similes fabularum tituli sunt *Ψευδηρακλῆς* Pherecratis et Menandri, *Ψευδοστιγματίας* Nicostrati, *Ψευδολησταὶ* Timoclis, *Ψευδυποβολιμαῖος* Cratini et Crobyli. Denique quae postremo loco inter Geloi fabulas nominantur a Suida *Σίσυφος* et *Αἰσχρίων* (ita enim Kusterus e codd. pro *Αἰσχίων*, quod tenet Eudocia), earum Sisyphus fortasse Apollodori tragici fuit fabula. Aeschrionem latine transtulisse videtur Statius, cuius fabulam hoc nomine inscriptam habemus apud Festum. His ex Athenaeo accedit *Ἀπολιποῦσα* III p. 125 a, quam Carystio tribuunt Suidas s. v. *ἐγκομβώσασθαι* et Photius Epist. 156, cuius loco qui usus est Kuhnius ad Polluc. X 93, falso hanc fabulam Photium Geloo tribuisse narrat. Apud Suidam l. l. quod olim legebatur *Ἀπολλόδωρος Καρυστίοις Ἀπολιποῦσι*, post Kuhnium l. l. et Gatakerum Miscell. I 9 correxit Toupius Emend. I p. 156. Titulum fabulae recte Schweigh. de muliere quae maritum deseruit interpretatus est. Eodem indice fabulas docuerunt Crobylus et Diphilus. *Ἀπολείπουσα* minus recte dicitur Photio l. l. quamquam ita etiam PV apud Athen. l. l. Cfr. p. 452.

Accedimus ad APOLLODORUM CARYSTIUM, quem Atheniensem vocat Suidas, haud aliam fortasse ob caussam quam quod attica civitate donatus fuerit. Suidae verba haec sunt: *Ἀπολλόδωρος, Ἀθηναῖος, κωμικός, ἐποίησε δράματα μζ΄, ἐνίκησεν ε΄.* Quo loco commoti Mongitorius Biblioth. Sic. I p. 175, Meursius Biblioth. Att. p. 1428, Fabricius Biblioth. Gr. II p. 419 et Hemsterhusius ad Polluc. X 93 tres Apollodoros fuisse sibi persuaserunt, Geloum Carystium Atheniensem. Sed Atheniensem praeter Suidam nemo commemorat, qui quum de Carystio plane taceat, hunc ipsum illum Atheniensem esse non dubitandum est. Kuhnii ad Polluc. IV 19 opinio unum eundemque Geloum pariter atque Carystium fuisse, nihil habet quo commendetur. Aetatem Apollodori Carystii Athenaeus XIV p. 664 a ita definit, ut eum Machonis temporibus vixisse dicat. *Μάχων δ᾽ ὁ Σικυώνιος,* inquit, *τῶν κατὰ Ἀπολλόδωρον τὸν Καρύστιον κωμῳδιοποιῶν εἷς ἐστι καὶ αὐτός.* Macho Sicyonius quum eodem Athenaeo teste VI p. 241 f Aristophanem grammaticum, qui sub Ptolemaeis Philopatore et Euergeta floruit, in rebus ad comicam poesin spectantibus instituerit (*διδάσκαλος γενόμενος τῶν κατὰ κωμῳδίαν μερῶν*), probabile est Apollodorum Carystium floruisse inter Olympiadem CXX — CXXX. Ceterum qui ab Anonymo de Comoedia p. XXX et Gramm. Coisl. apud Montefalcon. p. 597 in praestantissimis novae comoediae poetis recensetur Apollodorus, non dubito quin sit Carystius, cuius ut frequentior omnino quam Geloi memoria est, ita etiam ab Athenaeo l. l. sic commemoratur, ut singularem quandam auctoritatem ei tribuisse videatur. Eodem argumento diu est quod etiam Terentium Hecyram et Phormionem ad Carystii, non, quae Lilii Gyraldi Hist. poet. 7 p. 292, Gesneri Biblioth. p. 70 aliorumque sententia est, ad Geloi exemplaria composuisse existi-

maram, quum eam suspicionem nuper diserto testimonio anonymi scriptoris a Maio editi confirmatam vidi: Fabulae eius (Terentii) extant quatuor e Menandro translatae, Andria Eunuchus Adelphoe et Heautontimorumenos; duae ex Apollodoro Caricio (sic), Hecyra et Phormio. V. Angeli Maii Fragmenta Plauti et Terentii p. 38. Cfr. qui eodem testimonio usus esse videtur Petrarca in vita Terentii apud Westerhofium p. XXXV ubi Apollodorus Corinthius scriptum est.

Fabulas Apollodorum Carystium sive Atheniensem Suidas docuisse refert septem et quadraginta, et quinquies vicisse. Titulos idem apposuit nullos: a reliquis autem quae praeter *Ἀποκαρτεροῦντας*, *Ἀπολιποῦσαν*, *Γραμματειδιοποιόν* et *Ἱέρειαν*, quas supra attigimus, commemorantur Carystii fabulae, hae sunt. *Ἀμφιάραος* sive potius *Ἀμφιάρεως* apud Pollucem X 161. *Ἀντευεργετῶν* apud eundem X 138. *Διάβολος* apud eundem X 154 *καὶ ἐν Ἀπολλοδώρου τοῦ Καρυστίου Διαβάλλων* (Cod. *Διαβάλῳ*)· *μέγα, ὦ Φορμίων, γλωττόκομον, οὐκ ὀφθαλμιῶ.* Gatakerus Miscell. I 9 scribebat *Διαβάλλοντι.* Sed recte Iungermannus *Διαβόλῳ.* Menander apud Schol. Hermogenis p. 37 *γραῦς διάβολος* calumniatrix. Adverbio *διαβόλως* usus est Thucydides VI 15 et *Διάβολον* Nicostrati habemus apud Athenaeum XI p. 474 b. Recte igitur margo Gesnerianus et Grotianus Stobaei Floril. VI 28 habet Apollodori in Calumniatore, ubi Gaisfordius nudum Apollodori nomen posuit. Ceterum Gatakeri argumenta, quibus ille ex hac fabula Phormionem Terentianam expressam esse docere conatus est, mireris assensum tulisse Luzacii de digamia Socratis p. 64.

Corrupto fabulae nomini *Ἐννέα* apud Pollucem X 153, *Ἀπολλόδωρος ὁ Καρύστιος ἐν τῇ Ἐννέᾳ*, quomodo medear

non habeo. Corrigunt *Ἐνεᾷ* et de muta muliere interpretantur, nulla cum veritatis specie; nec melius *Ἱερείᾳ* Casaubonus ad Athenaeum p. 243 b. Paullo speciosius coniicias *Ἐνναίαν* mulierem Ennaeam vel *Νεμέαν* meretricem fabulae nomen impertivisse.

Hecyra nulli veterum scriptorum commemorata Terentii imitatione nobilitata est. Ipse quidem Terentius Apollodori nomen tacuit; nihilo minus res certa est ex Vita Terentii a Maio edita p. 38. Cfr. Petrarcam Vit. Ter. apud Westerhofium vol. I p. XXXV et veterem didascaliam Terentianae fabulae praemissam: tota graeca Apollodoru. Sic enim in antiquis exemplaribus scriptum repperit Pighius Annal. XI p. 392, non ut hodie editur: tota graeca Menandru. Terentius quam presse graecum exemplar sequutus sit vel initium fabulae a Donato servatum docet. Altera fabula, quam in Phormione expressit Terentius, Apollodorus *Ἐπιδικαζόμενος* inscripserat. Terentius Prol. 25:

Adporto novam,
Epidicazomenon quam vocant comoediam
graece, latine Phormionem nominant,
quia primas partes qui aget, is erit Phormio
parasitus, per quem res geretur maxime.

Ubi Donatus gravis erroris Terentium accusat: hanc enim quam transtulerit fabulam Epidicazomenon dictam esse a puella de qua iudicium est; aliam esse Epidicazomenon eiusdem Apollodori: debuisse ergo dicere Terentium Epidicazomenen. Hoc Donati testimonio confisus Bentleius antiquam lectionem Epidicazomenon, quam tenet etiam vetus didascalia Terentii «tota graeca Apollodoru Epidicazomenos», exturbare eiusque loco Epidicazomenen inferre non dubitavit. «Non est, inquit, «quod cum Donato erroris arguamus Terentium, cum facile

«corrigere possimus Epidicazomenen. Nam ut ἐπίδικος, «auctore Harpocratione, est virgo orba de qua lis est cui «debeat in matrimonium locari: ita ἐπιδικαζομένη est de «qua iudicium factum est: et talis utique hic a Terentio «inducitur Phanium.» Persuasit Bentleius Sluitero, qui Lectt. Andoc. V p. 93 haec scripsit: «Apollodori Ἐπιδι-«καζόμενος olim extitit, diversa ab Ἐπιδικαζομένῃ, ex qua «Phormionem suum transtulit Terentius; hanc enim inscriptam «fuisse Ἐπιδικαζομένην vel ex Terentiana fabula est mani-«festum, cum non iuvenis puellam, sed Phormio, nomine «puellae, iuvenem in iudicio coegerit, ut duceret amatam.» Enimvero ut mittam Bentleium non recte interpretari ἐπι-δικαζομένην puellam de qua iudicium factum est, quo sensu nullus unquam scriptor verbo ἐπιδικάζεσθαι usus est, mihi quidem nunquam probabile visum est Apollodorum duas fabulas, alteram Ἐπιδικαζομένη alteram Ἐπιδικαζό-μενος inscriptam, docuisse, quod ego tum demum factum credam, si rem graviore quam Donati qui fertur auctoritate munitam videro. Eadem Kuhnii fuit sententia ad Pollucem X 137, probata etiam Hemsterhusio ad X 154, sed quod addit ille, prioris fabulae (Ἐπιδικαζομένου) auctorem fuisse Diphilum, nihil caussae esse video cur diversos auctores confudisse Donatum statuamus. Mihi quidem utrumque no-men eidem fabulae convenire videtur. Ἐπιδικαζόμενον si inscripsit Apollodorus, fecit hoc propter Phormionem, qui se paternum Phanii amicum simularet, ideoque causa virgi-nis suscepta Antiphonem in iudicio cogeret ut illam matri-monio sibi iungeret. Itaque Phormio ἐπεδικάσατο τῇ Φα-νίῳ τοῦ Ἀντιφῶντος, quemadmodum ἐπιδικάζεσθαι τοῦ κλήρου τινὶ dicitur is qui alii hereditatem vindicat. Cfr. Meyer de Proc. Attic. p. 462 56. Sin Ἐπιδικαζομένην in-scripsit, id propter Phanium fecisse putandus est, quae in-

tercedente Phormione cogeret Antiphonem ut se uxorem duceret. Potuit igitur eadem fabula, quam Apollodorus *'Ἐπιδικαζόμενον* inscripserat, proclivi errore ab aliis *'Ἐπιδικαζομένης* nomine frequentari. Ceterum *'Ἐπιδικαζομένην* nullus, quod sciam, comicus scripsit; *'Ἐπιδικαζόμενον* autem praeter Apollodorum scripserunt Diphilus Anaxippus et Philemo. Phormionis parasiti nomen, ut hoc addam, non fictum ab Apollodoro sed e rei veritate ductum fuisse colligas ex Athenaeo VI p. 244 f *'Ἀριστόδημος — παρασίτους ἀναγράφει 'Ἀντιόχου μὲν τοῦ βασιλέως Σώστρατον, Δημητρίου δὲ τοῦ πολιορκητοῦ Εὐαγόραν τὸν κυρτόν, Σελεύκου δὲ Φορμίωνα.* Neque alius videtur Phormio fuisse is quem in *Διαβόλῳ* induxerat Apollodorus. V. Pollux X 154.

Sequitur *Π ρ ο ι κ ι ζ ο μ έ ν η ἢ 'Ι μ α τ ι ό π ω λ ι ς* apud Athenaeum III p. 76 a. Ita enim recte Schweighaeuserus edidit interposito *ἤ*, quo libri carent. Idem affert Philoxeni glossas: *Π ρ ο ι κ ί ζ ω* d o t o. *Π ρ ο ι κ ι ζ ο μ έ ν η* d o t a n d a. Minus recte Grotius D o t a t a m reddidit. Denique *Σ φ α τ τ ο μ έ ν η ν* habemus apud Athenaeum VI p. 243 e, ubi quum Chaerephon rideatur, hanc e prioribus Apollodori fabulis fuisse coniicias, si quidem parasitus ille Olympiadem CXX vix superaverit. Tacito fabulae titulo semel laudatur Apollodorus Carystius ab Athenaeo I p. 34 d.

Praeterea decem Apollodori fabularum titulos commemoratos video, sed nulla patriae significatione addita, ut utr[illegible] adscribendae sint incertus haereas. Sunt autem hi. *'Α δ ε λ φ ο ί* apud Stobaeum Floril. CXXI 13. *'Α φ α ν ι ζ ό μ ε ν ο ς* ibid. LIII 4. *Δ ι α μ α ρ τ ά ν ω ν* ibid. CXIX 14, ubi quum margo Gesnerianus A p o l l o d o r u s A b e r r a n t i b u s, Grotianus autem A b e r r a n t e praebeat, Fabricius aliique *'Ἀποτυγχάνοντα* graecum titulum fecerunt. Gaisfordius demum [illegible] codice edidit *'Ἀπολλόδωρος ἐκ Διαμαρτάνοντος*, cuius loc[illegible]

quum Gesnerus in codice suo ἐκ Διαμαρτανόντων repperisse videatur, id ipsum fortasse verum et genuinum fuit fabulae elogium. Eiusdem fabulae nomen latere videtur apud Antiattic. p. 101 1 καθίσω: καθεδοῦμαι. Ἀπολέγων Διαμαρτανούσῃ (fort. Διαμαρτάνουσι). Ita edidit haec Bekkerus et ante Bekkerum Montefalconius Bibl. Coisl. p. 482. At Valckenario teste Diatr. p. 244 B in codice pro Ἀπολέγων legitur ἀπολέγει, unde Ruhnkenius Εὔπολις λέγει coniiciebat, quam infelicem coniecturam mirum est Valckenarium, qui in illo ἀπολέγει Apollodori nomen latere viderat, suae ipsius coniecturae praetulisse. Γαλάτας habemus apud Stobaeum Flor. XCIX 26, ubi Grotius Apollodorus Lacte, Gaisfordius Ἀπολλοδώρου Γάλακτος. Ita vero comoediam inscriptam fuisse quis credat? Recte Gesnerus in Galatis, quo titulo fabula ferebatur Sopatri Paphii, v. Athen. IV p. 160 e. De Posidippi Γαλάτῃ infra dicetur. Nec male tamen Γαλάτειαν aliquis scribendum coniiciat, quo titulo fabulas docuerunt Nicochares et Alexis. Idque ipsum ut nunc video proposuit Toupius Add. ad Theocr. II p. 402. Sed teneo Γαλάτας. Porro Συνεφήβους habemus apud Ammonium differ. verb. p. 133, ubi quum vulgo legatur ἐν Ἐφήβοις, cod. Paris. proxime vero habet σὺν ἐφήβοις. Κιθαρῳδὸν apud Stobaeum Floril. CXXI 14. Λάκαιναν ibidem CXIII 7 et CXVI 35. Παιδίον ibid. LIII 7, cum lemmate Ἀπολλοδώρου Παιδίων, pro quo recte Gaisfordius Παιδίῳ. Atque ita iam Gesnerus: in Paedio. Nec minus corrupte legitur CX 2: Ἀπολλοδώρου ἐκ Παίδων, ubi itidem ἐν Παιδίῳ legendum videtur, qui frequentissimus est comoediarum index. Denique Παραλογιζομένους habemus apud Stobaeum XCIX 17, quod Grotius vertit Circumscripti, rectius opinor facturus si Impostores transtulisset. Quos praeterea

Meursius et Fabricius apposuerunt tanquam fabularum titulos, *Ῥυτῖνος* e Plutarcho [7]) et Euxenis (sive Euxenides) e Festo [8]), nihil ad comicum Apollodorum attinere videntur. *Οἰκέτης* qui factum sit ut Fabricius Bibl. Gr. II p. 420 inter titulos fabularum Apollodori receperit, docent ea quae ad Fragm. inc. fab. VI annotabimus. Denique quod ingeniose suspicatus est Ritschelius diss. de Oro p. 39, Apollodori fabulam *Θηριππίδης* inscriptam commemorari in Etymolog. Gud. p. 342 35, eiusmodi est ut certi quidquam affirmare vix liceat. — Harum fabularum pleraeque etsi non dubitamus quin Carystio tribuendae sint, fragmenta tamen separatim exhibebimus.

Ad orationis indolem quod attinet, qua usus est Apollodorus sive Gelous sive Carystius, grammatici quidem plurima gravi nota insigniverunt. Ex hoc genere est *σακκοπήρα*, quod ad vulgus imperitorum ablegat Pollux X 165: *σακκοπήραν δὲ ὡς εἴθισται τοῖς ἰδιώταις λέγειν, ἐν Ἀπολλοδώρου τοῦ Καρυστίου Ἀμφιάρεῳ.* Nec magis probatum fuit Atticistis *στρωματεύς*, quo utrumque Apollodorum usum esse idem Pollux tradit X 138. Cfr. Lobeckius ad Phrynichum p. 501. *γλωττόκομον* dixit Carystius teste Polluce X 154, ad quem locum vide quae commentatus est Lobeckius l. l. p. 89. Prorsus alienum fuit ab Atticorum usu nomen *μαρσί-*

---

[7]) Quaest. graec. 42 p. 301 c, ubi exposita proverbii *αὗτα κυρία* origine, ita pergit: *οὕτω γὰρ ὁ Θεόφραστος ἱστόρηκε. προσιστόρηκε δὲ καὶ ὁ Ἀπολλόδωρος ἐν Ῥυτίνῳ, τοῦ κήρυκος «αὗται πλείους» εἰπόντος, ἀλλ' αὗται, φάναι, βελτίους καὶ ἐπικυρῶσαι τὴν τῶν ἐλαττόνων χειροτονίαν.*

[8]) De verb. signif. p. 224 Lind. Apollodorus in Euxenide ait, Aenea et Lavinia natos Mayllem Mulum Rhomumque, atque ab Rhomo urbi tractum nomen.

πιον apud Poll. X 152, et verbum *ἐγκομβώσασθαι*, quo idem usus est apud Suidam s. v. et Photium Epist. 156 p. 210. Eadem nota dignum quod Antiattic. p. 101 1 ex Apollodoro attulit *καθίσω* pro *καθεδοῦμαι*, et *φυσικὸν* naturae consentaneum in fragmento apud Stobaeum Flor. XCIII 7:

φυσικόν γε τοῦθ', ἕκαστος ἐν ταῖς ἀτυχίαις
ἥδιστα πρὸς τοὺς ὁμοπαθεῖς ὀδύρεται.

Citerioris item graecitatis est verbum *ἐργοδοτεῖν*, quamquam sine nota transmissum a Polluce VIII 200. Antiattic. p. 94 5. *Ἐργοδοτεῖν: ὡςκὰν τῇ συνηθείᾳ. Ἀπολλόδωρος.* Neque ad alium spectant haec Phrynichi Ecl. Att. p. 344. *ἐργοδότης οὐ κεῖται, τὸ δὲ ἐργοδοτεῖν παρά τινι τῶν νεωτέρων κωμῳδῶν, οἷς καὶ αὐτοῖς οὐ πειστέον.* Nec *λέπεσθαι* eo quo Carystius sensu posuit apud Athenaeum VII p. 280 e Atticis frequentatum fuisse putaverim. Rarissimum *Εὐβοῆς* accusativo casu pro *Εὐβοέας* vel *Εὐβοεῖς* in eodem Athenaei loco p. 280 a: *κεραννύναι τὸν οἶνον Εὐβοῆς.* Cuius formae exempla e Sophocle et Xenophonte exsignavit Herodianus apud Choeroboscum Bekk. Anecd. p. 1195: *σημειοῦται δὲ ὁ Ἡρωδιανὸς παρὰ τῷ Σοφοκλεῖ τοὺς βασιλῆς* (Aiac. 388) *διὰ τοῦ η γραφομένους κατὰ τὴν αἰτιατικήν, οἷον*

τούς τε δισσάρχας ὀλέσας βασιλῆς.

ἔστι δὲ καὶ παρὰ τῷ Ξενοφῶντι τοὺς νομῆς διὰ τοῦ η. Denique *ἔσανα* commemorandum in fragm. apud Athen. I p. 3 c pro attico *ἔσηνα.*

ANAXIPPUS. Is Suida s. v. *Ἀνάξιππος* et Eudocia Viol. p. 60 testantibus floruit temporibus Antigoni et Demetrii Poliorcetae, quem Athenas occupasse constat Olymp. CXVIII 2. Fabularum eius quattuor vel quinque commemorantur tituli. Ex his *Ἐπιδικαζόμενον* habemus apud Aelianum H. A. XIII 4. *Κεραυνὸς* laudatur Athen. X p. 416 f et Antiattic. p, 79 5. Huic fabulae nomen indi-

tum fuit a Damippi cuiusdam cognomine *Κεραυνός*, quippe qui fulminis instar in mensas dapibus gravatas impingeret. V. Athen. l. l. qui eandem fabulam iterum commemorare videtur XIII p. 610 f, ubi habemus Anaxippum *ἐν Κεραυνουμένῳ*, pro quo *ἐν Κεραυνῷ* scribendum esse haud temere coniicias. *Κιθαρῳδοῦ* memoriam praeter Athenaeum IV p. 169 b, ubi coquinaria instrumenta recensentur, servavit Pollux X 94. *Φρέαρ* semel ad partes vocatur ab Athen. XI p. 486 e. Dubitantius Anaxippi fabulis addo *Ἐγκαλυπτόμενον* laudatum Athen. IX p. 403 f, ubi quum vulgo legatur *ὁ παρὰ Ἀνθίππῳ τῷ κωμικῷ μάγειρος — ἐν τῷ Ἐγκαλυπτομένῳ*, Victorius Var. Lect. XXXVII 20, manifesto errore, Archippi, Valckenarius autem ad Euripid. Hipp. p. 265 b et Piersonus ad Moer. p. 74 satis probabiliter Anaxippi nomen restituerunt.

PHILIPPIDES, Philoclis filius, in praestantissimis novae comoediae poetis habitus, teste Anonymo de Comoedia p. XXX et Gramm. Seguer. apud Montefalc. Bibl. Coisl. p. 597: unde haud male opinor apud Tzetzen novae comoediae principes recensentem in Prolegomenis ad Lycophronem p. 256 scribendum suspiceris: *καὶ νέοι, Μένανδρος, Φιλήμων, Φιλιππίδης καὶ πλῆθος πολύ* pro edito *Φιλιστίων*. Sed de hoc iam supra admonui. Suidas de Philippide haec prodidit: *Φιλιππίδης, κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς νέας κωμῳδίας, υἱὸς Φιλοκλέους. ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ρια´ Ὀλυμπιάδος*, floruit autem Olympiade CXI, quod si verum esset, mediae potius quam novae comoediae accensendum putarem Philippidem, eamque sententiam non male quis Platonis commemoratione in fragmento apud Stobaeum LXVIII 6 confirmaret. Atqui idem apud Plutarchum Vit. Demetr. p. 894 c. 900 f et Amator. p. 750 f acerbissime exagitat Stratoclem, Demetrii et Antigoni adulatorem impudentissi-

mum. Hinc satis certo colligitur floruisse Philippidem inter Olympiadem CXVIII et CXXII. Quod quidem etiam eo confirmatur quod Lysimachi regis gratia floruit. Plutarchus Demetr. p. 894 c: *ἦν δ᾽ ὁ Φιλιππίδης Λυσιμάχου φίλος καὶ πολλὰ δι᾽ αὐτὸν ὁ δῆμος εὖ ἔπαθεν ὑπὸ τοῦ βασιλέως. ἐδόκει δὲ καὶ πρὸς πρᾶξιν αὐτῷ καὶ πρὸς στρατείαν εὐσύμβολος ἀπαντήσας εἶναι καὶ ὀφθείς.* Lysimachus enim regem se appellari iussit Olymp. CXVIII 2 et obiit Olymp. CXXIV. His adde quod quum Demetrius teste Diodoro Sic. XX 110 archonte Nicocle mysteriis Eleusiniis initiatus esset, id ipsum Philippides irrisisse dicitur a Plutarcho V. Demetr. l. l. id quod ante Olymp. CXX fieri non potuit. Itaque aut corruptus est numerus Suidae legendumque *ἐπὶ τῆς ρκά Ὀλυμπιάδος* *), aut accidit illi idem quod multis aliis accidisse Clintonus Fast. Hell. Prooem. p. XLIV docuit, ut Philippidem comicum confunderent cum Philippide eo, contra quem scripserat Hyperides, et cuius macilentia risus iocosque praebuit Alexidi Aristophonti aliisque mediae comoediae scriptoribus. De ceteris Philippidae rebus nihil cognitum habemus nisi quod erectae fuit homo indolis et oris libertate tanta, ut pristina comoediae virtus et fortitudo in eo revixisse videatur. V. supra p. 437. Neque poenitebit legisse quae de ingenio viri Plutarchus l. l. tradidit: *ἄλλως δὲ καὶ διὰ τὸ ἦθος εὐδοκίμει μηδ᾽ αὐλικῆς περιεργίας ἀναπιμπλάμενος. Φιλοφρονουμένου δέ ποτε τοῦ Λυσιμάχου πρὸς αὐτὸν καὶ εἰπόντος «Ὦ Φιλιππίδη, τίνος σοὶ τῶν ἐμῶν μεταδῶ»; «μόνον» ἔφη «ὦ βασιλεῦ, μὴ τῶν ἀπορρήτων.»* Quae etiam aliis Plutarchi locis tradun-

*) Eandem sententiam proposui Proleg. ad Menandrum p. XLIV, ubi operarum errore impressum est *ρκδ'*, quod moneo propter Clintonum Prooem. Fast. p. XLIV.

tur a Gaisfordio ad Stobaei Flor. XLIX 19 indicatis. Mortis rationem prodidit Gellius N. A. III 15. «Philippides, «comoediarum poeta haud ignobilis, aetate iam edita quum «in certamine poetarum praeter spem vicisset et laetissime «gauderet, inter illud gaudium repente mortuus est.» Similia item de aliorum poetarum obitu narrantur, v. c. de Sophocle de Philemone de Alexide. Cfr. quae attuli Prolegg. Menandr. p. XLVI.

Fabularum, quas quadraginta quattuor eum scripsisse Suidas refert, tituli supersunt quindecim. *Ἀδωνιάζουσαι* laudantur a Poll. V 100 et Antiattic. p. 86. 104. Ea in fabula mulierculararum coetum, qualis ille est quem Diphilus in Theseo apud Athen. X p. 451 b describit, Adoniorum solennitatem convivio aliisque ludicris celebrantium repraesentasse videtur. Comparare licet Dionysiazusas Timoclis. De Philetaeri Adoniazusis supra p. 349 egimus. Aristophanis Lysistratam fuisse qui Adoniazusas inscriberent docet Schol. Lys. 390 *τινὲς ἐκ τούτου* (propter Adoniasmi memoriam) *τὸ δρᾶμα Ἀδωνιαζούσας ἐπιγράφουσιν, οὐ καλῶς. παρὰ πολλοῖς δὲ ὀργιάζονται αἱ γυναῖκες θεοὺς οὐ δημοτελεῖς οὐδὲ τεταγμένους.* Ubi corrige obiter *θυσίας* pro *θεοὺς* et *τεταγμένας.* Amphiaraum semel commemorat Athenaeus III p. 90 b.

Sequitur *Ἀνανέωσις.* Ita enim vocat fabulam Athenaeus VI p. 262 a. IX p. 384 e. Eodemque modo apud Antiatticistam p. 116 *Ψωμοκόλακες: Φιλιππίδης Ἀνανευούσῃ,* corrigendum esse monui ad Philemonem p. 359. Similiter huius fabulae nomen corruptum est in margine Stobaei Flor. I 13, ubi Gesnerus Philippid. in Ananeusa, Gaisfordus autem e coniectura edidit *Φιλιππίδου Ἀνανέωσις.* Sed idem LXVIII 6 servavit *Φιλιππίδου Ἀνανεούσης,* verum dramatis titulum *Ἀνανέωσις* fuisse existimantis. Qui sensus sit indicis

difficile dictu est. Renovatio vertit in Athenaeo Dalecampius, Recordatio Schweighaeuserus IX p. 167. Rectius fortasse intelligas quam nos dicimus die Veriüngung. Similis titulus fabulae Philemoniae *Ἀνανεουμένη*, qui de vetula repuerascente intelligendus videtur.

Ἀργυρίου ἀφανισμὸς semel commemoratur Athenaeo VI p. 230 a, ubi conqueritur nescio quis de novorum hominum (*νεοπλούτων μετοίκων*) insolentia et luxuria, quos aureis et argenteis vasis uti dicit: *πρότερον δὲ φιάλην ἦν ἀνακειμένην ἰδεῖν ἐργῶδες.* Ad quae alter interlocutor respondet:

ἀμέλει τοῦτο μὲν καὶ νῦν ἔτι·
ἂν γὰρ ἀναθῇ τις, εὐθὺς ἕτερος ἥρπασεν.

Quae postrema tituli rationem satis expediunt. Ex eadem fabula petitum esse suspicor locum ab Athen. XI p. 781 f omisso titulo allatum:

Τὰ ποτήρι' ἂν ἴδῃς τὰ παρεσκευασμένα
ἅπαντα χρυσᾶ, Τρόφιμε, νὴ τὸν οὐρανόν,
ὑπερήφαν'· ἔγωγε μὲν γὰρ ἐξέστην ἰδών·
κρατῆρες ἀργυροῖ, κάδοι μείζους ἐμοῦ.

Idem de hoc versu apud Pollucem X 167 dixerim:

ἀλύσιον εἶχε τετταράκοντ' ἄγον δραχμάς.

Ceterum suspicari licet Strattidis et Antiphanis fabularum eodem titulo inscriptarum simile fuisse argumentum.

Αὐλοὺς habemus apud Athenaeum XIV p. 658 d et Pollucem VI 54. *Λακιάδαι* duobus locis commemorantur a Polluce IX 38 (ubi ante Meursium *Λακιάδης* legebatur pro *Λακιάδαις*) et X 37, quibus ex locis ad argumentum fabulae nihil proficitur. Non abhorret tamen a verisimilitudine Kuhnii coniectura adulteros perstrinxisse hac fabula poetam suspicantis. V. intpp. Hesych. I p. 417. *Βασανιζομένη* laudatur Antiatticistae p. 92. *Μαστροπὸς* ibidem p. 80.

De **Olynthia** supra diximus p. 341. *Συμπλεούσας* habemus apud Athenaeum XV p. 700 c, quam singulari numero *Συνεκπλέουσαν* appellat Pollux IX 30. Fortasse utrumque coniungendum, ut titulus fabulae fuerit *Συνεκπλέουσαι*. Similiter Nicomachus inscripsit fabulam *Μετεκβαίνουσαι*. *Φιλαδέλφους* laudat Stobaeus CVIII 13, ubi **Philippi** nomen habet cod. A. Trincavellus omisso fabulae titulo *Φιλιππίδου*. Cfr. supra p. 348. *Φιλαθήναιος* laudatur Photio Lex. s. v. *συκάμινα*. *Φιλάργυρος* Athen. XV p. 640 c. *Φίλαρχος* Antiattic. p. 108. V. supra p. 425. Denique *Φιλευριπίδης* laudatur Antiattic. p. 112 et Polluci IX 38. 88. Cfr. supra p. 341. Quae praeterea Philippidi tribuuntur fabulae, *Κόθορνοι* et *Νάννιον*, de iis vide quae diximus p. 103 et 342. De alia fabula *Τριόδους ἢ Ῥωποπώλης* inscripta et Philippidi fortasse vindicanda infra in Epimetro dicendi locus erit.

Inter principes novae comoediae auctores habuisse grammaticos Philippidem supra monui; sed Atticismi, ut aetatis suae ratio ferebat, fuit paullo negligentior: neque id fugit veteres criticos, qui eam ipsam ob causam Philippidae auctoritati non multum tribuebant, velut Phrynichus Ecl. p. 365, Pollux IX 30. Sed hi fere non nisi singulorum vocabulorum usum notarunt, ex quo genere quae in fragmentis observavi fere haec sunt. Ita *ἔσθειν* dixit pro *ἐσθίειν* apud Athen. VI p. 230 a, *ἀπόστασις* de loco ubi vinum conditur apud Antiattic. p. 80, *κέρμα* numero singulari apud Polluc. IX 88, *ψωμοκολακεύειν* a substant. *ψωμοκόλαξ* formatum apud Athen. VI p. 262 a, *ῥύμη* pro *στενωπὸς* apud Polluc. IX 38, *ὄστρεον* pro *ὄστρειον* apud Athen. III p. 90 b, nisi scripsit *ὄστρει᾽ ἀναλήψας λεπάδας ἃς παρέθηκέ μοι*. Porro *γυναὶ* pro *γυναῖκες* apud Antiattic. p. 86. Quamquam id quidem etiam Pherecrates ausus est. Porro *τάριχον* pro *τάριχος*

apud Athen. VI p. 230 b, *ὁδοιπόρηκα* omisso augmento dixisse videri potest apud Polluc. IX 38, ubi vulgo legitur: *ὀρθῶς γε τὴν ῥύμην ὡδοιπορήκαμεν.* Sed corrigendam videtur *ὁδοιπεπορήκαμεν.* *Πέπλος* penultimo longa legitur apud Plutarch. Demetr. 12. Mitto reliqua. Fuisse tamen ubi ipse novitiorum verborum usum notaret docent haec Photii Lex. p. 369 26 *Παιδισκάριον: κοράσιον δ' οὐ λέγεται, ἀλλὰ καὶ κεκωμῴδηκε Φιλιππίδης ὡς ξενικόν.* Similiter ille usum verbi *ἀνακεῖσθαι* de epulantibus dicti perstrinxit apud Athen. I p. 23 c.

HEGESIPPUS. De Hegesippo ita Suidas vol. II p. 43 scribit: *Ἡγήσιππος. οὗτός ἐστιν ὁ Κρωβύλος ἐπικαλούμενος, οὗ δοκεῖ εἶναι ὁ ζ' Φιλιππικὸς* (orationem de Halonneso dicit) *Δημοσθένει ἐπιγραφόμενος. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φιλέταιρος, ὡς Ἀθήναιος.* Hunc Hegesippum quum Demosthenis aequalem fuisse constet, factum est ut mediae eum poetis comoediae adscripserit Fabricius Bibl. Gr. II p. 448, quem sequutus est Reiskius. Vid. Iacobs. Anth. Gr. III 3 p. 901. Sed Suidas confudit diversissimos homines, Hegesippum comicum poetam et Hegesippum oratorem, cui veteres critici duas Demosthenis orationes tribuerunt, alteram de Halonneso, alteram de foedere cum Alexandro. V. Ruhnken. Histor. crit. orat. p. LXXIX. Hunc Hegesippum oratorem, Hegesandri fratrem, quum Aeschines [10]) per ludibrium Crobyli nomine appellasset, miro er-

---

[10]) Orat. c. Timarch. p. 86 sqq. cfr. Plutarchus vol. II p. 187 Frank. et Hesychius s. v. *Κρωβύλος.* Nominis rationem Scholiastes Aeschinis p. 733 Rsk. hanc reddit, quod Hegesippus *ἠλείφετο την κεφαλην καὶ ἐφιλοκάλει τὰς τριχας*, scilicet *ἀπὸ τοῦ κρωβύλου* veterum Atheniensium, de quo satis constat ex Thucydide. Alius Scholiastes Hegesippo illud cognomen *δια την πονηριαν* haesisse narrat, quod quo spectet mihi non com-

rore accidit ut Meursius Fabricius Vossius Hist. gr. III p. 372 Schweighaeuserus ad Athen. X p. 429 d aliique Suidae loco decepti Hegesippum et Crobylum, poetas comicos, pro uno eodemque habendum sibi esse persuaderent. Hegesippus orator si idem fuisset qui comicus, non dubitari potest quin Plutarchus Vit. Demosth. c. 17 et Apophthegm. p. 187 d eius rei lectores admoniturus fuisset. Accedit temporum diversitas. Hegesippus enim orator, ut vidimus, Demosthenis temporibus vixit, comicus autem vix floruit ante Olymp. CXX. Epicurus enim, quem exagitat apud Athenaeum VII p. 279 d, scholam Athenis aperuit aetatis anno XXXVII hoc est Olymp. CXIX 1, teste Apollodoro apud Diog. Laert. X 15. At fortasse ne scripsit quidem Suidas ita ut vulgo editur. Nam quum Photius s. v. *Ἡγήσιππος* et Harpocrat. p. 281 eadem plane quae Suidas de Hegesippo attulerint, sed omissis postremis illis, quae originem erroris continent, verbis *τῶν δραμάτων αὐτοῦ* etc., haud temere his Hegesippi comici nomen praefigendum esse coniicias. Ceterum Fabricius etiam in eo fallitur quod Hegesippum patria Tarentinum fuisse dicit, quem errorem securus repetiit Schweigh. ad Athen. X p. 429 d et Reiskius l. l. At Tarentinus a comico poeta fuit diversissimus, scripsitque *Ὀψαρτυτικὰ* commemorata ab Athen. XII p. 516 d. Fabulas commisit Hegesippus, quod scimus, duas, alteram *Ἀδελφοί* inscriptam, *Φιλέταιροι* alteram. Adelphos laudat

---

pertum est, nisi forte de Crobylo famoso lenone cogitavit. Photius Lex. p. 181 *Κρωβύλου ζεῦγος ἐπὶ πονηρῶν· ἀπὸ πορνοβοσκοῦ δύο πόρνας ἔχοντος.* Ceterum Hegesippum nec comicorum ludibrium effugisse docet Aeschinis schol. MS ad orat. c. Tim. § 71 *ἐκωμῳδήθη ὡς αἰσχρὸς τὴν ὄψιν καὶ περὶ τὰ Φωκικὰ ἡμαρτηκώς.*

Athenaeus VII p. 290 b et IX p. 405 d. Philetaeros, quae numero singulari *Φιλέταιρος* dicitur Suidae, idem ad partes vocat VII p. 279 d. Ad eundem hunc Hegesippum fortasse spectant etiam haec apud Bekkerum Anecd. Gr. III p. 1185: *εἰσὶ δὲ ταῦτα, οἷον Ἀφίας Ἀφίαντος παρ' Εὐφορίωνι (ἔστι δὲ ὄνομα κύριον), Ἐλέας Ἐλέαντος παρὰ Φιλοστεφάνῳ (ἔστι δὲ ὄνομα κύριον), Σατύας Σατύαντος παρ' Ἡγησίππῳ (ἔστι δὲ καὶ αὐτὸ ὄνομα κύριον).*

SOSIPATER. Hunc unus commemorat Athenaeus IX p. 378 f, ubi praelongam ex *Καταψευδομένῳ* fabula eclogam apposuit, in qua quum Chariades coquus commemoretur, de quo Euphro apud Athen. IX p. 379 c tanquam mortuo loquitur:

Νηρεὺς δ' ὁ Χῖος γόγγρον ἧψε τοῖς θεοῖς,
θρῖον τὸ λευκὸν οὑξ Ἀθηνῶν Χαριάδης,

Sosipatrum tempore Euphrone paullo superiorem fuisse apertum est. Fortasse igitur mediae poeta fuit comoediae. Schweighaeuseri rationem, qui Sosipatrum hunc nostrum non diversum putabat a Sopatro parodo, verbo commemorasse sufficiat.

EUPHRO, Atheniensis. Suidas: *Εὔφρων κωμικός, Ἀθηναῖος. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Αἰσχρά, Μοῦσαι, Συνέφηβοι, Θεωροί.* Minus recte Eudocia Viol. p. 168 *Θεωρός*, in ceteris cum Suida consentiens. *Αἰσχρά*, nisi forte *Αἴσχρα* scribendum, quod muliebre nomen fuisse constat (cfr. p. 369), laudatur Athenaeo VIII p. 307 e, cui Suidas etiam reliquarum fabularum notitiam debet. *Μοῦσαι* ad partes vocantur VIII p. 343 b, ubi Schweighaeuserus Euphronis nomen pro Euphane e Suida restituit. *Συνέφηβοι* IX p. 377 d. *Θεωροὶ* IX p. 399 b. Praeterea laudantur Euphronis *Ἀδελφοὶ* Athenaeo IX p. 379 d. *Ἀποδιδοῦσα* ibid. XI p. 503 a, ubi quum scripti et editi libri Euphorionis no-

men praeberent, ipse Curis crit. p. 44 Euphronis nomen restituendum monui. Porro *Δίδυμοι* apud Stobaeum XV 2 et XCVIII 12, *Θεῶν ἀγορὰ* ibidem XXVIII 11 et *Παραδιδομένη* Athen. III p. 100 d, pro quo nescio an legendum sit *Παρεκδιδομένη*, qui Antiphaneae fabulae titulus est. De quo vide quae diximus p. 306. Fabularum titulos contemplanti non mirer equidem si Euphro mediae potius quam novae comoediae poetis accensendus videatur. Accedit quod passim homines commemorat, veluti Phoenicidem Corydum et Phyromachum apud Athen. VIII p. 343 b, quos fere a mediae aetatis poetis exagitari videas, e. g. ab Antiphane Athenaei VIII p. 342 f, Timocle Alexide et Cratino minore ibid. VI p. 241 b. c. Nihilominus novae poetam comoediae habendum esse, docet insignis locus incertae fabulae apud Athenaeum I p. 7 d, ubi coquus Soteridis discipulum se iactat, qui Nicomedi delicatissimum edulium apparaverit:

Ἐγὼ μαθητὴς ἐγενόμην Σωτηρίδου,
ὃς ἀπὸ θαλάττης Νικομήδει δώδεκα
ὁδὸν ἀπέχοντι πρῶτος ἡμερῶν ποτε
ἀφύης ἐπιθυμήσαντι χειμῶνος μέσου
παρέθηκε νὴ Δί', ὥστε πάντας ἀνακραγεῖν.

Nicomedes autem, quem sui nominis primum et Bithyniae regem fuisse probabile est, regnavit inde ab Olymp. CXXV, unde apertum est fabulam, ex qua illud quod dixi fragmentum petitum est, ante Olympiadem centesimam vigesimam sextam vix doceri potuisse. Neque repugnat huic sententiae alius locus apud Athenaeum III p. 100 d, ubi pariter coquus quidam magistrum laudat, qui Callimedonti, quem fere inter Olympiadem CXII — CXVI floruisse constat, vulvam suinam optime apparaverit.

MACHON, Apollodori Carystii aequalis, patria sive Corinthius sive Sicyonius, Aristophanis grammatici magister,

quem Alexandriae, non Athenis fabulas docuisse scribit Athenaeus VI p. 241 f: *Μάχων ὁ κωμῳδοποιὸς ὁ Κορίνθιος μὲν ἢ Σικυώνιος γενόμενος, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ δὲ τῇ ἐμῇ καταβιοὺς καὶ διδάσκαλος γενόμενος τῶν κατὰ κωμῳδίαν μερῶν Ἀριστοφάνους τοῦ γραμματικοῦ.* Idem XIV p. 664 a: *Μάχων δ' ὁ Σικυώνιος τῶν μὲν κατὰ Ἀπολλόδωρον τὸν Καρύστιον κωμῳδιοποιῶν εἷς ἐστι καὶ αὐτός, οὐκ ἐδίδαξε δ' Ἀθήνησι τὰς κωμῳδίας τὰς ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἐν Ἀλεξανδρείᾳ*, paucisque interiectis: *ὁ γραμματικὸς Ἀριστοφάνης ἐσπούδασε συσχολάσαι αὐτῷ νέος ὤν.* Alexandriae quum fabulas suas docuerit, in atticorum comicorum historia omitti potuisse non nego. Sed quum non dubitari possit quin Macho et si qui alii forte poetarum Alexandrinorum comicae poesi operati sunt [11]), atticae comoediae ingenium et indolem expresserint, locum ei inter ceteros comoediae auctores non denegandum putavi. De aetate viri vide quae supra dicta sunt p. 462. Poeticam eius indolem praeclaro praeconio ornat Athenaeus l. l. p. 664 a, nulli post septem illos poetae inferiorem fuisse Machonem iudicans, *ἦν δ' ἀγαθὸς ποιητὴς εἴ τις ἄλλος τῶν μετὰ τοὺς ἑπτά.* [12]) Eodem loco perelegans servatum est epigramma sepulchro viri inscriptum:

Τῷ κωμῳδογράφῳ, κούφη κόνι, τὸν φιλάγωνα
κισσὸν ὑπὲρ τύμβον ζῶντα Μάχωνι φέροις.

---

[11]) Callimachum quoque comoedias scripsisse Suidas memoriae prodidit. Sed huius testimonii fides nescio an eo elevetur, quod eundem etiam tragoediarum auctorem fuisse perhibet.

[12]) Ex hoc Athenaei loco temere Fabricius aliique ut tragicorum ita etiam comicorum poetarum Pleiadem Alexandriae fuisse coniecerunt. Vide Naekii Schedas crit. p. 2.

οὐ γὰρ ἔχεις κηφῆνα παλίμπλυτον, ἀλλ' ἄρα τέχνης
ἄξιον ἀρχαίης λείψανον ἠμφίεσας.
τοῦτο δ' ὁ πρέσβυς ἐρεῖ· Κέκροπος πόλι, καὶ παρὰ Νείλῳ
ἔστιν ὅτ' ἐν Μούσαις δριμὺ πέφυκε μέλι.

Fabularum tituli supersunt duo, *Ἄγνοια* et *Ἐπιστολή*, apud Athen. XIV p. 664 b. c et VIII p. 345 f. Praeterea idem scripsit *Χρείας* versibus senariis, in quibus multa multorum festive dicta haud ineleganter rettulit. Ampli, ut videtur, operis fragmenta plurima servavit Athenaeus.

BATO. Hic qua aetate floruerit optime cognosci potest e Plutarcho de am. et adulat. p. 55 c, ubi Arcesilai aequalis fuisse et Cleanthem lusisse dicitur: *καὶ Βάττῳ τὴν σχολὴν ἀπεῖπεν Ἀρκεσίλαος ὅτε πρὸς Κλεάνθην στίχον ἐποίησεν ἐν κωμῳδίᾳ· πείσαντος δὲ τὸν Κλεάνθην καὶ μεταμελουμένου διηλλάγη*, ubi pro *Βάττῳ* scribe *Βάτωνι*. Ita enim constanter dicitur Athenaeo. Male apud Suidam I p. 424 et Eudociam p. 93 scriptum est Batto: *Βάττων κωμικός. δράματα αὐτοῦ Συνεξαπατῶν, Ἀνδροφόνος, Εὐεργέται.* Neque rectius Stobaeus et ex Stobaeo Photius Biblioth. 167 p. 374 *Βάθων*, eodem vitio quo qui a plerisque, in his etiam a Plutarcho Vit. Agesil. 5 p. 113 Cor. recte scribitur Bato, Sinopensis historicus, apud Strabonem *Βάθων* appellatur.[13]) V. Eberti Dissert. Sic. I p. 92. Floruit igitur Bato comicus circa Olympiadem CXXV. Fabulae eius commemorantur quattuor. *Αἰτωλὸς* apud Stobaeum Florileg. XCVIII 18, sive *Αἰτωλοί*, quo titulo etiam Critonis fabula fuit, ex cod. Voss. ibidem CV 30. *Εὐεργέτας* habemus apud Athenaeum XIV p. 662 c. *Ἀνδροφόνον* ibidem IV p. 163 b et VII p. 279 c, ubi Platoni

[13]) Eodem errore nos ipsi supra binis locis Batho scripsimus pro Bato, p. 435 lin. 21 et p. 438 lin. 14.

adscribebatur. Idem vitium occupaverat Athenaeum III p. 103 c et VII p. 279 a, ubi *Πλάτωνος Συνεξαπατῶν* laudabatur, quae fabula recte XV p. 678 f Batoni tribuitur. Platonis illas fabulas esse non posse certissimis argumentis docui ad Menandri *Πωλουμένους* p. 150. Ceterum vetus esse vitium e Suida intelligitur, utramque fabulam in Platonicis enumerante. V. supra p. 166. Argumentum fabularum Batonis maxime in irridendis qui illis temporibus florebant philosophis, Cynicis Stoicis Epicureis, positum fuisse e fragmentis intelligitur, eoque spectat etiam Plutarchi locus.

EPINICUS. Eudocia p. 166. *Ἐπίνικος κωμικὸς ἀρχαῖος. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Ὑποβαλλόμεναι.* Eadem Suidas, nisi quod verba *κωμικὸς ἀρχαῖος* omittit. Et recte quidem: nam novae comoediae poetam fuisse Epinicum vel hoc documento intelligitur, quod fabularum unam teste Athenaeo X p. 432 b. Mnesiptolemi nomine inscripsit, qui fuit historiarum scriptor magnae apud Antiochum M. auctoritatis, ex quo Epinici aetatem inter Olympiadem CXX — CXXX incidere manifestum est. Athenaei haec verba sunt: *Ἐπίνικος γοῦν, Μνησιπτολέμου ἀνάγνωσιν ποιησαμένου τῶν ἱστοριῶν ἐν αἷς ἐγέγραπτο ὡς Σέλευκος ἀπηλφίτισε, γράψας δρᾶμα Μνησιπτόλεμον καὶ κωμῳδῶν αὐτόν, καὶ περὶ τῆς πόσεως ταῖς ἐκείνου χρώμενος φωναῖς, ἐποίησε λέγοντα κτλ.* Quam *Ὑποβαλλόμεναι* inscripsit fabulam laudat Athenaeus XI p. 469 a. 497 a. 500 f.

PHOENICIDES, Megarensis, quem quum Hesychius s. v. *δύνασαι σιωπᾶν* Dionysiis urbanis Antigoni et Pyrrhi foedus lusisse dicat, apertum est eius aetatem inter Olympiadem CXXV—CXXX ponendam esse fabulasque docuisse Athenis circiter Olympiade centesima vicesima septima. Sed dignus est Hesychii locus qui totus adscribatur vol. I p. 1041. *Δύνασαι σιωπᾶν: πρῶτόν φασι Φοινικίδην Μεγαρέα, κω-*

μικὸν ποιητήν, ἐν ἄστει διδάσκοντα ἀποσκῶψαι τὴν σιωπωμένην ὁμολογίαν περὶ τῶν διαλύσεων Ἀντιγόνου καὶ Πύρρου βουλόμενον εἰπεῖν ταῖς αὐλητρίσιν οὕτως· Δύνασαι σιωπᾶν ὥστε τὰς διαλύσεις συντιθεμένους κεκραγέναι δοκεῖν. Quorum postrema ita scribenda videntur: *εἰπεῖν ἐν ταῖς Αὐλητρίσιν οὕτως·*

Δύνασαι σιωπᾶν; B. ὥστε τοὺς τὰς διαλύσεις
συντιθεμένους κεκραγέναι δοκεῖν μέγα.

A tibicinibus et tibicinis frequentes comoediarum tituli. *Αὐλητὴν* scripserunt Philemon Anaxilas et Antiphanes, *Αὐλητρίδα* Menander Diodorus et idem Antiphanes. Ac ne articulus offensioni sit, vide, ne longius obeam, Dindorfium Addendis ad Aristophanis Fragmenta p. IV. Praeterea Phoenicidis laudatur *Μισουμένη* Athenaeo XIV p. 652 d, quam fortasse rectius *Μισούμενον* vocant Suidas s. v. *Φοινικίδης* et Eudocia Viol. p. 428, et *Φύλαρχος* ab Athenaeo commemorata X p. 415 e, ubi libris dissentientibus Dindorfius *Φίλαρχον* edidit, ut vocatur ab Eudocia l. l. non a Suida, ut Dindorfius refert. Utrum rectius sit, quis discernere ausit? quamquam scio etiam Sophilum et Philippidem docuisse *Φίλαρχον.* Incertae fabulae luculentum fragmentum servavit Stobaeus Flor. VI 30.

POSIDIPPUS, Casandrensis, filius Cynisci. V. praeter Suidam s. v. *Ποσίδιππος* Eudociam Viol. p. 359 et Stephanum Byzant. s. v. *Κασάνδρεια.* Hunc Suidas tertio post Menandri obitum anno, h. e. Olympiadis CXXIII anno secundo vel tertio, primam fabulam docuisse refert. In nominis scriptura ita variatur, ut ab aliis *Ποσίδιππος*, ab aliis *Ποσείδιππος* scribatur. V. Hemsterhusium ad Polluc. X 98, Iacobsii Animadv. ad Antholog. III 3 p. 941 et Schweighaeuserum ad Athenaeum III p. 87 f. 118 b. XIV p. 958 f. *Ποσείδιππος* dicitur in epigraphe statuae in Museo Pio-

Clementino vol. III. quam nostri Posidippi imaginem referre post Gronovium monuit Winkelmannus in Trattato prelim. IV 126. Lyncei, comici poetae et grammatici, epistolam ad Posidippum commemorat Athenaeus XIV p. 652 d: *Λυγκεὺς δ' ἐν τῇ πρὸς τὸν κωμικὸν Ποσείδιππον ἐπιστολῇ «Ἐν τοῖς τραγικοῖς (φησὶ) πάθεσιν Εὐριπίδην νομίζω Σοφοκλέους οὐδὲν διαφέρειν, ἐν δὲ ταῖς ἰσχάσιν τὰς Ἀττικὰς τῶν ἄλλων πολὺ προέχειν.»* Fabulas eius, in quibus fuisse quas latini poetae imitatione exprimerent Gellii N. A. II 23 constat testimonio, Suidas ad quadraginta fuisse scribit. Tituli commemorantur duo de viginti. *Ἀναβλέπων* apud Athenaeum XIV p. 651 a. *Ἀποκλειομένη* apud Athenaeum VII p. 301 b. XIV p. 659 et Polluc. X 98. *Γαλάτης* apud eundem Polluc. IV 175, ubi Salmasius pro *Γαλάτῃ* malit *Γαλατείᾳ*. Sed nihil causae est, cur receptam lectionem deseramus, quam confirmat idem Pollux VII 111 et X 24, quamquam hoc loco cod. Falck. habet *Ποσίδιππος ἐν Γάλατι*. Cfr. p. 467. *Δημότας* laudat Photius et Suidas s. v. *κανισκεύεται*. *Ἑρμαφρόδιτον* Stobaeus Flor. LXXVII 7. *Ἐπίσταθμον* Pollux X 139. *Ἐφεσίαν* Athenaeus XIII p. 591 e. *Κώδωνα* idem IX 28, nisi *Κύδων* fabulae titulus fuit, quo nomine drama inscripserat Ephippus. *Λοκρίδας* affert Athenaeus III p. 87 f, ubi cum olim legeretur *Λοκροῖσι*, ex cod. A nunc *Λοκρίσι* editum est. Minus recte igitur Fabricius Bibl. gr. II p. 489 Locri fabulae titulum fecit. *Μεταφερόμενος* fabula laudatur ab Athen. III p. 118 b, quae *Μεταφερόμενοι* vocatur a Diogene Laert. VII 27 et Antiatticista p. 102. *Μύρμηξ* affertur a Stobaeo Florileg. XCIX 29 et CXVI 17. Titulum fabulae de formica intellexit Gesnerus: rectius opinor Myrmecem viri nomen fuisse dicemus. *Ὁμοίους* idem Stobaeus habet XCIX 30. *Παιδίον* Athenaeus III p. 94 c. *Πορνοβοσκὸν* idem IV

p. 154 f. *Συντρόφους* idem XIV p. 659 c, Photius s. v. *ὅρμενα*. *Φιλοσόφους* Diogenes Laert. VII 27. *Φιλοπάτορα* Antiatticista p. 93. *Χορευούσας* Athenaeus IX p. 376 e. Ceterum quod Fabricius Biblioth. Gr. II p. 490 scribit teste Gronovio in bibliotheca Medicea (plut. 87) asservari volumen continens fragmentum ex Posidippo comico de vitae necessariis, id quorsum spectet nescio.

Permagni aestimatam fuisse Posidippi poesin ex eo intelligitur, quod praestantissimis suae aetatis comicis adnumeratur ab Anonymo de Com. p. XXX. Novitiorum verborum et significationum antiquis Atticis incognitarum exempla in fragmentis obvia fere haec sunt: *κάθαλος* et *κάτοξος* apud Athen. XIV p. 661 f, *ἑψητὸς* collective de piscibus minutulis ibid. VII p. 301 b, *κόραξ* de ianuae parte quam *κορώνην* Homerus dicit apud Polluc. VII 111, *ἀναστροφὴ* pro eo quod nostrates dicunt Unterhaltung, Conversation, apud Athen. IX p. 377 b, *βᾶρις* i. e. *οικία* apud Stephanum Byzant. p. 154, *προσκόπτειν τινὶ* i. e. *ἀλλοτριοῦσθαι* apud Photium Lex. p. 459 4, *ἐπίχαρμα* apud Polluc. III 101, *ῥίσκος* ibid. X 139, *πρίασθαι* mercede conducere apud Athen. XIV p. 659 a, *ὅρμενα* apud Phot. Lex. p. 348 4, *ἐθισμὸς* pro *ἔθος* apud Antiattic. p. 93, *λιμὸς* famelicus apud Athenaeum IX p. 377 a. Sed nolo haec nunc copiosius persequi.

CRITO. Novae hunc fuisse poetam comoediae docet Pollux Onom. IX 15, ubi cum Theophilo *τοῖς νεωτέροις* accensetur. Fabularum tituli supersunt tres, *Αἰτωλοὶ* apud Polluc. l. l. *Φιλοπράγμων* apud Athenaeum IV p. 173 b et *Μεσσηνία* apud Pollucem X 35, ubi cum nomen *κράββατος* ex Rhintonis Telepho et Critonis Messenia attulisset, se ipsum has fabulas legisse negat: esse enim ex ignobilioribus.

DAMOXENUS. Suidas: *Δαμόξενος, Ἀθηναῖος, κωμι-*

κός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ *Σύντροφοι*, ὡς Ἀθήναιος λέγει ἐν τρίτῳ (p. 101 f) Δειπνοσοφιστῶν, καὶ *Ἑαυτὸν πενθῶν*, ὡς πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν ἑνδεκάτῳ (p. 469 a). Eudocia Viol. p. 131 non nisi priora verba habet: Δαμόξενος, Ἀθηναῖος, κωμικός. Novae fuisse poetam comoediae docet irrisio Epicuri in loco apud Athenaeum III p. 101 f. Quamquam quum alio loco apud Athenaeum XI p. 469 a. Adaei mentionem iniiciat, quem ex Athenaeo XII p. 532 e sub Philippo Amyntae filio mercenariorum ducem fuisse constat, facile quis adduci posset, ut Damoxenum mediam attigisse comoediam censeret. Sed Adaeum ita commemorat, ut tum iam mortuus fuisse videatur. Ceterum minus recte Demoxenus vocatur Athenaeo I p. 15 b.

DEMETRIUS. Huius *Ἀρεοπαγίτης* laudatur Athenaeo IX p. 405 e. Vide quae supra disserui p. 264.

DIOXIPPUS. Suidas: Διώξιππος, Ἀθηναῖος, κωμικός. δράματα αὐτοῦ *Ἀντιπορνοβοσκός*, *Φιλάργυρος*, *Ἱστοριογράφος*, *Διαδικαζόμενοι*. Eadem Eudocia Viol. p. 132, nisi quod pro Dioxippo Dexippum nominat. Idem vitium Suidam obsidet s. v. Κωρυκαῖος, unde Fabricius Dexippum inter comicos poetas recensuit Biblioth. Gr. II p. 436. *Ἀντιπορνοβοσκόν* et *Ἱστοριογράφον*, qua in fabula fabulosos historicos rississe Dioxippum I. G. Vossii Hist. graec. III p. 359 coniectura est, habemus apud Athenaeum III p. 100 e. *Φιλάργυρον* ibidem IX p. 472 b. 496 f. 502 d. *Θησαυρὸν* apud Photium p. 199 6. *Διαδικαζομένων* fabulae, quam probabile est Suidam ex Athenaeo petiisse, nullum hodie vestigium superest.

STEPHANUS, Antiphanis aut Alexidis filius. V. supra p. 376. Illud probabilius videtur propter ea quae tradit Anonymus de Com. p. XXX de Antiphane disserens: τῶν δὲ κωμῳδιῶν τινας καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδαξεν. Auctor fuit Philo-

laconis ab Athenaeo XI p. 469 a laudati, cuius fabulae quod argumentum fuerit vel titulus indicat. Scilicet plurimi illis temporibus inter Athenienses extiterunt, qui, ut erant peregrinarum rerum avidissimi, ita demum sibi egregie placerent, si cum aliarum gentium [14]) tum maxime Spartanorum mores et habitum studiose imitarentur. Pauperculo amictu et vilibus calicis, quos *ἁπλᾶς* Demosthenes in Con. p. 1267 nominat, induti, barbam ad enormem longitudinem alentes, illuvie squalidi, tristi torvoque vultu truculenti per plateas incedebant, ingentes manibus baculos gestantes. Ita fere hos Laconici moris simios describit Aristophanes Avium vs. 1281 sqq.:

ἐλακωνομάνουν ἅπαντες ἄνθρωποι τότε,
ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἐσωκράτουν,
σκυτάλι᾽ ἐφόρουν —

Antiphanes Archonte apud Athenaeum IV p. 143 a:

ἐκείνων (Lacedaemoniorum) *τῶν νόμων μεθεκτέον.*
ἀπόλαυε τοῦ ζωμοῦ· ῥόφει· τοὺς βύστακας
μὴ καταφρόνει, μηδ᾽ ἕτερ᾽ ἐπιζήτει καλά,
ἐν τοῖς δ᾽ ἐκείνων ἔθεσιν ἴσθ᾽ ἀρχαϊκός.

Plutarchus Phoc. Cap. 10: *ἦν τις Ἀρχιβιάδης ἐπικαλούμενος, Λακωνιστὴς πώγωνά τε καθειμένος ὑπερφυῆ μεγέθει καὶ τρίβωνα φορῶν ἀεὶ καὶ σκυθρωπάζων.* Platonis locos quibus Laconistae isti graphice describuntur composuit Stallbaumius Prolegom. ad Rempubl. p. LXX. Hos igitur homines *ὑπηνοβίους σπαρτιοχαίτας ῥυποκονδύλους ἑλκετρίβωνας*, ut Plato comicus eos appellat loco supra p. 182 allato, Stephanus in Philolacone videtur deridendos propinasse.

---

[14]) Fuisse itidem qui ad Thebanorum mores sese componerent docet Antiphaneae fabulae titulus *Φιλοθήβαιος*. V. supra p. 339.

THEOGNETUS. Hunc qui patria Thessalum fuisse dicit Harlesius Biblioth. Gr. II p. 500, cum comico poeta confundit alium scriptorem Theognetum, cui fuerunt qui Orphei *λόγους ἱεροὺς* tribuerent. V. Suidas s. *Ὀρφεύς*. De nostro ita scribit Suidas: *Θεόγνητος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φάσμα ἢ Φιλάργυρος, Κένταυρος, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.* Similia Eudocia Viol. p. 232. Qui unde Centauri, quae Lyncei fabula fuit, notitiam hauserint, non apparet. *Φιλοδέσποτον* habemus apud Athenaeum XIV p. 616 a, ubi ridet Pantaleontem, qui cum Theopompo fabulae ansam diderit, facile suspiceris Theognetum si non antiquae, certe tamen antiquioribus mediae comoediae poetis accensendum esse. Sed loquitur Theognetus de Pantaleonte tanquam de mortuo. Itaque propter Stoicorum irrisionem in fragmento ab Athenaeo III p. 104 b servato eum novae comoediae poetis adnumerandum putavi. Praeterea eius *Φάσμα ἢ Φιλάργυρον* commemorat Athenaeus III p. 104 b et XV p. 671 a. Ex hac fabula Plautum Mostellariam suam, quam passim Phasmatis titulo citari Nic. Loensis Epiphyll. V 20 docuit, expressam esse haud improbabile videbitur, si quis argumentum fabulae Plautinae consideraverit.

His eorum poetarum nomina subiungam, qui mediaene an antiquae comoediae adscribendi sint certis indiciis indagare non licuit.

ALEXANDER. Titulus a Boeckhio editus Corp. Inscript. vol. I p. 765 commemorat comoediarum poetam Alexandrum, Aristionis filium, Atheniensem, in Charisiorum certamine Orchomeni, Boeotiae urbe, commisso victorem. Ea inscriptio quum ex probabili computatione Boeckhii ad Olympiadem CXLV pertineat, vix a me impetro ut hunc eundem esse putem Alexandrum, cuius *Διόνυσον Πότον Τιγόνιον* et

Ἑλένην ad partes vocant Scholiastes Homeri Iliad. ι 216 Athenaeus IV p. 170 e. X p. 496 c et Antiatticista p. 96 33, siquidem ex titulis illis probabiliter efficias Alexandrum mediae fuisse poetam comoediae. Consulto neglexi *Αἰπόλους* fabulam a Zenobio VI 11 laudatam, quam Suidas Alexidi tribuit. Vide quae supra diximus p. 396. Neque de Helena res ita certa est nihil ut dubitationis relinquatur. Vide p. 370. Stobaeus semel nostri Alexandri sententiam posuit Florileg. LXVII 12 *ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι γενναία γυνή.* Quem versum Alexandro Aetolo tribuebat Naekius schedis crit. p. 7. Alii fortasse cum Gaisfordio ex Euripidis Alexandro ductum putabunt, cui quidem opinioni ex eo nonnihil ponderis accedere videtur, quod Clemens Alexandr. Paed. p. 250 B, quo nemo Euripidis studiosior fuit, eundem versum omisso auctoris nomine attulit. Sed Stobaeum in excerpendis poetarum dictis Alexandro usum esse docet etiam Photius Bibl. cod. 167 p. 115 Bekk. Praeterea eundem, si recte iudico, Alexandrum etiam aliis locis commemoratum reperio. Scholiasta Aristoph. Ran. 864: *ὅτι δὲ λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν ὁ Εὐριπίδης, Ἀλέξανδρός φησι,* quae a mediae poeta comoediae non aliena existimaverim. Cfr. p. 241. Idem ad Thesmoph. 683 *γελοίως εἶπεν ὡς Ἀλέξανδ.* (sic) «*ἦσαν ἄνθρωποι [δὲ] πέντε καὶ γυναῖκες τέτταρες.* Ita enim legendum pro edito *γυναῖκες τρεῖς.* Illud autem merito quaeri potest utrum is Alexandri an Alexidis an Anaxandridis versus habendus sit, quae dubitatio fortasse etiam ad alios locos, in quibus Alexander commemoratur, pertinet, velut apud Zonaram Lex. p. 1047 *Θόλος: οἴκημα στρογγυλοειδές: οὕτως Ἀλέξανδρος.* Proverb. Bodl. 85 p. 105 C. *Συμβαλούμενος: κατ' ἔλλειψιν καὶ αὕτη. μέμνηται ταύτης Ἀλέξανδρος.* Eiusdem nomen passim etiam cum Menandro permutari videas, v. c. apud Antiattic. p. 96 1 *Ἐξαλλάξαι: ὡς Ἀλεξανδρεῖς, ἀντὶ τοῦ τέρψαι.*

Ἀλέξανδρος «ἄνθρωπον ἐξαλλάξομεν.» Ita codex; at recte Bekkerum edidisse *Μένανδρος*, docent ea quae dixi in Menandreis p. 254. Denique apud Phrynichum Appar. soph. p. 10 9. *Ἀσπάλαθος: ἀκανθῶδες φυτόν. Κλέανδρος θηλυκῶς*, prorsus incertum est utrum Alexandri an Menandri an Clearchi comici nomen, de quo statim dicturus sum, reponendum sit.

ANTIPHON, Atheniensis. Hoc nomine fuisse poetam comicum docet titulus a Boeckhio Corp. Inscr. I p. 767 editus: *ποιητὴς καινῆς κωμῳδίας Ἀντιφῶν Ἀθηναῖος.*

ATHENIO. Commemoratur ab Athenaeo XIV p. 660 e: *καὶ Ἀθηνίων ἐν Σαμόθρᾳξιν, ὥς φησιν Ἰόβας, μάγειρον εἰσάγει φυσιολογοῦντα.* Non igitur ipse Athenionis fabulam usurpasse, sed notitiam eius ex Iubae libris petiisse videri debet Athenaeus. Eandem eiusdem scriptoris fabulam significari Schweighaeuserus existimabat apud Scholiastam Apollonii Rhodii Argon. I 915: *Ἀθηνίων φησὶ δύο εἶναι τοὺς Καβείρους γεγονότας υἱοὺς τοῦ Διὸς καὶ Ἠλέκτρας, Δάρδανον καὶ Ἰασίωνα, Καβείρους δὲ ὀνομασθῆναι ἀπὸ Καβείρου ὄρους ἐν Φρυγίᾳ, ὅθεν εἰς Σαμοθρᾴκην μετηνέχθησαν.* Sed haec quidem manifesto ex historico opere derivata sunt, nec dubium est eundem a Scholiasta scriptorem respici, cuius Samothracica affert Herodianus apud Aldum Instit. Gramm. p. 18. sive in libro *περὶ μονήρους λέξ.* p. 10, 2, ubi inter alia nomina in *ῶν* et *κῶν* desinentia laudatur etiam *Ἀθηνακῶν ὁ τὰ Σαμοθρᾴκια γράψας.* Ex eodem libro derivata esse suspicor quae de Hecubae parentibus ex Athenione affert Scholiasta Iliad. π 718: *Δύμαντός καὶ Εὐνόης νύμφης, ὡς Φερεκύδης· Ἀθηνίων δὲ Κισσέως καὶ Τηλεκλείας.* Cfr. Eustathius ad Iliad. p. 1083 1, *Εὐριπίδης δέ, φασί, καὶ Ἀθηνίων καὶ Τηλεκλείδης Κισσέως οἴδασιν αὐτὴν ἐκγενέσθαι*, quo de loco dixi supra p. 90.

Ceterum Athenionis eclogae ab Athenaeo servatae argumentum eiusmodi est, ut mediae aut novae comoediae accenseri debeat.

CALLIPPUS. Huius Pannychis ab uno commemoratur Athenaeo XV p. 668 c, ubi Porsonus pro Callippo Hipparchi nomen reponendum coniecit. Huius enim Pannychis ab ipso laudatur Athenaeo XV p. 691 c. Titulus utrum ad pervigilii festivitates spectet an a Pannychide, mulierculae nomine, ductus sit incertum est. Cfr. Lobeckii Aglaoph. p. 435.

CHARICLIDES. Athenaeus VII p. 325 d: *Ἀθήνησι δὲ καὶ τόπος τις Τρίγλα καλεῖται. καὶ αὐτόθι ἐστὶν ἀνάθημα τῇ Ἑκάτῃ Τριγλανθίνῃ. διὸ καὶ Χαρικλείδης ἐν Ἀλύσει φησίν· Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, Τρίμορφε, τριπρόσωπε, Τρίγλαις κηλευμένα.* Ex Athenaeo profecit Eustathius ad Iliad. Odyss. p. 1197 29. Comoediae titulus quin fuerit *Ἄλυσις* non dubitandum videtur; atque Athenis docuisse Chariclidem haud obscure Athenaei verba significant. Titulus fabulae de collari interpretandus videtur. Hesychius, *Ἀλύσιον: τὸ περὶ τὸν τράχηλον πλόκιον.* Pollux X 167: *ἡ δὲ ἄλυσις οὐ μόνον ἐπὶ τοῦ δεσμοῦ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ γυναικείου κόσμου ὠνόμασται.* Aristophanes apud Clementem Alex. Paed. p. 245 Pott. *σφραγῖδας, ἀλύσεις, δακτυλίους, καταπλάσματα.* Menander Fragm. p. 42: *ἀλύσιόν τις σοι δότω.* Similes fabularum titulos vide infra ubi de Menippo dictum est p. 494.

Nec magis certi quidquam de CLEARCHO statuere licet, cuius *Κιθαρῳδὸν* habemus apud Athenaeum X p. 426 a. XIV p. 623 c. *Κορινθίους* XIV p. 613 b. *Πάνδροσον* XIV p. 642 b.

CROBYLUS. Hic qua aetate vixerit fortasse erui potest ex Harpocratione p. 270: *ὅτι χιλίας ἐζημιοῦντο αἱ*

κατὰ τὰς ὁδοὺς ἀκοσμοῦσαι γυναῖκες, Ὑπερίδης ἐν τῷ κατ' Ἀρισταγόρας δευτέρῳ εἴρηκεν. Κρώβυλος δὲ ὁ κωμικός φησι τοῦ Φιλιππίδου τὸν νόμον εἶναι τὸν περὶ τούτων κείμενον. Philippidae enim quum Hyperidem, qui obiit Olymp. CXIV, gravissime adversatum esse constet [15]), facile quis in eam sententiam deduci possit, ut Crobylum eadem aetate vixisse putet. Sed quis praestet Crobylum non de mortuo Philippide loquutum esse? Itaque incerta res est: nam eorum errorem, qui Crobylum non diversum fuisse ab Hegesippo comico existimant, satis supra confutavimus. Neque fabularum tituli vel fragmenta quidquam continent, ex quo certam coniecturam capere liceat mediaene an novae comoediae accenseri debeat. *Ἀπαγχόμενος* laudatur Athenaeo III p. 109 d et VI p. 248 b. *Ἀπολιποῦσα* VI p. 258 c. X p. 429 d. 443 f. *Ψευδυποβολιμαῖος* III p. 107 e. VIII p. 364 f, quo eodem titulo fabulam docuisse constat etiam Cratinum minorem. Denique *Κρωβύλου* nomen reddendum Grammatico Bekkeri Anecd. p. 1208, ubi editur *τοῦ κόμμι εὑρέθη παρὰ Κρυβόλῳ ἡ δοτικὴ κόμμιδι.*

DEMOPHILUS. Huius memoriam unus Plautus servavit, qui Asinariam suam ex Demophili *Ὀναγῷ* se expressisse testatur Prologo Asin. 10 sqq.

Huic graece nomen est Onagos fabulae.
Demophilus scripsit: Marcus vortit barbare.
Asinariam volt esse si per vos licet.
inest lepos ludusque in hac comoedia.

Is quidem lepos ludusque eiusmodi est, ut graecae fabulae iacturam non magnopere doleamus.

---

[15]) V. Athenaeus XII p. 552 d. Ab hoc enim Philippide comicum diversum fuisse verissime monuit Clinton Prooem. Fast. p. XLVIII Kr.

DEMONICUS. Athenaeus IX p. 410 d: *Δημόνικος ἐν τῷ Ἀχελωνίῳ τὸ πρὸ δείπνου κατὰ χειρός φησιν.* Corrigunt *Ἀχελώῳ*, quae parum probabilis est emendatio. Mihi Achelonius viri nomen esse videtur, quamquam eius exemplum non in promptu est.

DEXICRATES, Atheniensis. Suidas: *Δεξικράτης· οὗτος Ἀθηναῖος κωμικός· δράματα αὐτοῦ εἰσιν Ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι, ὥς φησιν Ἀθήναιος.* Quem vide lib. III p. 124 b. Ceterum Kusterus in Suida *δρᾶμα αὐτοῦ ἐστι*, quod non necessarium. Vide s. v. *Φιλιστίων.*

DIOPHANTUS. Antiatticista p. 115 21. *Φέρειν τὸν οἶνον: ἐπὶ τοῦ νήφειν. Διόφαντος Μετοικιζομένῳ.*

EUANGELUS. Huius *Ἀνακαλυπτομένη* (ita enim recte Dalecampius pro *Ἀναλυπτομένη*) laudatur Athenaeo XIV p. 644 d, ubi nuptiarum apparatus describitur, unde titulus fabulae explicandus est. Male apud Suidam s. v. *Εὐάγγελος* scriptum est *Ἀνακαλυπτόμενος.*

EUDOXUS, Siculus, Agathoclis filius, quem Apollodorus apud Diogenem Laert. VIII 90 octies victorem extitisse scribit: *Σικελιώτης, παῖς Ἀγαθοκλέους, ποιητὴς κωμῳδίας. νίκας εἷλεν ἀστικὰς μὲν τρεῖς, ληναϊκὰς δὲ πέντε.* De huius aetate constat e Polluce II 201: *τὸ δὲ ὄνομα τοῦτο (ψηφοπαίκτης) εἴρηκέ τις τῶν νέων κωμικῶν Εὔδοξος ἐν Ναυκλήρου (-ρῳ) δράματι.* Praeter Nauclerum laudatur eius *Ὑποβολιμαῖος.* Zenobius Adag. I 1 *Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα: ἐπὶ τῶν ἀηδῶν τάττεται ἡ παροιμία. μέμνηται δὲ αὐτῆς Εὔδοξος ἐν Ὑποβολιμαίῳ.*

LAON. Huius *Διαθήκας* commemorat Stobaeus Flor. CXXIII 5. Incertae fabulae unum versiculum Boeotiorum laudes complectentem servavit Dicaearchus V. Graec. p. 28 Buttm. *γράφει δὲ (Λάων) ἐπαινῶν αὐτοὺς* (Boeotios) *καὶ οὐ λέγων τὴν ἀλήθειαν. μοιχὸς γὰρ ἁλοὺς ἠφείθη μικροῦ*

διὰ φόβον τὸν ἀδικηθέντα ἐξαγοράσας. Quae non de ipso Laone, sed de adultero, quem in fabula induxerat, intelligenda esse vix est quod moneam.

LEXIPHANES. Commemoratur ab Alciphrone Epist. III 71: *Λεξιφάνης ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς θεασάμενός με πρὸς ταῖς ἐν συμποσίοις παροινίαις λαβὼν καθ' ἑαυτὸν* etc. Constat Alciphronem plerumque vera personarum quas inducit nomina posuisse.

LYSIMACHUS. Lucianus Sigma fingit in oppido quodam, Atheniensium colonia, divertisse apud Lysimachum, poetam comicum, patria Boeotium, sed qui e media Attica se natum voluerit. Hunc igitur Lysimachum atticismi adeo avidum fuisse queritur, ut non modo *τετταράκοντα τήμερον καττίτερον κάττυμα* et *πίτταν* pronuntiaret, sed eo usque impudentiae progressum, ut *βασίλιτταν* dicere auderet. Haec fere Lucianus Iud. Vocal. I p. 90, ad quem locum Scholiasta de Lysimacho tanquam de noto sibi poeta loquitur. *Οὗτος γάρ*, inquit, *πρῶτος ἤρξατο τῆς τοῦ σῖγμα εἰς τὸ ταῦ μεταβολῆς, τέτταρα κατατολμήσας εἰπεῖν καὶ τήμερον.* Quae legenti ultro in memoriam revocantur quae facete, ut solebat, F. A. Wolfius de «nota caesura podica» narravit Anal. III p. 305. Quamquam suopte ingenio illud nomen Lucianum finxisse non affirmaverim.

MENECRATES. De hoc ita Suidas: *Μενεκράτης κωμικός. δράματα αὐτοῦ Μανέκτωρ ἢ Ἑρμιονεύς.* Prima tituli pars satis expedita est. *Μανέκτωρ* enim quid aliud esse possit quam *Μάνης Ἕκτωρ*, quem ad modum Dulorestem inscripserat fabularum unam Attius, et Aeolosiconem Aristophanes. Cfr. Grauertus in Museo Rhenano a. 1828 p. 60. 499. Ac fortasse etiam Rhintonis fabula apud Herodianum *περὶ μον. λέξεως* p. 19. 26 non *δοῦλος Μελέαγρος* inscripta fuit, sed *Δουλομελέαγρος.* Pro *Ἑρμιονεύς*

fortasse *Ἑρμιόνη* scribendum, quamquam Hermionae quid cum Hectore commune fuerit nescio. Fortasse igitur delendum *ἢ* aut in *καὶ* mutandum. Ac duas minimum Menecratis fabulas commemoratas esse ipse Suidas indicat. Hermioneus si corruptela vacat, fortasse idem est qui celebratur in fragmento carminis *Ἀτρειδῶν* sive, ut Casaubonus voluit, *Ἡρακλειδῶν κάθοδος* inscripti apud Athenaeum IX p. 399 a:

Νῖσον δ' Ἑρμιονεύς ποσὶ καρπαλίμοισι μετασπῶν
ψύας ἔγχεϊ νύξε.

Ceterum Fabricius Biblioth. Gr. vol. II p. 469 temere Menecratem illum Syracusanum dixit, sequutus opinor Vossium Opp. vol. III p. 227.

MENIPPUS. Eudocia Viol. p. 202: *Μένιππος κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες Ὄφεις καὶ ἄλλα.* Eadem Suidas habet, nisi quod *Ὄφεις* omittit. Sed hic Menippus vereor ne facticius poeta sit, ex Hermippi nomine detortus, cuius *Κέρκωπες* notissima fabula est; quamquam scio Menippum quendam in poetis quos Io. Stobaeus excerpsit commemorari a Photio Bibl. 167 p. 115. Alterius fabulae titulum, si vere hoc nomine fabulam inscriptam fuisse credere licet, rectius fortasse de armali quam de anguibus interpreteris. Photius Lex. p. 313 *Ὄφεις: ψέλια δρακοντώδη.* Cfr. Pollux V 99. Similes tituli sunt *Ἅλυσις* Chariclidae, Pherecratis *Λῆροι*, Menandri *Πλόκιον*.

NAUSICRATES. Suidas: *Ναυσικράτης, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Ναύκληροι, Πέρσις.* Eadem leguntur apud Eudociam Viol. p. 310, nisi quod ibi rectius *Περσίς* scriptum est, ut habet Athenaeus IX p. 399 e, ubi quum in libris *Ναυκράτης ἐν Περσίδι* scriptum sit, Grotius in Excerptis p. 879 et ante Grotium Lil. Gyraldus apud Vossium Op. III p. 227, Nausicratis nomen reponendum

esse vidit. [16]) Titulum fabulae quin de Persica muliere interpretandus sit, non dubium est. Praeter *Περσίδα* commemorantur Nausicratis *Ναύκληροι* ab Athenaeo VII p. 296 a. 325 e. 330 b, quibus locis oratio ad tragicam fere sublimitatem assurgit, ut tragicum poetam respici satis manifestum sit. Quo argumento si quis ductus Nausicratem mediae poetis comoediae adscribi velit, equidem haudquaquam repugnabo. Res confecta esset si certo constaret apud Aeschinem c. Tim. 98 p. 282 Bekk. veram lectionem esse *Ναυσικράτει τῷ κωμικῷ ποιητῇ.* Sed plerique codd. consentiunt in *ὑποκριτῇ.*

NICO. Huius *Κιθαρῳδόν*, quod genus hominum a mediae novaeque comoediae poetis frequentissime in scenis exagitatum est, laudant Athenaeus IX p. 487 c et Pollux VI 99.

NICOLAUS. Nicolaum Damascenum Suidas vol. III p. 623 ita in omni litterarum genere excelluisse scribit, ut etiam tragoedias atque comoedias multa cum laude composuerit. Quam in rem Fabricius Bibl. graeca II p. 312 attulit verba Eustathii ad Dionysii Perieg. 976. *Ἀῤῥιανὸς διὰ τοῦ δ κλίνει Τίγριδος, καθὰ καὶ ὁ γράψας τὸ δρᾶμα τῆς Σωσάνιδος, οἶμαι ὁ Δαμασκηνός, ὡς ἐκ τῆς ἐπιγραφῆς φαίνεται.* Sed qui eidem Nicolao longum quadraginta quattuor versuum *ἀποσπασμάτιον* a Stobaeo Floril. XIV 7 servatum tribuunt, quod praeter Fabricium fecit I. C. Orellius Fragm. Nicolai Damasceni p. 162, mea opinione longe errant. Totius enim orationis et argumenti is color est, ut non dubitandum videatur quin illius fragmenti auctor vel

---

[16]) Librorum lectionem quibus tueri libuerit, assentientem habebunt, ni fallor, Lobeckium, cuius vide perdoctam adnotationem in Aglaophamo p. 996 cll. 994.

mediae vel novae comoediae poeta fuerit. Neque id fugisse videtur Valckenarium, qui quum Nicolaum comicum nusquam praeterea commemoratum vidisset, Nicostrati nomen substituit. Ac fateor me ipsum aliquando Nicolai nomen suspectum habuisse eiusque in locum Nicomachum substituendum coniecisse; quam quidem opinionem non mediocritor mihi insignis quaedam orationis similitudo, quae illi apud Stobaeum fragmento cum Nicomachi ecloga apud Athenaeum VI p. 290 e servata intercedit, confirmare videbatur. Sed dubitationem iniecit Photius Bibl. cod. 167 p. 115, in recensu poetarum, quibus Stobaeus in concinnando Florilegio usus est, diserte Nicolaum commemorans. Itaque Nicolaus obtineat suum inter comicos poetas locum, donec gravioribus argumentis de possessione depellatur.

NICOMACHUS. Hunc non addito fabulae titulo duobus locis commemorat Athenaeus II p. 58 a. XI p. 781 f. At praelongam ex Ilithyia eclogam servavit idem VII p. 290 f, ubi coquum habemus artis peritiam cum magno verborum strepitu haud inficete iactantem, ex quo satis intelligitur falso Ilithyiam apud Suidam Nicomachi tragici fabulis adnumerari. Suidam tamen praeter alios sequutus est Nic. Schowius de charta papyr. p. 71, qui quum Ilithyiam satyricam fabulam fuisse affirmat, non satis videtur ad argumentum illorum apud Athenaeum versuum attendisse, in quibus ne tenuissimum quidem tragici vel satyrici coloris vestigium deprenhendas. Alia Nicomachi fabula fuit *Ναυμαχία*, quam et ipsam fuerunt qui tragico Nicomacho adscriberent, quod falsissimum esse vel numeri versuum ex ea fabula a Stobaeo Floril. XXXVIII 10 servatorum docent. Dubitantius his tertiam fabulam adiicio *Μετεκβαίνουσαι* inscriptam et a Suida in Nicomachi tragici fabulis numeratam. Eam comoediae videri fuisse titulum indicavi Com-

ment. miscell. I p. 8, qua in re assentientem habui Bernhardium ad Suidam II p. 989. Quod autem Welckerus Trilog. p. 500 ex eodem Suida etiam *Τριλογίαν* Nicomachi nostri fabulis adscribit, paullo calidius factum putaverim. Suidae de Nicomacho tragico haec verba sunt: *Νικόμαχος, Ἀλεξανδρεὺς τῆς Τρωικῆς, τραγικός, γράψας τραγῳδίας ἕνδεκα, ὧν καὶ αἵδε· Ἀλέξανδρος, Ἐριφύλη, Γηρυόνης, Ἀλετίδης* (fort. *Ἀλήτης*), *Εἰλείθυια, Νεοπτόλεμος, Μυσοί, Οἰδίπους, Περσίς, Πολυξένη, Τριλογία, Μετεκβαίνουσαι, Τυνδάρεως ἢ Ἀλκμαίων* [17]), *Τεῦκρος*. In his nomen trilogiae spectare videtur ad tres illas fabulas, Tyndareum Alcmaeonem Teucrum. *Περσίς*, quo nomine Nausicratis comici fabula ferebatur, permirus est tragoediae index. Scribendum videtur *Πέρσις ἢ Πολυξένη*, ut Ilii excidium et Polyxenae immolatio intelligatur. Pariter in Cleophontis tragici fabularum recensu apud Suidam II p. 324 *Πέρσις* scribendum pro *Περσίς*. Atque habent illud *ἢ* Portus et Kusterus, delevit autem Bernhardius duorum codicum fidem sequutus. Demptis igitur, quas Nicomachi comici fuisse suspicari licet fabulas, undecim relinquuntur tragoediarum tituli: Alexander, Eriphyle, Geryones, Aletides, Neoptolemus, Mysi, Oedipus, Excidium sive Polyxena, Tyndareus, Alcmaeon, Teucer. Restant tamen etiam in hoc recensu aliquammulta quae dubitationem iniiciant. Ex quo genere, ut de Aletide taceam, est Geryones, quem tragoediae argumentum praebuisse difficile est ad credendum: at praebuit comoediae Ephippo. V. supra p. 351. Nec magis credibile est Eriphylen et Alcmaeonem diversas fuisse fabulas. Ceterum non magnae existimationis poetam fuisse Nicomachum, docet Suidas, qui de altero quem finxit Nicomacho haec habet: *Νικόμαχος,*

---

[17]) Recte Bernhardius *ἢ* delendum esse existimat.

Ἀθηναῖος, τραγικός, ὃς Εὐριπίδην παραδόξως καὶ Θέογνιν ἐνίκησε. τῶν δραμάτων ἐστὶν αὐτοῦ Οἰδίπους. Sed hunc Euripidis aequalem non diversum haberi posse ab Alexandrino illo, significaveram Comment. misc. I p. 7. Fragmentorum Nicomachi, ut hoc addam, nihil superest nisi forte haec apud Grammaticum Bekkeri Anecd. p. 337 11. *Ἀγηλατῶν: ἀντὶ τοῦ διώκων, φυγαδεύων. οὕτω Νικόμαχος.* Idem p. 349 10. *Ἀηδόνιος κλαγγή: Νικόμαχος· Μέλπουσιν ἀηδόνιον κλαγγήν*, quae comici Nicomachi esse eo minus credam, quum etiam Aeschylus dixerit *θρηνεῖ δὲ γόον τὸν ἀηδόνιον.* Cfr. tamen Arist. Ran. 684. De Nicomacho, cui Eratosthenes duas Pherecratis fabulas adscripsit, supra dictum p. 75 sqq.

PHILOSTEPHANUS. Huius *Δήλιος* laudatur Athenaeo VII p. 293 a, ubi quod servatum est fragmentum spectat ad parasiticam vitam Deliorum, quos irrisisse hac fabula Philostephanum vix dubito. Similis argumenti fuit Nicocharis Delias, quam commemorat Aristoteles Arte Poet. II 5, ubi vide Tyrwhittum.

POLIOCHUS. Huius *Κορινθιαστὴν* habemus apud Athenaeum VII p. 313 c, qui II p. 60 c incertae fabulae fragmentum servavit. Corinthiastae, quo titulo etiam Philetaeri fabulam fuisse scimus, quod argumentum fuerit facile ad iudicandum est. Cfr. p. 350.

SOSICRATES. Huius nomen recte Kuhnius restituit Polluci IX 57, ubi libri scripti et editi habent *ἐν τῇ Ἱπποκράτους Παρακαταθήκῃ.* Confirmat alius eiusdem grammatici locus IV 173, ubi quum editi praebeant *Κράτης ἐν Παρακαταθήκῃ*, opportune liber MS dedit *Σωσικράτης.* Eiusdem poetae *Φιλαδέλφους* laudat Athenaeus XI p. 474 a. De utroque dramate mirum prostat iudicium Hemsterhusii ad Pollucis l. l. qui quum Sosicratem a Polluce laudatum illum Rhodium esse sibi persuasisset, cuius *Διαδοχὰς* et alia scri-

pta passim ab antiquis scriptoribus advocantur, *Παρακαταθήκην* non fabulam sed philosophici seu ethici argumenti librum fuisse, *Φιλαδέλφους* autem Philadelphorum (?) historiam et res gestas exposuisse credidit. Ex incerta fabula duo supersunt fragmenta, alterum a Stobaeo Flor. XXIII 2, alterum ab Athenaeo I p. 31 e servatum, quibus vide an tertium accedat e Maximo Conf. p. 198 Gesn., ubi quum haec verba: *ὅταν ποθεῖν σε καὶ στέργειν λέγῃ γυνή, φοβοῦ παρ' αὐτῆς πλέον ὧν λέγει κακά*, Socrati tribuuntur, non male, ut equidem opinor, Sosicratis nomen restituendum et verba illa ita scribenda esse suspiceris:

ὅταν γυνὴ ποθεῖν σε καὶ στέργειν λέγῃ,
φοβοῦ παρ' αὐτῆς πλεῖον' ὧν λέγει κακά.

Sed de hoc iam supra admonui. Ceterum ex fabularum titulis novae potius quam mediae comoediae poetis Sosicratem accensendum esse suspicor.

THUGENIDES. Huius ignoti fere poetae memoriam, cuius *Δικαστὰς* laudat Suidas s. v. *τριαχθῆναι*, primus revocavit Piersonus ad Moerin p. 334 ex Polluce VI 38, ubi editi libri Thucydidis, Falckenburg. autem Thugenidis nomen praebuit. Idem vitium occupavit Photium Lex. p. 229. *Μὴ νόμισον: ἀντὶ τοῦ μὴ νομίσῃς. οὕτω Θουκυδίδης.* V. Porsonum ad Euripidis Hecub. 1166 et Zonaram Lex. II p. 1294.

TIMOSTRATUS. Huius quattuor commemorantur fabulae ab Antiatticista p. 80 12. 81 1. 89 23. 98 4. *Ἄσωτος*, *Πάν*, *Παρακαταθήκη* et *Φιλοδεσπότης*, quarum praeter titulos nihil propemodum servatum est. Tacito fabulae indice eundem poetam ad partes vocat Photius Lex. s. v. *ζάγρα* et idem ille Antiatticista p. 91 1. Neque diversus ab hoc Timostrato fuisse videtur is quem Photius Bibl. 167 p. 374 inter eos poetas recenset, quibus Stobaeus usus est,

quamquam in eo quem hodie habemus Stobaeo nullum eius rei apparet vestigium. Denique qui a Suida commemoratur Demostratus s. v. *χάραξ* III p. 656: *Δημόστρατος Δημοποιήτῳ· Οἱ μὲν προσέφερον τὸν χάρακα πρὸς τὴν ἄκραν*, videndum est ne ex Timostrato corruptus sit [18]), errore, ut vides, proclivi et propter simile fabulae nomen satis explicabili. [19])

XENO. Hunc praeter Dicaearchum Vit. Graec. p. 25 Buttm. nullus commemorat.

---

[18]) Cfr. tamen supra p. 110.

[19]) Eodem errore apud Pollucem IV 19 legebatur *Ἀπολλοδώρου γράμμα ἐστὶ Γραμματειδιοποιός* pro *δρᾶμα*. Apud Herodianum *περὶ μον. λέξεως* p. 9 32. *Δεξικρῶν, ἑρμονίδης. Ἑρμοκρῶν, παιδαγωγός τις ἱστορεῖται*, itidem *ἑρμονίδης* ex sequenti *Ἑρμοκρῶν* ortum et in *Σιμωνίδης* mutandum videtur.

EPIMETRA.

I. DE POETIS COMICORUM NUMERO EXIMENDIS.

II. GRAMMATICORUM SCRIPTA AD HISTORIAM COMOEDIAE SPECTANTIA.

EPIMETRUM I.

DE POETIS COMICORUM NUMERO EXIMENDIS. [1]

Constat hanc legem a scenicis Graecorum poetis religiose observatam esse, ut quae duo primaria dramaticae poesios genera sunt, comoedia et tragoedia, suis quaeque inclusa teneretur limitibus, nec quisquam poetarum qui in comico genere elaboraret, tragoediis, nec qui in tragico, comoediis scribendis operam navaret. [2] Plato Polit. III p. 395 a. *οὐδὲ τὰ δοκοῦντα ἐγγὺς ἀλλήλων εἶναι δύο μιμήματα δύναιντ' ἂν οἱ αὐτοὶ ἅμα εὖ μιμεῖσθαι οἷον κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ποιοῦντες.* Cuius rei quae causae et rationes fuerint explicare nunc differo, illud tantum hoc loco acturus, ut graves aliquot I. A. Fabricii aliorumque doctorum hominum errores notem ex eius quam dixi legis ignoratione profectos.

---

[1]) Edita haec sunt primum in libello scholastico: Comment. miscell. Fasc. I. anno MDCCCXXII.

[2]) Sequentibus tamen temporibus hanc legem passim migratam esse Philostrati Lemnii et Nicolai Damasceni exempla docent, quorum utrumque comoediis non minus quam tragoediis inclaruisse testatur Suidas vol. II p. 623 et III p. 610. Sed eadem de Callimacho scribenti vol. II p. 223 aegre adducor ut fidem habeam.

Ordiamur ab **Aristia** Phliasio, Pratinae nobilissimi satyrorum scriptoris filio. De hoc Valckenarius Epist. ad Roeverum p. XXI haec scribit: «Aristiam Comicum fuisse ante Fa-«bricium ostenderat Th. Gatakerus, A. M. P. cap. V p. 452 D.» Enimvero ut superstites fabularum titulos ab antiquae comoediae indole satis alienos omittam, contrarium docet Pausanias lib. II 13, qui cum Aristiam a satyricarum fabularum praestantia ita commendet, uni ut cedere eum dicat Aeschylo [3]), quo iure comicis poetis accenseatur, facile perspicitur. Eandem ob causam comicorum indici eximendi sunt **Achaeus** **Pratinas** et **Pytho** Catanensis, quorum quem primo loco nominavi, Harlesii demum festinatio in Fabricianos indices rettulit. Satyricum colorem manifesto ostendunt quae ex Aristiae **Cyclope** **Orpheo** et *Κηρσὶν*[4]) attulerunt Suidas vol. I p. 303 in. de cuius loco disputavit V. D. apud Hermannum ad Aristotel. A. Poet. p. 101, Pollux IX 40 et Athenaeus XV p. 686 a. **Atalantae** unus quod sciam memoriam servavit Pollux VII 31, cuius verba ex optimo cod. Falckenb. ita restituenda sunt: *ἀρπεδόνας δὲ τὰ νήματα εἶπεν Ἡρόδοτος, Ἀριστίας δὲ ἐν Ἀταλάντῃ ἀρπεδόνην τε λύσιν* (Kuhn. *λῦσον*) *ἱστοῦ, τραγικώτερον.* Vulgo editur *Κριτίας δὲ ἐν Ἀταλάντῃ*, unde factum est ut Atalanten Critiae fabulis adnumerarint. In tanta igitur testimoniorum luce, quibus tragicum poetam fuisse Aristiam efficitur, quid causae fuisse dicamus, ut idem ab aliis haberetur poeta comicus? Gata-

---

[3]) *Τούτῳ τῷ Ἀριστίᾳ Σάτυροι καὶ τῷ πατρὶ Πρατίνᾳ εἰσὶ πεποιημένοι πλὴν τῶν Αἰσχύλου δοκιμώτατα.* Eandem laudem Achaei Satyris tribuit Menedemus apud Diogen. Laert. II 132.

[4]) Nescio quid C. Friebelio acciderit Satyrogr. p. 61 scribenti «Toupio scribendum videtur *ἐν τοῖς Κρησίν*, atque probavit id Meinekius.»

keri quae fuerint argumenta nescio; at probabile est eum non nihil tribuisse Aeliano H. A. VI 51: *τί οὖν ἐγὼ τοῦ μύθου ποιητής; ἀλλ' οὐκ ἂν εἴποιμι. ἐπεὶ καὶ πρὸ ἐμοῦ Σοφοκλῆς ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητής, καὶ Δεινόλοχος ὁ ἀνταγωνιστὴς Ἐπιχάρμου καὶ Ἴβυκος ὁ Ῥηγῖνος καὶ Ἀριστίας καὶ Ἀπολλοφάνης ποιηταὶ κωμῳδίας ᾄδουσιν αὐτόν.* Quibus e verbis eodem iure Ibycum comicis poetis adnumeres. In eiusmodi rebus minus accuratus est auctor Aelianus, nisi is scripsit hoc loco *ποιητής.* [5])

Accedimus ad Carcinum, quem qui comicis poetis accensuerunt, nihil, opinor, quo aliquam sententiae suae speciem conciliarent, habuerunt nisi corruptum, ut mihi quidem videtur, locum Diogenis Laertii. Sed res paullo altius repetenda est. Suidas igitur vol. II p. 245 duos deinceps commemorat Carcinos, utrumque poetam tragicum, alterum Agrigentinum, Atheniensem alterum. Agrigentinus quo tempore vixerit non docuit; Atheniensem autem, quem Theodectae vel Xenoclis filium fuisse dicit, floruisse tradit Olympiade centesima, ante regnum Philippi Macedonis, *κατὰ τὴν ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα, πρὸ τῆς τοῦ Φιλίππου βασιλείας τοῦ Μακεδόνος.* Ab his tertium distinguit Carcinum, quem simpliciter vocat *ποιητὴν Ἀττικόν.* De Agrigentino fides esto penes Suidam; certe nusquam praeterea commemoratur. De duobus reliquis sic statuendum, ut is quem Atticum poetam vocat non diversus fuisse existimetur ab eo quem cum ipsum tum filios eius, atque in his maxime Philoclem poetam tragicum, multis modis vexarunt poetae comici, Pherecrates, Aristophanes, Plato. Hunc Thorycii (*Θωρυκίου*) filium fuisse tradit Scholiasta Aristoph. Vesp. 1500. Sed de hoc postea videbimus. Eundem propter eximiam sceni-

---

[5]) Horum parum memor fuit Friebelius l. l. p. 60.

carum saltationum peritiam simul cum Thespide Pratina et Phrynicho commemorat Athenaeus I p. 22 a: *φασὶ δὲ καὶ ὅτι οἱ ἀρχαῖοι ποιηταὶ Θέσπις Πρατίνας Καρκίνος* (ita Bentleius pro *Κρατῖνος*) *Φρύνιχος ὀρχησταὶ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ μὴ μόνον τὰ ἑαυτῶν δράματα ἀναφέρειν εἰς ὄρχησιν τοῦ χοροῦ, ἀλλὰ καὶ ἔξω τῶν ἰδίων ποιημάτων διδάσκειν τοὺς βουλομένους ὀρχεῖσθαι.* Sed de tragoediis eius, quae mature intercidisse videntur, nihil compertum habeo nisi quae facetissime iocatus est Aristophanes Nub. 1263 et inprimis Pac. 794:

καὶ γὰρ ἔφασχ' ὁ πατὴρ (Carcinus) *ὃ παρ' ἐλπίδας*
εἶχε τὸ δρᾶμα γαλῆν τῆς ἑσπέρας ἀπάγξαι.

Ubi Scholiasta: *διαβάλλει δὲ αὐτὸν ὡς νωθρὸν περὶ τὰ σκέμματα* [6]), *δρᾶμα δὲ ἐποίησε τοὺς Μύας. διὰ τοῦτο καὶ γαλῆν εἶπεν ἀπάγξαι.* Quod perineptum Scholiastae commentum est. Ab hoc igitur Carcino, antiquae poeta tragoediae et saltatore laudatissimo, probe distinguendus est alter ille a Suida commemoratus, Theodectae vel Xenoclis filius. Postremum si verum est, vix dubitari potest quin nepos fuerit Carcini antiquioris, sin prius, certe non intelligendus est Theodectes ille Phaselites. Sed Xenoclis eum filium fuisse testatur etiam Harpocrat. s. v. *Καρκίνος* p. 106: *περὶ τοῦ τῆς τραγῳδίας ποιητοῦ τοῦ Ξενοκλέους υἱοῦ Λυσίας φησίν.* Atque hunc ego Carcinum non diversum esse suspicor ab eo, quem apud Dionysium Syracusanum versatum esse auctor est Polycritus Mendaeus apud Diogenem Laert. II 7: *φησὶ δὲ Πολύκριτος ὁ Μενδαῖος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν περὶ Διονύσιον, ἄχρι τῆς ἐκπτώσεως συμβιῶναι αὐτὸν* (Aeschinem Socraticum) *τῷ τυράννῳ καὶ ἕως τῆς Δίωνος εἰς*

[6]) Ita enim vulgatum *νόθον περὶ τὰ κλέμματα* corrigendum esse iam supra monui p. 108, ubi pro „Xenoclem" scribe „Carcinum".

Συρακούσας καθόδου, λέγων εἶναι σὺν αὐτῷ Καρκίνον τὸν κωμῳδοποιόν. Qui ipse locus in causa fuit, ut Carcinus comicis poetis adnumeraretur. Sed corrigendum Καρκίνον τὸν τραγῳδοποιόν, de quorum vocabulorum frequenti permutatione infra dicam. Nec temporum rationes obstant. Expulsus est Dionysius secundus (nam fallitur I. G. Vossius Poet. Gr. p. 49 Dionysium maiorem intelligens), expulsus igitur est ineunte Olymp. CVI, floruit autem Carcinus, ut e Suida monuimus, ante Philippi Macedonis imperium, h. e. ante Olymp. CV, unde suspiceris forsitan in Suidae numero κατὰ τὴν ἑκατοστὴν Ὀλυμπιάδα aliquid turbatum esse. Atqui Carcinum iam ante centesimam Olympiadem fabulas docuisse, colligere licet e citatione Lysiae apud Harpocr. s. v. Καρκίνος p. 108: περὶ δὲ τοῦ τῆς τραγῳδίας ποιητοῦ τοῦ Ξενοκλέους υἱοῦ Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Μνησίμαχόν φησι «συντίθεται δὲ τούτοις καὶ Καρκίνος ὁ ποιητὴς εἰπών·

οὐκ οἶνος [7]) ἐξέστησε· τὰς γὰρ ἐμφύτους
ὀρθῶς παγείσας φρένας * * * *
οὐδεὶς ἐπαίρει καιρὸς ἐξαμαρτάνειν.»

Neque id mirum videri potest, quandoquidem Carcinum longaevam vitam duxisse vel e fabularum quas docuisse fertur numero colligitur. Egregie autem confirmat rationem nostram Diodorus Sic. V 5 p. 334. Καρκίνος μὲν γὰρ ὁ τῶν τραγῳδιῶν ποιητὴς πλεονάκις ἐν ταῖς Συρακούσαις ἐπιδεδημηκώς, καὶ τὴν τῶν ἐγχωρίων τεθεαμένος σπουδὴν περὶ τὰς θυσίας καὶ πανηγύρεις τῆς τε Δήμητρος καὶ τῆς Κόρης, κατεχώρισεν ἐν τοῖς ποιήμασι τούσδε τοὺς στίχους·

Λέγουσι Δήμητρός ποτ' ἄρρητον κόρην
Πλούτωνα κρυφίοις ἁρπάσαι βουλεύμασιν,

---

[7]) Ita verissime Bekkerus correxit vulgatum οὐ κεῖνος. Idem voluit Th. Bergkius Comment. p. 428.

δῦναί τε γαίας εἰς μελαμφαεῖς μυχούς,
πόθῳ δὲ μητέρ' ἠφανισμένης κόρης
μαστῆρ' ἐπελθεῖν πᾶσαν ἐν κύκλῳ χθόνα·
καὶ τὴν μὲν Αἰτναίοισι Σικελίαν πάγοις
πυρὸς γέμουσαν ῥεύμασιν δυσεμβόλοις
πᾶσαν στενάξαι, πένθεσιν δὲ παρθένου
σίτων ἄμοιρον διοτρεφὲς φθίνειν γένος,
ὅθεν θεὰς τιμῶσιν εἰς τὰ νῦν ἔτι.

Ubi Wesselingius Agrigentinum poetam intelligit a Suida commemoratum, quod si verum esset, etiam Polycriti verba de Agrigentino intelligerem. Atqui parum probabilis est Wesselingii suspicio. Si enim Agrigentinus fuit, quid erat quod Syracusis demum Cerealium sacrorum solennitates cognosceret, quae quum toti Siciliae communes essent, ab Agrigentinis profecto non minus sancte colebantur quam a Syracusanis, praesertim quum Agrigentini singulari Proserpinae tutela prae ceteris Siciliae civitatibus gauderent? Cfr. C. O. Muelleri Hist. Civit. Graec. I p. 217. Certissimum igitur est, quem Diodorus commemorat Carcinum non diversum esse ab eo, cuius apud Dionysium commorationem tangit Polycritus. Atque huic ego, non superiori illi, adscribendum puto quidquid uspiam fragmentorum Carcini per veterum scriptorum monumenta dispersum latet. Fabulas ei Suidas tribuit centum et sexaginta, de quibus nominatim affert Achillem et Semelen, utramque ex Athenaeo, qui Achillem commemorat V p. 189 d: *ἀρσενικῶς τοὺς αὐλῶνας — πάντες οἱ καταλογάδην συγγραφεῖς, οἱ δὲ ποιηταὶ θηλυκῶς. Καρκίνος Ἀχιλλεῖ*

Βαθεῖαν εἰς αὐλῶνα περίδρομον στρατοῦ.

Semelen autem XIII p. 559 f: *Καρκίνος δ' ὁ τραγικὸς ἐν Σεμέλῃ, ἧς ἀρχή „Ὦ νύκτες" φησίν*

Ὦ Ζεῦ, τί χρὴ γυναῖκας ἐξειπεῖν κακόν;
ἀρκοῦν ἂν εἴη κἂν γυναῖκ᾿ εἴπῃς μόνον.

Quae ex Euripidis Belleroph. XIII expressa sunt:

Ὦ παγκακίστη καὶ γυνή· τί γὰρ λέγων
μεῖζόν σε τοῦδ᾿ ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν.

Ceterarum quae quidem commemorantur fabularum memoriam unus propemodum Aristoteles servavit. Is **Amphiaraum** commemorat A. P. XVII in. *δεῖ δὲ τοὺς μύθους συνιστάναι καὶ τῇ λέξει συναπεργάζεσθαι ὅτι μάλιστα πρὸ ὀμμάτων τιθέμενον. οὕτω γὰρ ἂν ἐναργέστατα ὁρῶν ὥσπερ παρ᾿ αὐτοῖς γιγνόμενος τοῖς πραττομένοις, εὑρίσκοι τὸ πρέπον καὶ ἥκιστα ἂν λανθάνοι τὰ ὑπεναντία. σημεῖον δὲ τούτου ὃ ἐπετιμᾶτο Καρκίνῳ. ὁ γὰρ Ἀμφιάραος ἐξ ἱεροῦ ἀνῄει· ὃ μὴ ὁρῶντα τὸν θεατὴν ἐλάνθανεν· ἐπὶ δὲ τῆς σκηνῆς ἐξέπεσε, δυσχερανάντων τοῦτο τῶν θεατῶν.* **Thyesten** commemorat A. P. XVI 1, de variis agnitionis signis disserens, quorum alia esse acquisita alia nativa: *τούτων δὲ τὰ μὲν σύμφυτα, οἷον λόγχην ἣν φοροῦσι γηγενεῖς, ἢ ἀστέρες οἵους ἐν τῷ Θυέστῃ Καρκίνος.* De quibus geniturae notis vide Lobeckium Aglaoph. p. 1147. Thyestae coniunx quum fuerit Aerope, fortasse eandem hanc fabulam in animo habuit Plutarchus de glor. Athen. p. 449 e. *ταῦτα* (victorias de hostibus dicit) *ἡ πόλις ἑορτάζει, καὶ ὑπὲρ τούτων θύει τοῖς θεοῖς, οὐκ ἐπὶ ταῖς Αἰσχύλου νίκαις ἢ Σοφοκλέους οὐδὲ ὅτε Καρκίνος Ἀερόπῃ εὐημέρει* [8]) *ἢ Ἕκτορι Ἀστυδάμας.* Quamquam nihil impedit quominus et **Thyesten** et **Aeropen** Carcinus scripsisse existimetur. Prorsus autem improbandus est Valesius ad Harpocr. p. 43 in Plutarchi loco Alopae nomen restituentis, quamquam huius fabulam tractasse Carcinum docet Aristoteles Eth. Nicom. VII 7, veniam dandam

---

[8]) Ita Porsonus ad Hecub. 535 correxit editum *συνῆν*.

esse dicens si quis immodicis doloribus postquam diu restiterit tandem vincatur: *ὥσπερ ὁ Θεοδέκτου Φιλοκτήτης ὑπὸ τοῦ ἔχεως πεπληγμένος ἢ ὁ Καρκίνου ἐν τῇ Ἀλόπῃ Κερκύων.* Cercyonis dolores quam causam habuerint in fabula Carcini exponit Aspasius: *εἰπούσης τῆς Ἀλόπης τὸν αὐτὴν μοιχεύσαντα, οὐκέτι ὁ Κερκύων ὑπὸ τῆς λύπης ἔφερε τὸ ζῆν, ἀλλὰ καὶ τὸ ζῆν ἀπελέγετο.* Nisi haec suopte ingenio finxit Aspasius. Medeam et Oedipum commemorat Aristoteles in libris de arte rhetorica, illam II 23: *ἐν τῇ Καρκίνου Μηδείᾳ οἱ μὲν κατηγοροῦσιν ὅτι τοὺς παῖδας ἀπέκτεινεν, οὐ φαίνεσθαι γοῦν αὐτούς· ἥμαρτε γὰρ ἡ Μήδεια περὶ τὴν ἀποστολὴν τῶν παίδων· ἡ δὲ ἀπολογεῖται ὅτι οὐ τοὺς παῖδας ἀλλὰ τὸν Ἰάσονα ἂν ἀπέκτεινεν· τοῦτο γὰρ ἥμαρτεν ἂν μὴ ποιήσασα, εἴπερ καὶ θάτερον ἐποίησεν.* Oedipum autem III 15: *ἡ Ἰοκάστη ἡ Καρκίνου ἐν τῷ Οἰδίποδι ἀεὶ ὑπισχνεῖται πυνθανομένου τοῦ ζητοῦντος. καὶ ὁ Αἵμων ὁ Σοφοκλέους.* Tereum Carcini habemus apud Stobaeum Serm. CIII 3 *Καρκίνου Τηρεύς·*

Ἀσκεῖν μὲν ἀρετὴν εὐτυχεῖν δ᾽ αἰτεῖν θεούς·
ἔχων γὰρ ἄμφω ταῦτα, μακάριός θ᾽ ἅμα
κεκλημένος ζῆν κἀγαθὸς δυνήσεται.

Orestem a Carcino scriptum fuisse colligo ex his Photii Lex. p. 132 20: *ὁ Καρκίνος Ὀρέστην ὑπὸ Ἡλίου* (Suidas *Ἰλίου*) *ἀναγκαζόμενον ὁμολογῆσαι ὅτι ἐμητροκτόνησεν, ἐποίησε δι᾽ αἰνιγμάτων ἀποκρινόμενον.* Quo loco pro *Ἡλίου* corrigendum videtur *Ἀπόλλωνος.* [9]) Quod autem per aenigmata Laii caedem Orestes Carcini confessus esse dicitur, spectat hoc sine dubio ad illum novae tragoediae

---

9) Nominum *Ἥλιος* et *Ἀπόλλων* frequentem esse in libris permutationem hodie neminem fugit. V. doctam Gaisfordii adnotationem ad Hesiodi Theog. 709 et Tryllitzchium ad Tzetzae scholia in Lycophr. 208.

morem, quo poetae in declarandis sententiis non simplici et plano dicendi genere, sed obscuris verborum ambagibus utebantur. Quod quale sit optime docent exempla ex Ionis Theodectae Agathonis aliorumque tragicorum fabulis ab Athenaeo X p. 451 d — p. 455 f curiose collecta. Hoc tortuoso artificiosae orationis genere Carcinum inprimis delectatum esse, vel proverbialis illa dictio docere potest qua *Καρκίνου ποιήματα* dicebantur carmina quibusdam verborum involucris obscurata. Ita Photius l. l. *Καρκίνου ποιήματα: Μένανδρος Ψευδηρακλεῖ, αἰνιγματώδη.* Ac nescio an id ipsum in Carcini poesi notare voluerit Stratonicus, qui *ᾁσαντός τινος ἤρετο τίνος τὸ μέλος, εἰπόντος δ' ὅτι Καρκίνου, Πολύ γε μᾶλλον, ἔφη, ἢ ἀνθρώπου* Athen. VIII p. 351 f. Cfr. supra p. 285. In iis tamen quae ad nostram aetatem pervenere fragmentis, paucis illis quidem et, si illum Diodori locum excipias, exigui ambitus, satis simplex deprehenditur orationis color et Euripidei sermonis, ad cuius imitationem sese composuisse videtur, simillimus. Sed revertor ad fabulas Carcini, inter quas qui *Κύπριον* receperunt corrupto Hesychii loco confisi sunt, qui in codice recte ita legi videtur: *Ἀλάβη: λιγνύς, σποδός, καρκίνος* [10]. *ὑπὸ δὲ Κυπρίων μαρίλη.* Plutum qui Carcini fabulis adnumerat Vossius de Poet. Graec. p. 49, Carcinum confudit cum Cratino, id quod librariis etiam accidit in Athenaei I p. 22 a et XIII p. 566 e. Mongitorius adeo nova poetam nostrum beavit fabula, quae scripta fuerit in senes qui puellas uxores ducunt. Magnificum sane tragoediae argumentum et Cecropio cothurno dignissimum! Sed in explicanda Carcini

---

[10]) H. e. instrumentum fabrile, quo sensu a nonnullis *κάρκινος* scribi annotavit Herodianus dict. solit. p. 20, 21.

historia experiri voluisse videntur eruditi, quid in erroribus cumulandis effici possit. Ex quo genere est etiam illud Meursii commentum, scolion Carcini laudari opinantis ab Athenaeo lib. XV p. 695 a. Nimirum idem illi quod Gesnero ad Stobaeum Serm. XXIX 31 acciderat: e cancro fecit poetam, quam *μεταμόρφωσιν* in Dalecampio quoque notavit Valckenarius. Non minus ingeniose excogitatum est quod narrat idem ille Mongitorius, Agrigentinum poetam fabulae componendae intentum serpentis ictu occubuisse; quod commentum ex quo fonte manaverit docet, quem supra adscripsi, Aristotelis locus ex Ethicis Nicomacheis.

Incertarum fabularum fragmenta praeter Diodorum et Lysiam l. l. unus quod sciam servavit Stobaeus, quae, ne quid omittam quod ad Carcinum pertineat, hoc loco adscribam. Floril. Serm. XXIX 31:

Οὐδεὶς ἔπαινον ἡδοναῖς ἐκτήσατο,

cum lemmate *Καρκίνου* ex A. ubi superscriptum est *γρ. Εὐριπίδου.* Serm. XXXIII 1:

Πολλοῦ γὰρ ἀνθρώποισι φάρμακον κακῶν
σιγή, μάλιστα δ' ἐστὶ σώφρονος τρόπου.

Serm. XXXVIII 18:

χαίρω σ' ὁρῶν φθονοῦντα, τοῦτ' εἰδὼς ὅτι
ἓν δρᾷ μόνον δίκαιον ὢν ποιεῖ φθόνος·
λυπεῖ γὰρ αὐτὸ κτῆμα τοὺς κεκτημένους.

In his *δίκαιον* vs. 2 scripsit Porsonus pro *ἴδιον.* Vs. 3 *τὸ* ante *κτῆμα* delevit Gaisfordius. Serm. XCIII 8:

Δεινόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.

Recte Gesnerus *δειλόν*, ut in Euripidis versu Phoen. 600. *εἰσορῶ, δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν*, quem Carcinus imitatus est. Praeterea malim *δειλόν γ' ὁ πλοῦτος*, nisi, ut Euripideus ille, trochaicus versus est ab initio uno pede truncatus. Denique Serm. XCIII 11:

Ω πολλὰ πλοῦτος δυστυχέστατος κυρῶν,
ὅμως μέγιστον ζῆλον ἐν βροτοῖς ἔχει.

Gesnerus *ὁ πολλά*, Valckenarius *ὡς πολλά*. Scribendum potius secundo versu *ἔχεις*.

Quandoquidem autem semel de Carcinis dicere coepimus, etiam de filiis Carcini superioris pauca adiicere licebit, in quorum numero nominibusque perhibendis mira deprehenditur opinionum inconstantia. Schol. Aristoph. Nub. 1263: *Καρκίνου παῖδες Ξενοκλῆς Ξενότιμος καὶ Δημότιμος. καὶ οὗτοι μὲν χορευταί, Ξενοκλῆς δὲ τραγῳδίας ποιητής.* Idem ad Pac. 778: *ἐν τῷ ἀντιγράφῳ παροξύτονον εὗρον τὸ Καρκίνος. ἴσως*[11]) *οὖν συνέστειλεν αὐτό, ὡς καὶ Ἄρατος. παῖδες δὲ Καρκίνου τρεῖς, Ξενοκλῆς Ξενότιμος Ξέναρχος. τραγικοὶ δὲ οὗτοι χορευταί.* Idem ad Ran. 86: *υἱὸς Καρκίνου Ξενοκλῆς, κωμῳδεῖται ὡς ἄξεστος ἐν τῇ ποιήσει καὶ ἀλληγορικός. ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενόκλειτος καὶ Ξενότιμος.* Ita vulgo: at Rav. *ἀδελφοὶ δὲ αὐτοῦ Ξενόκλειτος Ξενότιμος Δᾶτις.* Ubi ne quis Datin, nomen Atticis inauditum, miretur, vide mihi eundem Scholiasten ad Pac. 289: *τινὲς δὲ Δᾶτιν* (ab Aristophane commemoratum) *λέγουσι τὸν τραγικὸν ποιητήν, κακῶς ὑπονοοῦντες. ἐκεῖνος γὰρ υἱὸς ἦν Καρκίνου, οὗτος δὲ ὕπαρχος Περσῶν.* Ravennatem igitur si sequimur, quattuor filios Carcinus habuit, id quod etiam Schol. Vesp. 1493 tradit, ubi quum medius, *ὁ μέσατος*[12]), Carcini

---

[11]) Mira dubitatio. Apud Arcadium p. 65 16 *καρκῖνος* scribentem nonnihil turbatum esse docet Herodianus de dict. solit. p. 20 8, et *καρκίνος* (cancer) et *Καρκίνος* (nom. propr.) eidem accentui subiectum esse praecipiens. Fuerunt qui *Καρκῖνος* compararent cum *Κρατῖνος Καλλῖνος Λασῖνος* (Hesych.) et similibus; sed haec longe alia lege reguntur.

[12]) Fuisse qui hoc pro nomine proprio haberent ex scholiasta intelligitur: *ο μέσατος*] *οὐ τὸν τραγικὸν λέγει*

filius ab Aristophane in scenam productus esset, Scholiastes haec annotavit: *ἀκριβῶς δὲ ἔοικε λέγειν. τέσσαρες μὲν δή εἰσιν, ἀλλ' οἱ τρεῖς χορευταί, Ξενοκλῆς δὲ ποιητής. καταλέγει αὐτοὺς σαφῶς Φερεκράτης. τῶν τριῶν οὖν μέσος.* Pherecratis locum, sed vitiosissime scriptum servavit Scholiasta ad eiusdem fabulae vs. 1500, ubi quum alius item Carcini filius prodeat, Philocleoni interroganti,

τουτὶ τί ἦν τὸ προσέρπον; ὄξις ἢ φάλαγξ;

Bdelycleo respondet:

ὁ πιννοτήρης οὗτός ἐστι τοῦ γένους,
ὁ σμικρότατος, ὃς τὴν τραγῳδίαν ποιεῖ.

Ad quos versus haec est Scholiastae annotatio: *εἰς σμικρὸν* (sc. *κωμῳδεῖ*) *τὸν Φιλοκλέα* (immo *Ξενοκλέα*). *καὶ τὸ φαλάγγιον μικρὸν καὶ συνεστραμμένον. δῆλον δὲ ἐκ τῶν Φερεκράτους Ἀγρίων· [καὶ Καρκίνος μέν τις ἦν ὁ Θωρυκίου υἱός. ἦσαν δὲ αὐτῷ] τρεῖς τινες μικροί, κομῆται τότε καὶ νῦν εἰσι μικροὶ καὶ κομῆται. φίλαρχοι τότε παῖδες ἦσαν ὄντες νῦν φιλαρχικώτεροι. μὰ τὸν Δί' οὐ τρεῖς τε ἐκεῖνοί εἰσιν οἱ τέτταρες.* Et ad *πιννοτήρης*: *περὶ Ξενοκλέους ὁ λόγος. πιννοτήρης δὲ οὐκ ἄλλως, ἀλλ' ἐπεὶ καρκίνιόν τί ἐστι* (add. *πίννῃ*) *σύννομον καὶ ἀεὶ ταύτῃ προσδεχόμενον* (leg. *προσεχόμενον*). *Σοφοκλῆς Ἀμφιαράῳ Ὁ πιννοτήρης τοῦδε μάντεως χοροῦ.* Ubi pro *χοροῦ* scribendum videtur *χορός*. Videmus igitur ab aliis illorum interpretum tres, ab aliis autem quattuor Carcini filios perhiberi. Atque idem plane Pherecratem inter et Aristophanem dissensus est. Apud hunc enim tres in scenam prodeunt Carcinidae, Xenocles poeta tragicus et

---

Μέσατον. Hinc arripuit imperitus auctor epistolarum Euripidearum Epist. 5, ubi *Ἀγάθων καὶ Μέσατος* coniunguntur. Cfr. Bentleii Phalar. p. 62.

duo choreutae. Pherecrates autem disertim quattuor commemorat, sed ita commemorat, ut aliorum qui ternarium numerum probarent sententiam refellere videatur. Ita enim fere corruptissimum fragmentum, in quo alia temere repetita alia cum scholiastae verbis confusa sunt, emendandum videtur:

τρεῖς τινες μικροὶ κομῆται καὶ φιλαρχικοὶ τότε,
παῖδες ὄντες· νῦν δέ γ' εἰσὶ καὶ φιλαρχικώτεροι.
B. ἀλλὰ μὰ Δί' οὐ τρεῖς ἐκεῖνοί γ' εἰσὶν ἀλλὰ τέτταρες.

Cetera, quae uncis inclusi, non Pherecratis sed scholiastae verba esse suspicor. Videntur autem ea ante *δῆλον* etc. ponenda et in hunc fere modum supplenda esse: *καὶ Καρκίνος μὲν τραγῳδίας ποιητὴς ἦν, Θωρυκίου υἱός· ἦσαν δὲ αὐτῷ παῖδες τέτταρες.* Thorycii nomen aliunde mihi quidem non cognitum est: at Thorycionem habemus apud Aristophanem et Heniochum. V. supra p. 422. Qui autem factum sit ut ne Pherecratis quidem aetate de numero filiorum Carcini constaret, eius rei varias causas comminisci licet. Ad nomina filiorum ut veniamus, in Philocle et Xenotimo consentiunt omnes. Datis autem, quem et ipsum tragicum fuisse perhibent, quum ceteri unum Xenoclem tragoediis scribendis operam dedisse affirment, fortasse non diversus fuit a Xenocle, cui id nomen opprobrii causa iccirco inditum videri potest, quod eius poesi haud obscura Datismi (Schol. Aristoph. Pac. 290) vestigia impressa fuerint. Quae si vera est coniectura, nonnisi de tertio quartoque restat dubitatio, cuius nomen inter *Δημότιμος Ξέναρχος* et *Ξενόκλειτος* fluctuare vidimus, in quo dissensu componendo vix operae pretium fuerit diutius laborare. Obscuravit autem ceterorum memoriam Philocles, poeta haudquaquam ignobilis, quamvis a comicis poetis acerrime vexatus. Sed de hoc alio loco dicam. Quum autem duo huius nominis poetas tra-

gicos fuisse memoriae proditum sit [13]), non inepte alterum horum eius, qui Carcini maioris filius fuit, nepotem fuisse coniicias. Ita igitur ars tragica in Carcini familia per quattuor aetates viguit. Praeter Philoclem unus praeterea Xenotimus commemoratur, ab Isocrate Trapez. § 52, ubi habemus *Ξενότιμον τὸν Καρκίνου.* Sed probabile est hunc non Carcini poetae, sed Carcini imperatoris filium fuisse, qui sub initiis belli Peloponnesii Atheniensium classi praefectus fuit. Eadem Harpocrationis est sententia p. 106 6: *ἔστι δὲ* (*Καρκίνος*) *καὶ ὄνομα κύριον, οὗ μνημονεύει Ἰσοκράτης Τραπεζιτικῷ. εἴη δ' ἂν οὗτος ὁ Ἀθηναίων στρατηγὸς ὁ πεμφθεὶς περιπλεῦσαι Πελοπόννησον.* Cui coniecturae egregie favet, quod Carcini imperatoris pater itidem Xenotimus perhibetur a Thucydide II 23: *ἐστρατήγει δὲ Καρκίνος ὁ Ξενοτίμου.* Itaque in utraque familia et Carcini et Xenotimi nomen frequentabatur, qui consensus indicio est utriusque Carcini familias consanguinitatis vinculo fuisse coniunctas. Stemma igitur hoc ferme fuerit:

Xenotimus ⁀ Thorycius

Xenotimus	Thorycius
Carcinus imper.	Carcinus trag. I

Carcinus imper. → Xenotimus

Carcinus trag. I → Xenocles trag. I, Xenotimus chor., Xenarchus chor.

Xenocles trag. I → Carcinus trag. II → Xenocles trag. II

Xenarchus chor. → (Demotimus, Xenoclitus)

[13]) Scholiasta Aristoph. Ran. 86: *εἰσὶ δέ, φασί, δύο Ξενοκλεῖς τραγῳδοὶ γεγονότες. τρίτος δὲ τούτοις ἐστὶν ὁμώνυμος πολιτικός, φαύλου* (fort. *Φαΰλλου*) *μὲν πατρός, τῷ δὲ δήμῳ* (leg. *τῶν δὲ δήμων*) *Χολαργεύς.* Cholargensis fortasse idem est cuius convivium descri-

Ilis scriptis eandem quaestionem attigisse video Dobraeum, cuius haec est ad Thucydidis locum annotatio: « Nescio an hic ipse sit Carcinus poeta, quem ridet Aristophanes: nam is habuit filium Xenotimum, — adeo ut forsan ipsius pater fuerit Xenotimus, non Xenocles. » Quae mira laborant omnium rerum perturbatione. Profecto dolendum est I. Scholefieldium in edendis Dobraei adversariis adeo nullo usum esse iudicio, ut ne ea quidem quae vir ingeniosissimus ludibunda manu in chartam coniecerat et quae nunquam ipse publici iuris facturus erat, supprimenda putaverit.

Sequitur Chaeremo, quem comicum poetam perhibent Suidas Eudocia et interpres anonymus ad Aristot. Rhet. III p. 69 b. a Fabricio indicatus. Tragicus contra diserte dicitur Theophrasto apud Athenaeum XIII p. 562 e et ipsi Athenaeo cum aliis locis, tum lib. II p. 43 c. XIII p. 608 a et XV p. 679 f. Idque verissimum esse, praeter fabularum titulos aperte docet orationis color in plerisque fragmentis tragico poeta dignissimus. Nec Centaurum comoediae esse titulum, quae Heerenii fuit sententia Comment. de fontibus Stobaei p. 148, praeter Aristotelem docet fragmentum ab Athenaeo XIII p. 608 e servatum:

Ἔνθεν μὲν αὐτῶν εἰς ἀπείρονα στρατόν
ἀνθέων ἀλόγχων ἐστράτευσαν, ἡδοναῖς
θηρωμένων πάμμικτα λειμώνων τέκνα.

De quo loco dixerunt Hemsterhusius ad Lucian. vol. I p. 30 et Hermannus ad Aristot. A. P. p. 98, quo auctore vs. 3 ad-

---

pserat Matro parodus, ipso fatente in operis initio apud Athenaeum IV p. 134 d:

δεῖπνά μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροφα καὶ μάλα πολλά,
ἃ Ξενοκλῆς ῥήτωρ ἐν Ἀθήναις δείπνισεν ἡμᾶς.

didi πάμμικτα et vs. 2 ἀλόγχων scripsi pro ἀλόχων. Vs. 1 malim ἔνθεν μετ᾽ αὐτῶν et vs. 3 θηρώμενοι. Sed pro ἀλόγχων fortasse scribere praestat ἄλογχον. Ita haec similis locutio esset Aeschyleae Prom. 880: οἴστρου δ᾽ ἄρδις χρίει μ᾽ ἄπυρος de insaniae stimulo, ubi ἄπυρος primitivam suam potestatem retinet, nec verti debuit *ardentissimus*; nam quum ἄρδις ferream cuspidem significet ignis vi duratam, poeta figurae audaciam mitigaturus addit ἄπυρος, ut in Chaeremonis loco florum acies vocatur ἄλογχος. [14]) Sed haec ἐν παρόδῳ Unde igitur fluxisse putabimus anonymi interpretis aliorumque opinionem qua Chaeremonem comicis adnumerandum esse censuerunt? Nimirum Chaeremonis dramata, nunquam fortasse in scenis commissa (cfr. Hermann. ad Arist. de A. P. p. 97), in summo dictionis splendore et poeticarum imaginum suavitate passim tamen in numerorum et orationis conformatione habuerunt, quo ad comoediae similitudinem accedere viderentur. Memorabile eius rei exemplum praebet Athenaeus XIII p. 562 f e Τραυματίᾳ, ubi in postremis versibus notatu dignissimus est usus anapaestorum, quos habemus etiam in versu incertae fabulae apud Athenaeum II p. 35 d, quamquam is quidem e satyrico dramate desumptus videri potest, quae suspicio non cadit in locum e Τραυματίᾳ petitum, cuius fabulae integer titulus fuit Ὀδυσσεὺς τραυματίας. Sic enim appellatur Aristoteli l. l., ubi vide Tyrwhittum et Hermannum p. 148. Aliam tamen Chaeremonis χρῆσιν apud Athenaeum XIII p. 608 e an recte Tyrwhittus ad eandem fabulam rettulerit, haud pro certo affirmaverim, quandoquidem in Chaeremonis fabulis etiam Ὀδυσσέα θερσιτοκτόνον fuisse constat ex Stobaeo

---

[14]) Eandem correctionem easdem ob causas Chaeremonis loco postea adhibuit Lobeckius Aglaoph. p. 839.

Eclogis Phys. p. 196. Consulto omisi versum a Stobaeo Floril. LXXIX 31 laudatum:

βεβαιοτάτην ἔχε τὴν φιλίαν πρὸς τοὺς γονεῖς,

qui Philemonis videtur, cuius nomen passim cum Chaeremone mutatur. Idem de alio trimetro dictum esto apud Stobaeum LXVIII 22:

γυναῖκα θάπτειν κρεῖττόν ἐστιν ἢ λαβεῖν.

Haec olim scripsi de Chaeremone, neque est quod poeniteat. Sed de numerorum negligentia et anapaestorum usu, quem in huius poetae carminibus deprehendi dixi, nunc aliam mihi sententiam sequendam esse video. Quod quo melius intelligatur, totum Athenaei locum adscribam. Is igitur lib. XIII p. 562 allatis aliquot ex Alexidis Apocoptomeno versibus, quibus de amoris vi et natura agitur, ita pergit: *Θεόφραστος δ᾽ ἐν τῷ Ἐρωτικῷ Χαιρήμονά φησι τὸν τραγικὸν λέγειν ὡς τὸν οἶνον τῶν χρωμένων τοῖς τρόποις κεράννυσθαι* [15]*, οὕτως καὶ τὸν Ἔρωτα· ὃς μετριάζων μέν ἐστιν εὔχαρις, ἐπιτεινόμενος δὲ καὶ διαταράττων χαλεπώτατος. διόπερ ὁ ποιητὴς οὗτος οὐ κακῶς αὐτοῦ τὰς δυνάμεις διαιρῶν φησι «Δίδυμα γὰρ τόξα αὐτὸν ἐντείνεσθαι χαρίτων, τὰ μὲν ἐπ᾽ εὐαίωνι τύχᾳ, τὰ δ᾽ ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς.» ὁ δ᾽ αὐτὸς οὗτος ποιητὴς καὶ περὶ τῶν ἐρώντων ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Τραυματίᾳ φησὶν οὕτως·*

Τίς οὐχὶ φήσει τοὺς ἐρῶντας ζῆν μόνους;
εἰ δεῖ γε πρῶτον μὲν στρατευτικωτάτους
εἶναι, πονεῖν τε δυναμένους τοῖς σώμασιν
μάλιστα, προσεδρεύειν τ᾽ ἀρίστους τῷ πόθῳ,

---

[15]) Verissime Grotius Excerptis p. 849 Chaeremonis versum ita restituit: *τῶν χρωμένων γὰρ τοῖς τρόποις κεράννυται.* Ita enim plane eum exhibet Aristoteles Probl. III 16.

ποιητικούς, ἰταμούς, προθύμους, εὐπόρους,
ἐν τοῖς ἀπόροις βλέποντας, ἀθλιωτάτους.

Quibus deinceps Theophili Aristophontis aliorumque comicorum *χρήσεις* subiicit. Obversatur mihi haec scribenti quidquid fragmentorum de Chaeremonis carminibus apud veteres scriptores servatum est. Eorum prope nullum est quin poeticae dictionis luminibus et numerorum elegantia egregie commendetur, quarum virtutum in illis quos adscripsi trimetris nullum plane vestigium: versus ad comicorum numerorum facilitatem compositi, orationis color simplex et nativus. Quid multa? non Chaeremonis, sed comici poetae illi versus sunt, et quidem, ut suspicor, Alexidis, cuius *Τραυματίας* laudatur a Stobaeo, de quo supra admonui p. 403. Magnum autem huic coniecturae praesidium in eo paratum est, quod totus ille Athenaei locus mirifice perturbatus est. Quis enim nescit ne illa quidem verba, *δίδυμα γὰρ τόξα αὐτὸν ἐντείνεσθαι* etc. non Chaeremonis esse, sed Euripidis in Iphig. Aul. 549? Quam rem qui mira virorum doctorum commenta genuisse verissime dixit Hermannus, ne ipse quidem eam ingressus esse videtur viam quae probari possit. Quis enim credat affirmanti, illud *εὔχαρις* ex Medeae vs. 630 sumptum esse, et Athenaeum, quoniam id neminem latere posse putaret, Euripidem significasse his verbis *ὁ ποιητὴς οὗτος*? Ferrem tamen, si modo ita etiam ea quam de trimetris Chaeremonis movi dubitatio tolleretur. Itaque multo, ut equidem opinor, verisimilius est, Athenaeum Theophrasti locum, in quo Chaeremonis et Euripidis versus loco, si forte, distincti citarentur, negligentius exscripsisse, totamque illam Theophrasti eclogam reliquis iam perscriptis postliminii loco adiecisse. Quam doctissimi deipnosophistae in excerpendis scriptorum locis levitatem illustri exemplo ad Nausicratis fragmenta declarabo. Ita igitur verbis, *ὁ δ' αὐ-*

τὸς οὗτος ποιητής, Alexis significatur, cuius ex Apocoptomeno fragmentum proxime ante Theophrasti locum praecedit. Denique ne illud quidem omittendum est, nequaquam probabile videri, Athenaeum Chaeremonis fabulam, quae Ὀδυσσεὺς τραυματίας inscripta esset, omissa potiore indicis parte Τραυματίαν appellasse. Quod autem ad alterum Chaeremonis locum attinet, in quo negligentiores numeros olim deprehendisse mihi videbar, infelicem Grotii coniecturam tum sequutus eram. Recte librorum lectionem revocavit Dindorfius: Χαιρήμων δὲ ὁ τραγῳδὸς παρασκευάζειν φησὶ τὸν οἶνον τοῖς χρωμένοις γέλωτα, σοφίαν, εὐμάθειαν, εὐβουλίαν. Apertum est non verba, sed sententiam Chaeremonis Athenaeum reddidisse.

Quod supra dicebam, frequentes esse librariorum errores in permutandis vocabulis τραγῳδοποιὸς et κωμῳδοποιός, exemplis confirmatum reperies a Bentleio Resp. ad Boyl. p. 68 et Casaubono de Poesi Sat. I 5 p. 148. Quibus alia quaedam addere iuvat cum nostro consilio arctissime coniuncta. De Philocle, ut hinc ordiar, Scholiastes Aristoph. Av. 282 haec scripsit: ἔστι δὲ Φιλοκλῆς κωμῳδίας ποιητὴς καὶ Φιλοπείθους υἱὸς ἐξ Αἰσχύλου ἀδελφῆς. Similia habet Suidas III p. 604 et ex Suida Eudocia p. 427, unde factum est ut Meursius Philoclem inter comicos poetas reciperet. At Kusterus τραγῳδίας ποιητὴς legendum esse vidit, improbante, ut videtur, Buttmanno in Museo Antiqu. Stud. vol. II p. 380. Sed verissime Kusterus, ut docent quae sequuntur apud Scholiasten: γεγόνασι δὲ Φιλοκλεῖς δύο τραγῳδιῶν ποιηταί. Athenaeus tamen lib. II p. 66 b Philoclem ita commemorat, ut nisi de comico poeta non cogitari posse videatur: καὶ γὰρ Φιλοκλῆς τε ἐγκέφαλόν φησιν· οὐδ᾽ ἂν ἐγκέφαλον ἔσθων λίποι. καὶ Ἀριστοφάνης· ἀπολέσαιμ᾽ ἂν ἐγκεφάλου θρίω δύο. Quae ita rettulit Eustathius

ad Iliad. *ι* p. 757: *πολλὴ γὰρ χρῆσις τῆς λέξεως παρά τε τοῖς ἄλλοις καὶ τῷ εἰπόντι, ὡς οὐδ' ἂν ἐγκεφάλων ἔσθων λίπῃ.* Itaque propter hunc ipsum Athenaei locum videndum est ne Philocles quidam comicus fuerit; ac commode succurrit Philocles Philippidae comici pater. Vide supra p. 470. Sed haec omnia admodum dubia esse non diffiteor; neque multum repugnarem, si quis pro Philocle apud Athenaeum Dioclis nomen reponeret. Haec enim nomina passim permutata sunt a librariis. V. Clintoni Fast. Hellen. Olymp. 114 3.

Aliud item eiusdem erroris, de quo dicere institui, exemplum habemus apud Clementem Alex. Strom. VI p. 264 Sylb. *Μοσχίων ὁ κωμικός γράφει·*

κεῖνος δ' ἁπάντων ἐστὶ μακαριώτατος,
ὃς διὰ τέλους ζῶν ὁμαλὸν ἤσκησεν βίον.

Nisi scripsit, certe debuit scribere Clemens *Μοσχίων ὁ τραγικός*, cuius Telephum et Pheraeos laudat Stobaeus Flor. CXXV 3 et Ecl. phys. p. 152. Cfr. Porsonus ad Euripidis Phoen. 1462. Incertarum fabularum fragmenta supersunt compluria, tragicae dictionis splendore conspicua. Eundem scripsisse Themistoclem tragoediam, in qua pugna celebraretur Salaminia, ex eodem Stobaeo intelligitur Serm. LI 21: *Μοσχίωνος ἐκ Θεμιστοκλέους·*

Καὶ γὰρ ἐν νάπαις βραχεῖ
πολὺς σιδήρῳ κείρεται πεύκης κλάδος,
καὶ βαιὸς ὄχλος μυρίας λόγχης κρατεῖ.

Quos versus fortasse nuntio tribuerat poeta, Salaminiam victoriam describenti. Neglexit haec Passovius Melet. crit. in Aeschyli tragoedias p. 3, ubi de iis agit poetis qui tragoediarum argumenta e patriae historiae luce petierunt. Cuius generis aliquanto plures fuisse apud Graecos tragoedias, quam vulgo putatur, facili opera demonstrari posset.

Themistoclem Philisci supra attigi p. 424. Lycophronis Cassandreuses a Suida commemoratos ad Cassandrensium fata sub tyrannide Apollodori spectasse haud vana, opinor, suspicio est Niebuhrii in Museo Rhen. I 2 p. 117. Artemisiam quoque Graecorum victoriam in scenam fuisse productam colligi potest e Strabone lib. IX p. 668 Lips. *ἡ μέντοι Σηπιὰς ἀκτὴ καὶ τετραγῴδηται καὶ μετὰ ταῦτα ἐξύμνηται διὰ τὸν ἐνταῦθα ἀφανισμὸν τοῦ Περσικοῦ στόλου.* Nisi hoc loco *τραγῳδεῖν* tragice exornandi sensu interpretari praestat.

Theodorum qui poetis comicis annumerare volet, Hesychii uti testimonio debebit, apud quem haec reperio: *Πελεθόβαψ: Θεόδωρος ὁ κωμικὸς ὁ ὑποκριτὴς οὕτως ἐκαλεῖτο. τινὲς δὲ ποιητήν φασιν αὐτὸν γεγονέναι.* Enimvero certissimum est haec ita corrigenda esse: *Θεόδωρος ὁ τραγικὸς ὑποκριτής.* Theodorum, nobilissimum tragoediarum actorem Philippi Macedonis aetate clarum, commemorat Demosthenes de F. L. p. 418 Rsk. *τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα* (Euripidis Phoenicem dicit) *οὐδὲ πώποτε οὔτε Θεόδωρος οὔτε Ἀριστόδημος ὑπεκρίνατο, οἷς οὗτος* (Aeschines) *τὰ τρίτα λέγειν διετέλεσεν.* Aristoteles Polit. VII 10: *οὐ κακῶς ἔλεγε τὸ τοιοῦτον Θεόδωρος ὁ τῆς τραγῳδίας ὑποκριτής· οὐθενὶ γὰρ πώποτε παρῆκεν ἑαυτοῦ προεισάγειν οὐδὲ τῶν εὐτελῶν ὑποκριτῶν, ὡς οἰκειουμένων τῶν θεατῶν ταῖς πρώταις ἀκοαῖς.* Aliorum de eo testimonia protulit Wyttenbachius ad Plutarch. de aud. poet. p. 18 C. Sed eiusdem nomen Ephippo restituendum est apud Athenaeum XI p. 482 d, ubi vulgo legitur *ῥήσεις τε κατὰ δεῖπνον Θεωρός μοι λέγοι.* De quo iam olim admonui Quaest. scen. III p. 14. Cognomen *Πελεθόβαψ*, quod *Πελεθοβάψ* scribendum esse Arcadius de acc. p. 94 13 praecipit, unde homini haeserit a nemine quaesitum vidi. Suspicor autem eo nomine Theodorum a

comico quodam poeta insignitum fuisse, quo hominis foedam libidinem indicaret. Hesychius vol. II p. 1694: *Θεοδώρους ἔλεγον οἱ κωμικοὶ τοὺς πρωκτούς* [16]), *ἀπὸ Θεοδώρου τινὸς οὐκ εὖ τῆς ἑαυτοῦ ὥρᾳ χρησαμένου.* Cfr. idem s. v. *Ἀριστόδημος.* Quod autem eundem hunc Theodorum etiam in poetis habitum esse scribit Hesychins, nescio an is diversos Theodoros confuderit. Sane quidem etiam apud Diogenem Laert. II 104 in viginti quos enumerat Theodoris commemoratur *Θεόδωρος ποιητὴς τραγῳδίας.* At cum vix credere liceat celeberrimum histrionem a Diogene fuisse praetermissum, haud quaquam improbabile est pro *ποιητὴς* apud hunc scribendum esse *ὑποκριτής.* Theodorum poetam lyricum patria Colophonium habemus apud Aristotelem Athenaei XV p. 618 f et Polluc. IV 55, fortasse etiam apud Athenaeum III p. 122 b. Ab hoc distinguendus est is quem commemorat Dionysius apud Athenaeum XV p. 669 e.

I o n e m, tragicum poetum nobilissimum, quo auctore Fabricius in comicorum indicem rettulerit nescio, nisi forte e Scholiasta Arist. Pac. 835: *ἔγραψε δὲ καὶ κωμῳδίας καὶ ἐπιγράμματα καὶ παιᾶνας καὶ ὕμνους.* Sed huius auctoritati non multum tribuo; ac fortasse ne scripsit is quidem *κωμῳδίας*, sed *τραγῳδίας.* Nec maior Suidae auctoritas, qui cum D i o n y s i u m maiorem et tragoedias et comoedias scripsisse dicit, vereor ne iusto liberaliorem sese praestiterit. Tragicam artem, licet infausto successu, Dionysium factitasse notissimum est. Praeter Fabricium B. G. II p. 296 vide quae dixi supra p. 362 et ad Euphorionem p. 163. De comoediis eius qui tradiderit praeter Suidam scio neminem. Nam *Θεσμοφόροι*, quam fabulam Syracusano tyranno tribuit

---

[16]) Cod. *πρώτους*, quod Musurus improspere in *εὐρυπρώκτους* mutavit.

Casaubonus ad Athen. IX p. 404 c, Dionysii fuit Sinopensis, comoediarum poetae haud ignobilis. Accedit expressum testimonium Aeliani V. H. XIII 18: *Διονύσιος,' ὁ τῆς Σικελίας, τραγῳδίαν μὲν ἠσπάζετο καὶ ἐπῄνει, καὶ οὖν καὶ δράματα ἐξεπόνησε τραγικά· ἀλλοτρίως δὲ πρὸς κωμῳδίαν διέκειτο, ὅτι οὐκ ἦν φιλόγελως.* Quo minus fides habenda est Suidae, cuius error ex eo repetendus videtur, quod in tragoedia quadam, cuius nomen ignoratur, Platonem tecto quidem, ut suspicari licet, sed petulantissime et comicorum in morem vexaverat. Testis est Tzetzes Chil. V 182:

ἐν δὲ τῷ κατὰ Πλάτωνος δράματι γεγραμμένῳ
πλέον μὲν κωμικωτέρῳ ἢ τραγῳδίας ὄντι
δοκῶ τὸν στίχον ἔλεξεν, ὃς τῇ ἀρχῇ ἐγράφη
«αὑτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν.»

Ad quae compara Lucianum adv. ind. 15 vol. III p. 113: *ἀλλ' ὅμως μακρῷ γελοιότερα ἔγραφεν* (Dionysius)· *οἷον κἀκεῖνο «τὸ Δωρικὸν ἦλθεν ἡ Διονυσίου γυνή». καὶ πάλιν «οἴμοι γυναῖκα χρησίμην ἀπώλεσα». καὶ τοῦτο γὰρ ἐκ τοῦ πυξίου. καὶ τὸ «αὑτοῖς γὰρ ἐμπαίζουσιν οἱ μωροὶ βροτῶν».* Quem locum attigi supra p. 362.

Haud maiori iure in comicorum ordinem recepti sunt Sositheus Demonax Ecdorus Serapio et Hippothoon. De Sositheo, quem recepit Fabricius propter Diogenis locum, dixit Naekius Sched. crit. p. 4, contra quem frustra disputavit Mohnike Dissert. de Cleanthe Stoico I p. 85. Demonactem Serapionem et Ecdorum tragicos fuisse poetas ostendunt fragmenta apud Stobaeum Floril. XXI 8. XXII 16. X 2. XC 9. Paullo maior dubitatio incidit de Hippothoonte. Comicum tamen quo minus fuisse putemus prohibent fragmenta a Stobaeo servata. V. indicem Gaisfordii.

Magis etiam mirum est accenseri poetis comicis Dia-

goram **Telestem** et **Timocreontem** Rhodium, poetas melicos. **Diagoras**, de quo Scholiasta Aristoph. Ran. 323 haec scripsit: *διθυραμβοποιὸς ὁ Διαγορὰς ποιητής — ἢ κωμικὸς διθυραμβικά τουτέστι Διονυσιακὰ δράματα ποιῶν*, **Diagoras** igitur quo sensu comicus poeta dici potuerit docet Libanius vol. III p. 53: *τὴν γὰρ Ἐλευσῖνα καὶ τὰς ἀπορρήτους ἐκωμῴδει τελετάς.* Quod ubi quove in libro prodiderit quaerere nunc non vacat: in lyricis quidem carminibus summam erga deos pietatem et reverentiam ostendisse docet egregium fragmentum a Didymo Alex. de Trin. III 2 p. 320 servatum:

Θεὸς θεὸς πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου νωμᾷ φρέν᾽ ὑπερτάταν·
αὐτοδαὴς δ᾽ ἀρετὰ βραχὺν οἶμον ἕρπει.

Quae ex encomio Arianthis Argivi petita esse intelligitur ex Phaedro Epic. de N. D. p. 23 Pet. *ἐν τῇ ποιήσει κατ᾽ ἀλήθειαν ὑπ᾽ αὐτοῦ γεγράφθαι τοῖς ὅλοις οὐδὲν ἀσεβὲς παρενέφαινεν* (Aristoxenus), *ἀλλ᾽ ἐστὶν εὔφημος, ὡς ποιητής, εἰς τὸ δαιμόνιον, καθάπερ ἄλλα τε μαρτυρεῖ καὶ τὸ γεγραμμένον εἰς Ἀριάνθην τὸν Ἀργεῖον. Θεὸς θεὸς πρὸ παντὸς ἔργου βροτείου νωμᾷ φρέν᾽ ὑπερτάταν. καὶ τὸ εἰς Νικόδωρον τὸν Μαντινέα· κατὰ δαίμονα καὶ τύχαν τὰ πάντα βροτοῖσιν ἐκτελεῖσθαι.* [17]) *Τὰ παραπλήσια δ᾽ αὐτῷ περιέχει καὶ τὸ Μαντινέων ἐγκώμιον.* Hinc redintegravi fragmentum a Didymo servatum, apud quem *θεὸς* semel scriptum erat. Pertinent huc quodammodo quae ex Aelio Dionysio attulit Eustathius ad Iliad. p. 258 27: *Αἴλιος Διονύσιός φησιν ὅτι καὶ ἐν ἱεροποιίαις*

---

[17]) Haec habet etiam Sextus Empir. c. Math. IX 53 p. 561 Fabr. Praeterea nihil de Diagorae carminibus servatum est.

καὶ ἄλλαις πράξεσι τὸ θεὸς θεὸς ἐπελέγετο. ἐν δὲ ἑτέρῳ ῥητορικῷ λεξικῷ φέρεται καὶ ὅτι παντὸς ἔργου ἀρχόμενοι ἔλεγον θεὸς θεός. Itaque boni ominis causa haec verba in ipso carminis initio posuerat. *Αὐτοδαῆ ἀρετὴν* dicere videtur laudem quam quis suis confisus viribus anquirit, divinae opis nil indigens. Adiectivo *αὐτοδαὴς* paullo diverso sensu usus est Sophocles Ai. 700.

Porro Telestem comicum manifestus Suidae error peperit, quod verbo monuisse sufficiat. Paullo speciosius idem Timocreontem comoediae poetis accensuit. Idem alio loco in v. *σκόλιον* praeeunte Scholiasta Aristoph. Ran. 1337 eum *ἐποποιόν* appellat, pro quo vide an scribendum sit *μελοποιός*, ut vocatur apud Plutarch. Themist. XXI, quo loco ipsum illud carmen servatum est, quod Timocreonti comici poetae nomen conciliavit. Scilicet latissime patet usus et significatio verborum *κωμῳδία* et *κωμῳδεῖν*, quae passim de quovis ludibrii genere usurpantur. [18]) Strabo VIII p. 308 Eretrienses propter frequentem caninae litterae usum *κεκωμῳδῆσθαι* dicens [19]) non necesse est ut ad comicos poetas respexisse credatur, quemadmodum Pflugkio nostro visum est in docta Dissert. de rebus Euboicis p. 17. Ambigue Aelianus V. H. X 6: *ἐκωμῳδοῦντο εἰς λεπτότητα Σαννυρίων — καὶ Φιλητᾶς ποιητὴς πεντραμέτρων.* De Sannyrione comicorum facetiis illuso res nota est, non item de Phileta. Cfr. tamen Stratonem Athen. IX p. 383 b. Quae Diogenes Laert. IX 110 Timoni Phliasio tribuit *δράματα κωμικὰ τριάκοντα*, carmina fuisse videntur *σκωπτικὰ* colloquentium

---

[18]) Similiter *τραγῳδία* et *τραγῳδεῖν* permultis locis latiore sensu intelligenda sunt. Vid. Lobeckii Aglaoph. p. 977. Cfr. supra p. 523.

[19]) Ita etiam Eustath. ad Iliad. p. 492 15. Cfr. Boeckhium Corp. Inscr. I p. 28.

personarum vicibus utcunque distincta. Nec **Antheam Lindium**, de quo Athenaeus X p. 445 b: *καὶ κωμῳδίας ἐποίει καὶ ἄλλα πολλὰ ἐν τούτῳ τῷ τρόπῳ τῶν ποιημάτων, ἃ ἐξῆρχε τοῖς μεθ' αὐτοῦ φαλλοφόροις*, comoedias vere sic dictas scripsisse crediderim, ut nec **Euagem** Hydriotam, quem Dionysius apud Stephanum Byz. s. *Ὑδρέα* p. 724 pastorem fuisse refert omnis quidem eruditionis expertem, sed comoediarum auctorem non infelicem: *ἦν δὲ ὁ Εὐάγης ποιμήν τις ἀγράμματος δηλαδὴ καὶ ἄλλης παιδείας ἄπειρος, ποιητὴς δ' ἀγαθὸς κωμῳδιῶν.* De **Antiphane** Bergaeo, fabulatore notissimo, quem et ipsum fuerunt qui comicum poetam dicerent, egi supra p. 340.

Porro non e comicorum tantum numero, sed omnino e graecorum poetarum ordine proscribendi et in Caeritum tabulas referendi sunt **Callistus Eudaemon** et **Philocrates**. Ex his Callistum commemorat Pollux II 112. *καὶ στρηνόφωνος παρὰ Καλλίστῳ κωμικῷ.* Quo loco qui usus est Meursius Bibl. Att. p. 1288 F. inscite ad eundem Callistum spectare credidit quae leguntur apud Vitruv. IX 7, Casaubonus autem ad Athen. XV p. 668 c, ubi Callippi comici poetae mentio iniicitur, dubius haeret, utrumne apud Athenaeum Callippo Callisti, an apud Pollucem Callisto Callippi nomen substituat. Neutrum probari posse haec docet emendatio, etiam propter articulum, qui deesse non potest, necessaria: *παρὰ Καλλίᾳ τῷ κωμικῷ.* [20]) **Eudaemonem** poetam comicum unus quod sciam commemorat Epiphanius Ancyr. p. 514 30 Par. *ἄλλος δὲ κωμικὸς Εὐδαίμων τοὔνομά φησιν «εἴπερ εἰσὶ θεοί, οὐ δυνάμεθα* (leg. *δύναμαι*) *«περὶ αὐτῶν λέγειν ὁποῖοί τινές εἰσι, δειλιῶν δηλῶσαι.*

---

[20]) Idem coniecisse Porsonum monuit Dobraeus in Aristoph. vol. IX p. 554 Dind.

«πολλὰ γάρ ἐστι τὰ κωλύοντά με.» Quam sententiam Protagoram in operis sui initio posuisse constat ex Suida s. v. *Πρωταγόρας*, Theophilo ad Autol. III p. 384 d, Eusebio Praep. Ev. XIV 19 multisque aliis ab H. Rittero Histor. philos. I p. 588 indicatis. Quo magis eam ignoto plane nullique alii commemorato poetae Eudaemoni tribui miramur, qui error tam immanis est, ut librariis potius quam Epiphanio imputandus sit. Fortasse igitur Eudaemoni Philemonis nomen substituendum est, cuius χρῆσις simul cum Protagorae nomine excidisse videri potest. Denique Philocratem qui inter comicos poetas numerarunt, usi sunt testimonio Scholiastae ad Luciani Amor. 28: ταύτην τὴν Φιλαινίδα, ἣν Φιλοκράτης ὁ Ἀθηναῖος κωμῳδοποιὸς ἐξεπόμπευσεν. Atqui Luciani scholiastam, scriptorem, ut satis constat, imperitissimum, e Polycrate Sophista, quem Philaenidis memoriae ignominiae notam inussisse constat ex Athenaeo VIII p. 335 c, fecisse Philocratem comicum, cum ipse dudum suspicatus eram, tum monuit praestantissimus Naekius de Choerilo p. 193 sq. Iam non est quod copiosius refutemus Schweighaeuserum, qui corruptum locum Athenaei XV p. 699 f ita sibi corrigere visus est, ut Philocratis comici nomen restitueret. Disserit Athenaeus de usu vocabulorum λύχνος et λυχνοῦχος, quem exemplis confirmaturus inter alias χρήσεις etiam hanc ponit: φι . . . της δ' ἐν Τριόδοντι ἢ Ῥωποπώλῃ προειπών·

λάβε τριόδοντα καὶ λυχνοῦχον —

ἐπιφέρει·

ἐγὼ δὲ δεξιᾷ γε τόνδ' ἔχω τινά,
σιδηρότευκτον ἐναλίων θηρῶν βέλος,
κερατίνου τε φωσφόρου λύχνου σέλας.

Quo loco quamquam difficile dictu est quid sub istis litterarum signis lateat, suspicari tamen licebit scripsisse Athenaeum Φιλιππίδης, quae coniectura nititur auctoritate Pho-

tii Lex. p. 238 5: *λυχνοῦχον, τὸν κεράτινον φανόν, ἀπὸ τοῦ λύχνον ἐν αὐτῷ περιέχεσθαι. φανὸς δὲ ἡ ἐκ ξύλων λαμπάς. Φιλιππίδης.*

Denique Herodiani locum adscribam, in quo et Dindorfio et mihi olim poetae comici nomen latere visum est. Legitur is in libro corruptissimo de dict. solit. p. 42 4: *Στρουθός: τὰ εἰς θος λήγοντα καθαρὰ μονογενῆ δισύλλαβα, παραληγόμενα φύσει μακρᾷ, βαρύνεσθαι θέλει. θῶκος· οὕτως ὁ κ ή β ι ο ς κ ω μ ι κ ό ς· μῦθος· γῆθος* (leg. *Ζῆθος*), *Σῆθος, ποταμὸς Σκυθίας, ὡς Φιλοστέφανος. Ξοῦθος τὸ κύριον.* De quo loco nunc ita statuo ut *θῶκος*, quod ne aptum quidem est regulae Herodiani, in *κῶθος* mutandum et sequentia ita scribenda censeam: *οὕτως ὁ κωβιός*, deleto quod e *διττογραφίᾳ* ortum videtur vocabulo *κωμικός*. Scilicet *κωβιὸς* et *κῶθος* eiusdem piscis sunt nomina, id quod testatur Athenaeus VI p. 309 c: *Νουμήνιος δ' ἐν Ἁλιευτικῷ κώθους αὐτοὺς* (sc. *τοὺς κωβιοὺς*) *καλεῖ*

Ἢ σκάρον ἢ κῶθον τροφίην καὶ ἀναιδέα λίην.

καὶ Σώφρων ἐν τῷ Ἀγροιώτῃ „κωθωνοπλύται" φησί, καὶ τὸν τοῦ θυννοθήρα δὲ υἱὸν ἴσως ἀπὸ τούτου Κωθωνίαν προσηγόρευσεν. Idem nomen restituendum est Arcadio de acc. p. 49 1: *τὰ εἰς θος μονογενῆ — βαρύνεται, μῦθος, κῦθος* (scr. *κῶθος*), *Ζῆθος, Ξοῦθος τὸ κύριον.* Cfr. Etymol. M. p. 730 33.

EPIMETRUM II

GRAMMATICORUM SCRIPTA AD COMICORUM HISTORIAM SPECTANTIA CONTINENS.

Ἐκ τῶν Πλατωνίου περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν.

Pag. Inv. XXXIII

Καλὸν ἐπισημήνασθαι τὰς αἰτίας δι' ἃς ἡ μὲν ἀρχαία κωμῳδία ἴδιόν τινα τύπον ἔχει, ἡ δὲ μέση διάφορός ἐστι πρὸς ταύτην. ἐπὶ τῶν Ἀριστοφάνους καὶ Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος χρόνων τὰ τῆς δημοκρατίας ἐκράτει παρ' Ἀθηναίοις καὶ τὴν ἐξουσίαν σύμπασαν ὁ δῆμος εἶχεν, αὐτὸς αὐτοκράτωρ καὶ κύριος τῶν πολιτικῶν πραγμάτων ὑπάρχων. τῆς ἰσηγορίας οὖν πᾶσιν ὑπαρχούσης ἄδειαν οἱ τὰς κωμῳδίας συγγράφοντες εἶχον τοῦ σκώπτειν καὶ στρατηγοὺς καὶ δικαστὰς τοὺς κακῶς δικάζοντας καὶ τῶν πολιτῶν τινὰς ἢ φιλαργύρους ἢ συζῶντας ἀσελγείᾳ. ὁ γὰρ δῆμος, ὡς εἶπον, ἐξῄρει τὸν φόβον τῶν κωμῳδούντων, φιλοτίμως τῶν τοὺς τοιούτους βλασφημούντων ἀκούων. ἴσμεν γὰρ ὡς ἀντίκειται φύσει τοῖς πλουσίοις ἐξ ἀρχῆς ὁ δῆμος καὶ ταῖς δυσπραγίαις αὐτῶν ἥδεται. ἐπὶ τοίνυν τῆς Ἀριστοφάνους καὶ Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος κωμῳδίας ἀφόρητοί τινες κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων ἦσαν οἱ ποιηταί. λοιπὸν δὲ τῆς δημοκρατίας ὑποχωρούσης ὑπὸ τῶν κατὰ τὰς Ἀθήνας τυραννούντων καὶ καθισταμένης ὀλιγαρχίας καὶ μεταπιπτούσης τῆς ἐξουσίας τοῦ δήμου εἰς ὀλίγους καὶ κρατυνομένης τῆς ὀλιγαρχίας ἐνέπιπτε τοῖς ποιηταῖς φόβος. οὐ γὰρ ἦν

---

7. *πᾶσιν*] **Ita Dindorfius. Vulgo** *πάσης*.

τινὰ προφανῶς σκώπτειν, δίκας ἀπαιτούντων τῶν ὑβριζομένων παρὰ τῶν ποιητῶν. ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ
XXXIV τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνων εἰς οὓς καθῆκε τὸ δρᾶμα. καὶ διὰ τοῦτο ὀκνηρότεροι πρὸς τὰ σκώμματα ἐγένοντο καὶ ἐπέλιπον οἱ χορηγοί· οὐ γὰρ ἔτι προθυμίαν εἶχον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς χορηγοὺς τοὺς τὰς δαπάνας τοῖς χορευταῖς παρέχοντας χειροτονεῖν. τὸν γοῦν Αἰολοσίκωνα Ἀριστοφάνης ἐδίδαξεν, ὃς οὐκ ἔχει τὰ χορικὰ μέλη. τῶν γὰρ χορηγῶν μὴ χειροτονουμένων καὶ τῶν χορευτῶν οὐκ ἐχόντων τὰς τροφὰς ὑπεξῃρέθη τῆς κωμῳδίας τὰ χορικὰ μέλη καὶ τῶν ὑποθέσεων ὁ τρόπος μετεβλήθη. σκοποῦ γὰρ ὄντος τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγούς, παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν πολὺν φόβον, Αἴολον τὸ δρᾶμα, τὸ γραφὲν τοῖς τραγῳδοῖς, ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ τῆς μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα.

Παράβασις δέ ἐστι τοιοῦτο. μετὰ τὸ τοὺς ὑποκριτὰς τοῦ πρώτου μέρους πληρωθέντος ἀπὸ τῆς σκηνῆς ἀναχωρῆσαι, ὡς ἂν μὴ τὸ θέατρον ᾖ κενὸν καὶ ὁ δῆμος ἀργῶς καθέζηται, ὁ χορὸς οὐκ ἔχων πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς διαλέγεσθαι ἀπόστροφον ἐποιεῖτο πρὸς τὸν δῆμον. κατὰ δὲ τὴν ἀπόστροφον ἐκείνην οἱ ποιηταὶ διὰ τοῦ χοροῦ ἢ ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀπελογοῦντο ἢ περὶ δημοσίων πραγμάτων εἰσηγοῦντο. ἡ δὲ παράβασις ἐπληροῦτο ὑπὸ μελυδρίου καὶ κομματίου καὶ στροφῆς καὶ ἀντιστρόφου καὶ ἐπιρρήματος καὶ ἀντεπιρρήματος καὶ ἀναπαίστων. τὰ μὲν γὰρ ἔχοντα τὰς παραβάσεις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐδιδάχθη καθ' ὃν ὁ δῆμος ἐκράτει, τὰ δὲ οὐκ ἔχοντα τῆς ἐξουσίας λοιπὸν ἀπὸ τοῦ δήμου μεθισταμένης καὶ τῆς ὀλιγαρχίας κρατούσης. οἱ

δὲ τῆς μέσης κωμῳδίας ποιηταὶ καὶ τὰς ὑποθέσεις ἤμειψαν καὶ τά χορικὰ μέλη παρέλιπον, οὐκ ἔχοντες τοὺς χορηγοὺς τοὺς τὰς δαπάνας τοῖς χορευταῖς παρέχοντας. ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται, τὸ στρατηγοῖς XXXV
ἐπιτιμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσιν ἐξ ἀδικίας τισὶ καὶ μοχθηρὸν ἐπανῃρημένοις βίον, ἡ δὲ μέση κωμῳδία ἀφῆκε τὰς τοιαύτας ὑποθέσεις, ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθεν. ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον, οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν. τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ ἔστιν εὑρεῖν, ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης. οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας Ὁμήρου. τοιαῦται γὰρ αἱ κατὰ τὴν μέσην κωμῳδίαν ὑποθέσεις εἰσίν· μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον ὡς κακῶς ῥηθέντας· καὶ τὰς παραβάσεις παρῃτήσαντο, διὰ τὸ τοὺς χορηγοὺς ἐπιλεῖψαι χορῶν οὐκ ὄντων. οὐ μὴν οὐδὲ τὰ προσωπεῖα ὁμοιοτρόπως τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ κατεσκευασμένοις εἰσῆγον. ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ εἴκαζον τὰ προσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις, ἵνα, πρίν τι καὶ τοὺς ὑποκριτὰς εἰπεῖν, ὁ κωμῳδούμενος ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ὄψεως κατάδηλος ᾖ· ἐν δὲ τῇ μέσῃ καὶ νέᾳ κωμῳδίᾳ ἐπίτηδες τὰ προσωπεῖα πρὸς τὸ γελοιότερον ἐδημιούργησαν, δεδοικότες τοὺς Μακεδόνας καὶ τοὺς ἐπηρτημένους ἐξ ἐκείνων φόβους, ἵνα μηδὲ ἐκ τύχης τινὸς ὁμοιότης προσώπου συμπέσῃ τινὶ Μακεδόνων ἄρχοντι καὶ δόξας ὁ ποιητὴς ἐκ προαιρέσεως κωμῳδεῖν δίκας ὑπόσχῃ. ὁρῶμεν γοῦν τὰ προσωπεῖα τῆς Μενάνδρου κωμῳδίας τὰς ὀφρῦς ὁποίας ἔχει καὶ ὅπως ἐξεστραμμένον τὸ στόμα καὶ οὐδὲ κατ᾽ ἀνθρώπων φύσιν.

Τοῦ αὐτοῦ περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων.

XXVII Κρατῖνος ὁ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητής, ἅτε δὴ κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις, αὐστηρὸς μὲν ταῖς λοιδορίαις ἐστίν. οὐ γὰρ ὥσπερ ὁ Ἀριστοφάνης ἐπιτρέχειν τὴν χάριν τοῖς σκώμμασι ποιεῖ, τὸ φορτικὸν τῆς ἐπιτιμήσεως διὰ ταύτης ἀναιρῶν, ἀλλ' ἁπλῶς καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων. πολλῆς δὲ καὶ τῆς τροπῆς τυγχάνει. εὔστοχος δὲ ὢν ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν δραμάτων καὶ διασκευαῖς, εἶτα προϊὼν καὶ διασπῶν τὰς ὑποθέσεις οὐκ ἀκολούθως πληροῖ τὰ δράματα. Εὔπολις δὲ εὐφάνταστος μὲν εἰς ὑπερβολήν ἐστι κατὰ τὰς ὑποθέσεις. τὰς γὰρ εἰσηγήσεις μεγάλας τῶν δραμάτων ποιεῖται, καὶ ἥνπερ ἐν τῇ παραβάσει φαντασίαν κινοῦσιν οἱ λοιποί, ταύτην ἐκεῖνος ἐν τοῖς δράμασιν ἀναγαγεῖν ἱκανὸς ὢν ἐξ Ἅιδου νομοθετῶν πρόσωπα, καὶ δι' αὐτῶν εἰσηγούμενος ἢ περὶ θέσεως νόμων ἢ καταλύσεως. ὥσπερ δέ ἐστιν ὑψηλός, οὕτω καὶ ἐπίχαρις, καὶ περὶ τὰ σκώμματα λίαν εὔστοχος. ὁ δὲ Ἀριστοφάνης τὸν μέσον ἐλήλακε τῶν ἀνδρῶν χαρακτῆρα. οὔτε γὰρ πικρὸς λίαν ἐστὶν ὥσπερ ὁ Κρατῖνος οὔτε χαρίεις ὥσπερ ὁ Εὔπολις, ἀλλ' ἔχει καὶ πρὸς τοὺς ἁμαρτάνοντας τὸ σφοδρὸν τοῦ Κρατίνου καὶ τὸ τῆς ἐπιτρεχούσης χάριτος Εὐπόλιδος.

---

2. κατὰ τὰς Ἀρχιλόχου ζητήσεις] V. Hist. crit. p. 53. 4. τὸ φορτικὸν] V. Hist. crit. p. 223. 6. γυμνῇ τῇ κεφαλῇ] Theophyl. Histor. III 15 εἰς τὸν βασιλέα γυμνῇ τῇ κεφαλῇ ἐβλασφήμουν. Cfr. Clemens Alexand. Paed. II p. 82, 42 Sylb. 7. πολλῆς] Ita correxi Quaest. sc. I p. 20. Vulgo πολύς. 12. φαντασίαν] V. Hist. crit. p. 108. 17. σκώμματα] Ita scripsi pro σκέμματα Quaest. scen. I p. 39. Cfr. Hist. crit. p. 108.

Περὶ κωμῳδίας.

Τὴν κωμῳδίαν ηὑρῆσθαί φασιν ὑπὸ Σουσαρίωνος· τὴν δὲ ὀνομασίαν ἔχειν οἱ μὲν ὅτι ἐπὶ τὰς κώμας περιιόντες ᾖδον καὶ ἐπεδείκνυντο, μήπω πόλεων οὐσῶν, ἀλλ' ἐν κώμαις οἰκούντων τῶν ἀνθρώπων, οἱ δὲ ἀντιλέγοντές φασι μὴ κώμας καλεῖσθαι παρὰ Ἀθηναίοις, ἀλλὰ δήμους, καὶ κωμῳδίαν αὐτὴν καλοῦσιν, ἐπεὶ ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐκώμαζον.

Τὴν αὐτὴν δὲ καὶ τρυγῳδίαν φασὶ διὰ τὸ τοῖς εὐδοκιμοῦσιν ἐπὶ τῷ Ληναίῳ γλεῦκος δίδοσθαι, ὅπερ ἐκάλουν τρύγα, ἢ ὅτι μήπω προσωπείων ηὑρημένων τρυγὶ διαχρίοντες τὰ πρόσωπα ὑπεκρίνοντο. γεγόνασι δὲ μεταβολαὶ κωμῳδίας τρεῖς· καὶ ἡ μὲν ἀρχαία, ἡ δὲ νέα, ἡ δὲ μέση. οἱ μὲν οὖν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιηταὶ οὐχ ὑποθέσεως ἀληθοῦς, ἀλλὰ παιδείας εὐτραπέλου γινόμενοι ζηλωταὶ τοὺς ἀγῶνας ἐποίουν. καὶ φέρεται αὐτῶν πάντα τὰ δράματα τξέ σὺν τοῖς ψευδεπιγράφοις. τούτων δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος Μάγνης Κρατῖνος Κράτης Φερεκράτης Φρύνιχος Εὔπολις Ἀριστοφάνης.

Ἐπίχαρμος. οὗτος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διερριμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προσφιλοτεχνήσας. χρόνοις δὲ γέγονε κατὰ τὴν ογ' Ὀλυμπιάδα· τῇ δὲ ποιήσει γνωμικὸς καὶ εὑρετικὸς καὶ φιλότεχνος. σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα μ', ὧν ἀντιλέγονται δ'.

Μάγνης δὲ Ἀθηναῖος ἀγωνισάμενος Ἀθήνησι νίκας ἔσχεν ιά. τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ οὐδὲν σώζεται. τὰ δὲ ἐπιφερόμενά ἐστιν ἐννέα.

Κρατῖνος Ἀθηναῖος νικᾷ μετὰ τὴν πέ Ὀλυμπιάδα,

---

18. *Ἐπίχαρμος*] **Addidit Dindorfius.** 26. *μετὰ τὴν πέ*] **Fort.** *κατὰ τὴν πά.* **V. Hist. crit. p. 45.**

τελευτᾷ δὲ Λακεδαιμονίων εἰς τὴν Ἀττικὴν εἰσβαλόντων
XXIX τὸ πρῶτον, ὥς φησιν Ἀριστοφάνης,

ὡρακιάσας· οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο
ἰδεῖν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.

γέγονε δὲ ποιητικώτατος, κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα. φέρεται δὲ δράματα αὐτοῦ κά.

Κράτης Ἀθηναῖος. τοῦτον ὑποκριτήν φασι γεγονέναι τὸ πρῶτον, ὅς ἐπιβέβληκε Κρατίνῳ, πάνυ γελοῖος καὶ ἱλαρὸς γινόμενος, καὶ πρῶτος μεθύοντας ἐν κωμῳδίᾳ προήγαγε. τούτου δράματά ἐστιν ἑπτά.

Φερεκράτης Ἀθηναῖος νικᾷ ἐπὶ θεάτρου γινόμενος· ὁ δὲ ὑποκριτὴς ἐζήλωκε Κράτητα. καὶ αὖ τοῦ μὲν λοιδορεῖν ἀπέστη, πράγματα δὲ εἰσηγούμενος καινὰ ηὐδοκίμει, γενόμενος εὑρετικὸς μύθων.

Φρύνιχος Φράδμονος ἔθανεν ἐν Σικελίᾳ.

Εὔπολις Ἀθηναῖος ἐδίδαξεν ἐπὶ ἄρχοντος Ἀπολλοδώρου, ἐφ᾿ οὗ καὶ Φρύνιχος, γεγονὼς δυνατὸς τῇ λέξει καὶ ζηλῶν Κρατίνου, πολύ γε λοίδορον καὶ σκαιὸν ἐπιφαίνει. γέγραπται δὲ αὐτῷ δράματα ιδ΄.

Ἀρισταφάνης Φιλίππου Ἀθηναῖος, μακρολογώτατος Ἀθηναίων, καὶ εὐφυΐᾳ πάντας ὑπεραίρων, ζηλῶν δὲ Εὐριπίδην, τοῖς δὲ μέλεσι λεπτότερος. ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἐπὶ

---

2. Ἀριστοφάνης] Pac. 703. 10. προήγαγε] Fortasse παρήγαγε scribendum, quod solenne verbum est de inducendis personis. Vid. Athen. III p. 117 d. VI p. 230 b. VII p. 294 b. IX p 383 e. XIII p. 571 f. 572 c. XV p. 688 a et Diogenes Laert. II 28, ubi παρεισάγων scribebat Hermannus Praef. Nub. p. XXXVI. 11. ἐπὶ θεάτρου] V. Hist. crit. p. 66. 15. Φρύνιχος — Σικελίᾳ] Haec spectant ad Phrynichum tragicum, de quo obiter hoc loco egerat scriptor. De Phrynicho comico quae idem attulerat, exciderunt omnia. Hinc corrige Hist. crit. p. 146. 18. Dindorfius πολὺ τὸ λοίδορόν τε καὶ σκαιόν, fort. ex codd. 20. μακρολογώτατος] Bentleius coni. μακρῷ λογιώτατος. 22. πρῶτος] Bekk. πρῶτον.

ἄρχοντος Διοτίμου διὰ Καλλιστράτου. τὰς μὲν γὰρ πολι- XXX
τικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ. διὰ δὲ τοῦτο νομισθεὶς ἀγαθὸς ποιητὴς τοὺς λοιποὺς ἐπιγραφόμενος ἐνίκα. ἔπειτα τῷ υἱῷ ἐδίδου τὰ δράματα, ὄντα τὸν ἀριθμὸν νδ', ὧν νόθα δ'.

Τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας οἱ ποιηταὶ πλάσματος μὲν οὐχ ἥψαντο ποιητικοῦ, διὰ δὲ τῆς συνήθους ἰόντες λαλιᾶς λογικὰς ἔχουσι τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ' αὐτοῖς. κατασχολοῦνται δὲ πάντες περὶ τὰς ὑποθέσεις. τῆς μὲν οὖν μέσης κωμῳδίας εἰσὶ ποιηταὶ νζ', καὶ τούτων δράματα χιζ'. τούτων δέ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἀντιφάνης καὶ Ἄλεξις.

Ἀντιφάνης μὲν οὖν Στεφάνου Ἀθηναῖος· καὶ ἤρξατο διδάσκειν μετὰ τὴν ϟή Ὀλυμπιάδα. καί φασιν αὐτὸν γενέσθαι μὲν τῶν ἀπὸ Θεσσαλίας ἐκ Λαρίσσης, παρεγγραφῆναι δὲ εἰς τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν ὑπὸ Δημοσθένους. γενέσθαι δὲ λέγουσιν αὐτὸν εὐφυέστατον εἰς τὸ γράφειν καὶ δραματοποιεῖν. ἐτελεύτησε δὲ ἐν Χίῳ καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ εἰς τὰς Ἀθήνας μετηνέχθη. τῶν δὲ κωμῳδιῶν αὐτοῦ τινὰς καὶ ὁ Στέφανος ἐδίδαξεν. ἔστι δὲ αὐτοῦ δράματα σξ'. *)

Τῆς δὲ νέας κωμῳδίας γεγόνασι μὲν ποιηταὶ ξδ', ἀξιολογώτατοι δὲ τούτων Φιλήμων Μένανδρος Δίφιλος Φιλιππίδης Ποσείδιππος Ἀπολλόδωρος.

Φιλήμων μὲν οὖν Δάμωνος Συρακούσιος· μετέσχε δὲ

---

1. *Διοτίμου*] Ita Scaliger pro *Φιλοτίμου* ad Eusebium p. 128. 2. *τούτῳ*] Ita Petitus Misc. p. 2. Vulgo *τοῦτον*. 5. *νδ'*] Dindorfius *μδ'*. 6. *οἱ*] Vulgo *δύο*. Correxi Quaest. sc. II p. 4. 11. *χιζ'*] Fort. *ωιζ'*. V. Hist. crit. p. 271. 12. *Ἄλεξις*] Legebatur *Στέφανος*. Correxi Quaest. sc. II p. 51. Cfr. Hist. crit. p. 304. 18. *Χίῳ*] Fortasse *Κίῳ*. Cfr. Histor. crit. p. 304.

*) Exciderunt quae de Alexide scripserat auctor.

τῆς τῶν Ἀθηναίων πολιτείας. ἐδίδαξε δὲ πρὸ τῆς ριγ' Ὀλυμπιάδος. σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα.

Μένανδρος δὲ Διοπείθους υἱός, Ἀθηναῖος, λαμπρὸς καὶ βίῳ καὶ γένει, συνδιατρίψας δὲ τὰ πολλὰ Ἀλέξιδι ὑπὸ τούτου δοκεῖ παιδευθῆναι. ἐδίδαξε δὲ πρῶτος ἔφηβος ὢν ἐπὶ Διοκλέους ἄρχοντος. γέγονε δ' εὐφυέστατος πάνυ. γέ-
XXXI γραφε δὲ πάντα δράματα ρή. τελευτᾷ δὲ ἐν Ἀθήναις ἐτῶν ὑπάρχων νζ'.

Δίφιλος Σινωπεὺς κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐδίδαξε Μενάνδρῳ. τελευτᾷ δὲ ἐν Σμύρνῃ. δράματα δὲ αὐτοῦ ρ'. *)

Ἄλλως περὶ κωμῳδίας.

Τὸ παλαιὸν οἱ ἐν ταῖς κώμαις ἀδικούμενοι ὑπὸ τῶν πολιτῶν νυκτὸς ἀπήρχοντο παρὰ τὸν δῆμον ἐκεῖνον ἔνθα ὁ ἀδικήσας ἦν, καὶ ἔλεγον ὅτι ἔστι τὶς ἐνταῦθα ποιῶν εἰς τοὺς γεωργοὺς τάδε. καὶ τοῦτο ποιοῦντες ὑπεχώρουν λέγοντες καὶ τοὔνομα. μεθ' ἡμέραν δὲ ὁ δράσας ἐξητάζετο, καὶ οὕτω αἰσχυνάμενος ἀνεστέλλετο τοῦ ἀδικεῖν. ὁρῶντες οὖν οἱ πολῖται τοῦτο χρήσιμον τῇ πόλει καὶ ἀδικίας ἀποτρεπτικὸν ἐκέλευσαν τοὺς ἀδικουμένους ἐπὶ μέσης ἀγορᾶς τοὺς ἀδικήσαντας κωμῳδεῖν. οἱ δὲ δεδιότες αὐτοὺς ὥστε πλουσίους πηλῷ χρίοντες καὶ τρυγίᾳ ἐπὶ μέσης ἀγορᾶς τοὺς ἀδικοῦντας ἐκωμῴδουν. ἐπεὶ δὲ μεγάλα ἡ πόλις ὠφελεῖτο ἐκ τούτου, ποιητὰς ἔταξαν ἐπὶ τούτῳ, κωμῳδεῖν ὃν ἂν βούλωνται ἀκωλύτως. ἐπεὶ δὲ ἡ κακία προέκοπτεν, οἱ πλούσιοι καὶ οἱ ἄρχοντες μὴ βουλόμενοι κωμῳδεῖσθαι τοῦ μὲν φα-

---

6. πρῶτος] Bekkerus πρῶτον. 9. νζ'] Bekkerus νβ'.

*) Hic quoque exciderunt ea quae de Philippide Posidippo et Apollodoro auctor commentatus erat.

νερῶς κωμῳδεῖν ἐκώλυσαν, ἐκέλευσαν δὲ κρύφα, οἷον αἰνιγματωδῶς. εἶτα δὴ καὶ τοῦτο ἐκώλυσαν. καὶ πτωχοὺς ἔσκωπτον, εἰς δὲ πλουσίους καὶ ἐνδόξους οὔ. γέγονε δὲ τῆς μὲν πρώτης κωμῳδίας ἄριστος τεχνίτης οὗτος ὁ Ἀριστοφάνης καὶ Εὔπολις, τῆς δὲ δευτέρας Πλάτων, τῆς δὲ τρίτης Μένανδρος. κωμῳδία οὖν, ἢ ὅτι οἱ ἀπὸ κωμῶν συναγόμενοι ᾖδον ταῦτα, ἢ ὅτι ἐν καιρῷ κώματος ᾖδον· ἔστι δὲ ταύτην εἰπεῖν καὶ τραγῳδίαν, οἱονεὶ τρυγῳδίαν τινὰ οὖσαν, ὅτι XXXII
τρυγίᾳ χριόμενοι ἐκωμῴδουν. καὶ τῆς μὲν τραγῳδίας τὸ εἰς ἔλεον κινῆσαι τοὺς ἀκροατάς, τῆς δὲ κωμῳδίας τὸ εἰς γέλωτα. διό φασιν ἡ μὲν τραγῳδία λύει τὸν βίον, ἡ δὲ κωμῳδία συνίστησιν.

Ἄλλως περὶ κωμῳδίας.

Τῆς κωμῳδίας τὸ μέν ἐστιν ἀρχαῖον, τὸ δὲ νέον, τὸ δὲ μέσον. τῆς δὲ νέας διαφέρει ἡ παλαιὰ κωμῳδία χρόνῳ, διαλέκτῳ, ὕλῃ, μέτρῳ, διασκευῇ. χρόνῳ μὲν καθὸ ἡ μὲν νέα ἐπὶ Ἀλεξάνδρου ἡ δὲ παλαιὰ ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν εἶχε τὴν ἀκμήν. διαλέκτῳ δὲ καθὸ ἡ μὲν νέα τὸ σαφέστερον ἔχει, τῇ νέᾳ κεχρημένη Ἀτθίδι, ἡ δὲ παλαιὰ τὸ δεινὸν καὶ ὑψηλὸν τοῦ λέγειν, ἐνίοτε δὲ ἐπιτηδεύει καὶ λέξεις τινάς. ὕλῃ δὲ καθὸ ἡ μὲν νέα κατὰ τὸ πλεῖστον στρέφεται περὶ τὸ ἰαμβικὸν σπανίως δὲ μέτρον ἕτερον, ἐν δὲ τῇ παλαιᾷ πολυμετρία τὸ σπουδαζόμενον. διασκευῇ δὲ, ὅτι

---

5. *Πλάτων*] V. Hist. crit. p. 61. 14. *τὸ δὲ μέσον*] Haec delenda videntur. Apertum est ex sequentibus, qui haec commentatus est ex eorum fuisse numero grammaticorum qui in duas aetates atticae comoediae historiam dispescerent. 20. Supplendum videtur *ὕλῃ δὲ καθὸ ἡ μὲν νέα* [*οὐκ ἀληθεῖς ἔχει τὰς ὑποθέσεις, ἡ δὲ παλαιὰ ἀληθεῖς, μέτρῳ δὲ καθὸ η μὲν νέα*] *κατὰ τὸ πλεῖστον κτλ.*

ἐν μὲν τῇ νέᾳ χοροῦ οὐκ ἔδει ἐν ἐκείνῃ δὲ δεῖ. καὶ αὐτὴ δὲ ἡ παλαιὰ ἑαυτῆς διαφέρει. καὶ γὰρ οἱ ἐν Ἀττικῇ πρῶτον συστησάμενοι τὸ ἐπιτήδευμα τῆς κωμῳδίας (ἦσαν δὲ οἱ περὶ Σουσαρίωνα) καὶ τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως, καὶ μόνος ἦν γέλως τὸ κατασκευαζόμενον. ἐπιγενόμενος δὲ ὁ Κρατῖνος κατέστησε μὲν πρῶτον τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν, συστήσας τὴν ἀταξίαν καὶ τῷ χαρίεντι τῆς κωμῳδίας τὸ ὠφέλιμον προσέθηκε, τοὺς κακῶς πράττοντας διαβάλλων καὶ ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμῳδίᾳ κολάζων· ἀλλ᾽ ἔτι μὲν καὶ οὗτος τῆς ἀρχαιότητος μετεῖχε καὶ ἠρέμα πως τῆς ἀταξίας. ὁ μέντοι γε Ἀριστοφάνης μεθοδεύσας τεχνικώτερον τῆς μεθ᾽ ἑαυτοῦ τὴν κωμῳ-
XXXIII δίαν, ἐνέλαμψεν ἐν ἅπασιν, ἐπίσημος ὀφθεὶς οὕτω, καὶ οὕτω πᾶσαν κωμῳδίαν ἐμελέτησε. καὶ γὰρ τὸ τούτου δρᾶμα ὁ Πλοῦτος νεωτερίζει κατὰ τὸ πλάσμα. τήν τε γὰρ ὑπόθεσιν οὐκ ἀληθῆ ἔχει καὶ χορῶν ἐστέρηται· ὅπερ τῆς νέας ὑπῆρχε κωμῳδίας.

Ἄλλως περὶ κωμῳδίας.

Ὅτι ὁ γέλως τῆς κωμῳδίας ἔκ τε λέξεων καὶ πραγμάτων ἔχει τὴν σύστασιν. ἐκ μὲν τῆς λέξεως κατὰ τρόπους ἑπτά. πρῶτον καθ᾽ ὁμωνυμίαν, ὡς τὸ διαφορούμενος, οἷον τὸ μέτρον. δεύτερον καὶ κατὰ συνωνυμίαν, ὡς τὸ „Ἥκω δὲ καὶ κατέρχομαι“· ταὐτὸν γάρ ἐστιν. τρίτον κατὰ ἀδολεσχίαν, ὡς ὅταν τις τῷ αὐτῷ ὀνόματι χρήσηται. τέταρτον κατὰ περιωνυμίαν, ὅταν τῷ κυρίῳ ἔξωθέν τις ἅπτηται, ὡς τὸ „Μῶμαξ καλοῦμαι Μίδας.“ πέμπτον κατὰ ὑποκορισμόν,

---

4. *Σουσαρίωνα*] V. Quaest. scen. Spec. I p. 7 sive Hist. crit. p. 25. 23. Aristoph. Ran. 1157. 24. *περιωνυμίαν*] Fortasse *παρωνυμίαν*. 25. *Μίδας*] Fortasse *Μειδίας*.

ὡς τὸ „Σωκρατίδιον" „Εὐριπίδιον". ἕκτον κατὰ ἐξαλλαγήν, ὡς τὸ „Ὦ Βδεῦ δέσποτα" ἀντὶ τοῦ „ὦ Ζεῦ". ἕβδομον κατὰ σχῆμα λέξεως τούτῳ γίνεται ἡ φωνή, ἢ τοῖς ὁμογενέσιν. ἐκ δὲ τῶν πραγμάτων κατὰ τρόπους δύο. πρῶτον κατὰ ἀπάτην, ὡς Στρεψιάδης πεισθεὶς ἀληθεῖς εἶναι τοὺς περὶ ψυχῆς λόγους. δεύτερον κατὰ ὁμοίωσιν. ἡ δὲ ὁμοίωσις εἰς δύο τέμνεται, ἢ εἰς τὸ βέλτιον, ὡς ὁ Ξανθίας εἰς Ἡρακλέα, ἢ εἰς τὸ χεῖρον, ὡς ὁ Διόνυσος εἰς Ξανθίαν.

Ὁ χορὸς ὁ κωμικὸς εἰσήγετο ἐν τῇ ὀρχήστρᾳ, τῷ νῦν XXXIV
λεγομένῳ λογείῳ. καὶ ὅτε μὲν πρὸς τοὺς ὑποκριτὰς διελέγετο, πρὸς τὴν σκηνὴν ἀφεώρα, ὅτε δὲ ἀπελθόντων τῶν ὑποκριτῶν τοὺς ἀναπαίστους διεξῄει, πρὸς τὸν δῆμον ἀπεστρέφετο. καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή. ἦν δὲ τὰ ἰαμβεῖα τετράμετρα. εἶτα τὴν ἀντίστροφον προσᾴδοντες πάλιν τετράμετρα ἐπέλεγον ἴσων στίχων. ἦν δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖστον ις΄. ἐκαλεῖτο δὲ ταῦτα ἐπιρρήματα. ἡ δὲ ὅλη πάροδος τοῦ χοροῦ ἐκαλεῖτο παράβασις. Ἀριστοφάνης ἐν Ἱππεῦσιν „Εἰ μέν τις ἀνὴρ τῶν ἀρχαίων κωμῳδοδιδάσκαλος ἡμᾶς ἠνάγκασεν ἐπὶ τὸ μέτρον παραβῆναι."

Τῶν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν ὀνόματα καὶ δράματα.

Θεοπόμπου δράματα ιζ΄. Στράττιδος δράματα ις΄. Φερεκράτους δράματα ιή. Κράτητος δράματα ή. Πλάτωνος δράματα κή. Τηλεκλείδου δράματα ς΄. Φρυνίχου δράματα ί.

Ὅτι κατὰ τρόπους δέκα διαφέρει τὸ ἑλληνίζειν τοῦ ἀττικίζειν, κατὰ ἀναλογίαν, παρὰ τὴν ἐτυμολογίαν, παρὰ τὰ

---

2. Βδεῦ] V. Dindorfius ad Lysistr. 940. 6. ψυχῆς] Dindorfius ψύλλης, fort. ex codd. 17. ἴσων στίχων] Bekkerus εἷς ὢν στίχος. 19. Aristoph. Equ. 507.

σχήματα, παρὰ τὸν σχηματισμὸν τῶν ὀνομάτων, παρὰ τὴν ἀλληγορίαν, παρὰ τοὺς ἀριθμούς, παρὰ τὰ γένη, παρὰ τὰ πνεύματα, παρὰ τοὺς χρόνους, παρὰ τοὺς τόνους. παρὰ μὲν τὴν ἀναλογίαν καὶ ἐτυμολογίαν, ὅτι οἱ μὲν ἑλληνίζοντες τούτοις μάλιστα χρῶνται, οἱ δὲ ἀττικίζοντες οὐδ' ὅλως. παρὰ τὰ σχήματα, ἐπεὶ πάλιν ἔθος τοῖς Ἀττικοῖς
XXXV χρῆσθαι σχήμασι, τοῖς δὲ ἑλληνίζουσιν οὐκ ἔτι. παρὰ δὲ τὸν σχηματισμὸν, ἐπειδὴ κατὰ πολλοὺς χρόνους ἐκ τῆς Ἑλληνικῆς συνηθείας μετασχηματίζεται τὰ ὀνόματα. παρὰ δὲ τοὺς χρόνους, ὅτι συστελλόντων τινὰ τῶν ἑλληνιζόντων αὐτοὶ ἐκτείνουσι μᾶλλον ἢ συστέλλουσι. παρὰ δὲ τὰ πνεύματα, ἐπεὶ δασύνουσιν ἔνια ψιλούντων ἢ ψιλοῦσι δασυνόντων. παρὰ δὲ τὰ γένη, ἐπειδὴ θηλυκῶς τινα λεγόντων ἢ οὐδετέρως, αὐτοὶ προφέρονται ἢ ἀνάπαλιν ἀρσενικῶς ἢ οὐδετέρως ἐκφέρουσι. παρὰ τοὺς ἀριθμοὺς, ἐπειδὴ ἑνικῶς τινα λεγόντων πληθυντικῶς λέγουσιν ἢ καὶ ἀνάπαλιν.

Ἀριστοφάνους βίος.

Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς πατρὸς μὲν ἦν Φιλίππου, τὸ δὲ γένος Ἀθηναῖος, τὸν δῆμον Κυδαθηναιεύς, Πανδιονίδος φυλῆς· ὃς πρῶτος δοκεῖ τὴν κωμῳδίαν ἔτι πλανωμένην τῇ ἀρχαίᾳ ἀγωγῇ ἐπὶ τὸ χρησιμώτερον καὶ σεμνότερον μεταγαγεῖν, πικρότερον καὶ αἰσχρότερον Κρατίνου καὶ Εὐπόλιδος βλασφημούντων ἢ ἔδει. πρῶτος δὲ καὶ τῆς νέας κωμῳδίας τὸν τρόπον ἐπέδειξεν ἐν τῷ Κωκάλῳ, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν λαβόμενοι Μένανδρός τε καὶ Φιλήμων ἐδραματούργησαν. εὐλαβὴς δὲ σφόδρα γενόμενος τὴν ἀρχὴν ἄλλως τε εὐφυὴς τὰ μὲν πρῶτα διὰ Καλλιστράτου καὶ Φιλωνίδου καθίει δράματα. διὸ καὶ ἔσκωπτον αὐτὸν Ἀριστώνυμός τε καὶ Ἀμειψίας, τετράδι λέγοντες αὐτὸν γεγονέναι, κατὰ

27. τε] Dindorfius δέ.

τὴν παροιμίαν, ὡς ἄλλοις πονοῦντα. ὕστερον δὲ καὶ αὐτὸς ἠγωνίσατο. διεχθρεύσας δὲ μάλιστα Κλέωνι τῷ δημαγωγῷ καὶ γράψας κατ' αὐτοῦ τοὺς Ἱππέας, ἐν οἷς διελέγχει αὐτοῦ τὰς κλοπὰς καὶ τὸ τυραννικὸν, οὐδενὸς δὲ τῶν σκευο- XXXVI
ποιῶν τολμήσαντος τὸ πρόσωπον αὐτοῦ σκευάσαι δι' ὑπερβολὴν φόβου, ἅτε δὴ τυραννικοῦ ὄντος, μηδὲ μὴν ὑποκρίνεσθαί τινος τολμῶντος, δι' ἑαυτοῦ Ἀριστοφάνης ὑπεκρίνατο, αὐτοῦ τὸ πρόσωπον μίλτῳ χρίσας, καὶ αἴτιος αὐτῷ γέγονε ζημίας πέντε ταλάντων, ἃ ὑπὸ τῶν Ἱππέων κατεδικάσθη, ὥς φησιν ἐν Ἀχαρνεῦσιν

Ἐγᾦδ' ἐφ' ᾧ γε τὸ κέαρ ηὐφράνθην ἰδών,
τοῖς πέντε ταλάντοις οἷς Κλέων ἐξήμεσεν.

διήχθρευσε δὲ αὐτῷ ὁ Ἀριστοφάνης, ἐπειδὴ ξενίας γραφὴν κατ' αὐτοῦ ἔθετο, καὶ ὅτι ἐν δράματι αὐτοῦ Βαβυλωνίοις διέβαλε τῶν Ἀθηναίων τὰς κληρωτὰς ἀρχὰς παρόντων ξένων. ὡς ξένον δὲ αὐτὸν ἔλεγε παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δὲ Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς αὐτόθι ποιεῖσθαι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε. κατά τινας δὲ, ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης. ἀπολυθῆναι δὲ αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ Ὁμήρου ταῦτα

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

δεύτερον δὲ καὶ τρίτον συκοφαντηθεὶς ἀπέφυγε, καὶ οὕτω φανερὸς κατασταθεὶς πολίτης κατεκράτησε τοῦ Κλέωνος. ὅθεν φησὶν „Αὐτὸς δ' ἐμαυτὸν ὑπὸ Κλέωνος ἅττ' ἔπαθον ἐπίσταμαι δή" καὶ τὰ ἑξῆς. φασὶ δὲ αὐτὸν εὐδοκιμῆσαι συκοφάντας καταλύσαντα· οὓς ὠνόμασεν ἠπιάλους XXXVII
ἐν Σφηξίν, ἐν οἷς φησιν „Οἳ τοὺς πατέρας αὐτῶν ἦγχον

---

10. Ἀχαρνεῦσιν] Vs. 5. 21. Ὁμήρου] Odyss. I 215. 26. φησὶν] Acharn. 377. 29. Σφηξίν] Vs. 1039.

νύκτωρ, καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον." μάλιστα δὲ ἐπῃνέθη καὶ ἠγαπήθη ὑπὸ τῶν πολιτῶν· ἐπειδὴ δὲ διὰ τῶν ἑαυτοῦ δραμάτων ἐσπούδασε δεῖξαι τὴν τῶν Ἀθηναίων πολιτείαν ὡς ἐλευθέρα τέ ἐστι καὶ ὑπ' οὐδενὸς τυράννου δουλαγωγουμένη, ἀλλ' ὅτι δημοκρατία ἐστὶ καὶ ἐλεύθερος ὢν ὁ δῆμος ἄρχει ἑαυτοῦ. τούτου χάριν ἐπῃνέθη καὶ ἐστεφανώθη θαλλῷ τῆς ἱερᾶς ἐλαίας, ὃς νενόμισται ἰσότιμος χρυσῷ στεφάνῳ, εἰπὼν ἐκεῖνα ἐν τοῖς Βατράχοις περὶ τῶν ἀτίμων „Τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιον πολλὰ χρηστὰ τῇ πόλει συμπαραινεῖν."

Ὠνομάσθη δὲ ἀπ' αὐτοῦ, ἐπειδὴ ἔνδοξον, τὸ μέτρον τὸ Ἀριστοφάνειον. οὕτω δὲ γέγονεν ἡ φήμη τοῦ ποιητοῦ ὡς καὶ παρὰ Πέρσαις διήκειν καὶ τὸν βασιλέα Περσῶν πυνθάνεσθαι παρ' ὁποτέροις εἴη ὁ κωμῳδοποιός. φασὶ δὲ καὶ Πλάτωνα Διονυσίῳ τῷ τυράννῳ βουληθέντι μαθεῖν τὴν Ἀθηναίων πολιτείαν πέμψαι τὴν Ἀριστοφάνους ποίησιν [τὴν κατὰ Σωκράτους ἐν Νεφέλαις κατηγορίαν] καὶ συμβουλεῦσαι τὰ δράματα αὐτοῦ ἀσκηθέντα μαθεῖν αὐτῶν τὴν πολιτείαν. ἐγένετο δὲ καὶ αἴτιος ζήλου τοῖς νέοις κωμικοῖς, λέγω δὲ Φιλήμονι καὶ Μενάνδρῳ. ψηφίσματος γὰρ γενομένου χορηγοῦ ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν τινα, καὶ τῶν χορηγῶν οὐκ ἀντεχόντων πρὸς τὸ χορηγεῖν, καὶ παντάπασιν ἐκλελοιπυίας τῆς ὕλης τῶν κωμῳδιῶν διὰ τούτων αὐτῶν, αἴτιον γὰρ κωμῳδίας τὸ σκώπτειν τινάς, ἔγραψε [κωμῳδίας τινὰς] Κώκαλον, ἐν ᾧ εἰσάγει φθορὰν καὶ ἀνα-
XXXVIII γνωρισμὸν καὶ τἄλλα πάντα ἃ ἐζήλωσε Μένανδρος. πάλιν δὲ ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν τὸν Πλοῦτον γράψας εἰς

---

5. ἀλλ' ὅτι Dindorfius. Vulgo ἀλλ' οὐδὲ ὅτι. 9. Βατράχοις] Vs. 686. 13. παρὰ Πέρσαις] Cfr. Acharn. 646. 17. τὴν — κατηγορίαν] Inclusit Bekkerus. 21. χορηγοῦ] Fort. χορηγικοῦ. 25. κωμῳδίας τινὰς] Delevit Dindorfius.

τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι, ἐπιγράφει χοροῦ, φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις ἃ καὶ ὁρῶμεν τοὺς νέους ἐπιγράφοντας οὕτω ζήλῳ Ἀριστοφάνους. ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι συνέστησε τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον, παῖδας καταλιπὼν τρεῖς, Φίλιππον ὁμώνυμον τῷ πάππῳ καὶ Νικόστρατον καὶ Ἀραρότα, δι' οὗ καὶ ἐδίδαξε τὸν Πλοῦτον.

Τινὲς δὲ δύο φασί, Φίλιππον καὶ Ἀραρότα, ὧν καὶ αὐτὸς ἐμνήσθη

Τὴν γυναῖκα δὲ
αἰσχύνομαι τώ τ' οὐ φρονοῦντε παιδίω,

ἴσως αὐτοὺς λέγων.

Ἔγραψε δὲ δράματα μδ', ὧν ἀντιλέγεται τέσσαρα ὡς οὐκ ὄντα αὐτοῦ. ἔστι δὲ ταῦτα, Ποίησις Ναυαγὸς Νῆσοι Νίοβις, ἅ τινες ἔφασαν εἶνει τοῦ Ἀρχίππου.

Ὁ κωμικὸς χορὸς συνέστηκεν ἐξ ἀνδρῶν κδ'. καὶ εἰ μὲν ὡς ἀπὸ τῆς πόλεως ἤρχετο ἐπὶ τὸ θέατρον, διὰ τῆς ἀριστερᾶς ἁψῖδος εἰσῄει, εἰ δὲ ὡς ἀπὸ ἀγροῦ, διὰ τῆς δεξιᾶς, ἐν τετραγώνῳ σχήματι, ἀφορῶν εἰς τοὺς ὑποκριτάς. ἀναχωρούντων δὲ τῶν ὑποκριτῶν ἑπτάκις ἐστρέφετο ὁ χορός, προσέχων ἐφ' ἑκάτερα μέρη τοῦ θεάτρου. ἐκαλεῖτο δὲ τῷ γένει τὸ τοιοῦτον ὄνομα τῆς ὀρχήσεως παράβασις, ὁμωνύμως τῷ γένει. τὸ τρίτον μακρόν, τὸ καὶ πνῖγος. τέταρτον στροφὴ ἢ ᾠδή. τὸ πέμπτον ἐπίρρημα. τὸ ἕκτον ἀντίστροφος ἢ ἀντῳδή. τὸ ἕβδομον ἀντεπίρρημα.

Ὑποκριταὶ Ἀριστοφάνους Καλλίστρατος καὶ Φιλωνί- XXXIX
δης, δι' ὧν ἐδίδασκε τὰ δράματα ἑαυτοῦ, διὰ μὲν Φιλωνίδου τὰ δημοτικά, διὰ δὲ Καλλιστράτου τὰ ἰδιωτικά.

---

2. χοροῦ] V. Hist. cr. p. 441. 14. Ποίησις Ναυαγὸς] Bentl. Πόλεις Δὶς ναυαγός. 22. ὄνομα] Ven. ὄρχημα, unde Dindorfius coni. σχῆμα.

Πόσα μέρη κωμῳδίας. α΄. πρόλογος τὸ μέχρι τῆς εἰσόδου τοῦ χοροῦ μέρος. β΄. χορικὸν τὸ τοῦ χοροῦ διδόμενον μέλος. γ΄. ἐπεισόδιον τὸ μεταξὺ δύο χορικῶν μελῶν. δ΄. ἔξοδος τὸ ἐπὶ τέλει λεγόμενον τοῦ χοροῦ. εἴρηται δὲ καὶ πόσα μέρη παραβάσεως τοῦ χορικοῦ.

Θωμᾶ τοῦ Μαγίστρου.

Ἀριστοφάνης ὁ κωμῳδοποιὸς γένει μὲν ἦν Ἀθηναῖος, πατρὸς δὲ Φιλίππου, τὸν δῆμον Κυδαθηναιεύς, Πανδιονίδος φυλῆς. πάνυ δὲ ὢν εὐφυὴς καὶ ἀγχίνους ἐπὶ τοσοῦτον ἐν νέᾳ κομιδῇ τῇ ἡλικίᾳ ηὐδοκίμησεν ἐν κωμῳδίαις ὡς οὐ μόνον τοὺς κατ᾽ αὐτόν, ἀλλὰ καὶ τοὺς πρὸ αὐτοῦ ὑπερᾶραι· μᾶλλον δὲ οὐδὲ τοῖς ἐπιγιγνομένοις παρῆκεν ὑπερβολήν, ἀλλὰ καὶ τούτους μετὰ πολλοῦ τοῦ περιόντος παρῆλθεν. οὔκουν ἀνεφάνη τις ὕστερον Ἀριστοφάνει παραπλήσιος. διὰ τοῦτο καὶ παρὰ τοῖς βασκάνοις αὐτοῖς ἀξιοῦται θαύματος. δράματα δὲ τέσσαρα πρὸς τοῖς πεντήκοντα γέγραφεν, ἅπαντα εὐμουσίας καὶ χάριτος Ἀττικῆς μεστά, καὶ πείθοντα τοὺς ἀκούοντας θαυμάζειν τε καὶ κροτεῖν. οὕτω δὲ τοῦ τῆς πολιτείας συμφέροντος ἐποιεῖτο λόγον, ὡς μηδένα τῶν ἐπὶ τῆς λαμπρᾶς τύχης οὐδέποτε ἀποσχέσθαι τοῦ σκώπτειν, εἰ ἀδικοῦντος ᾔσθετο· ὅθεν τὴν παρρησίαν αὐτοῦ δεδιότες οἱ τοιοῦτοι μετρίους σφᾶς αὐτοὺς παρεῖχον ἀεὶ καὶ τῷ δήμῳ λυσιτελοῦντας. ἔσχε δὲ τρεῖς υἱούς, Φίλιππον Νικόστρατον καὶ Ἀραρότα. ἀποθανόντα δὲ οὕτω Πλάτων ἐτίμησεν ἐν ἐπιγράμματι ἡρωελεγείῳ

Αἱ Χάριτες τέμενός τι λαβεῖν ὅπερ οὐχὶ πεσεῖται
ζητοῦσαι ψυχὴν εὗρον Ἀριστοφάνους.

Ἰστέον ὅτι κωμῳδία ἐκλήθη ἀπὸ τοῦ ἐν κώμαις ᾄδεσθαι τὰς κωμῳδίας (κώμας δὲ ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τοὺς στενωπούς) ἢ ἀπὸ τοῦ ἐν ταῖς κωμάσεσι τοῦ Διονύσου πρω-

τον ἐπινοηθῆναι ταυτασί, ἢ παρὰ τὸ κῶμα, ὁ ὕπνος. φασὶ γὰρ ὡς πρὸ τοῦ εὑρεθῆναι τοὺς κωμικοὺς ποιητὰς ἀδικούμενοί τινες ὑπό τινων ἀφανῶς ἤρχοντο ἐν νυκτὶ ἐπὶ τοὺς τῶν ἀδικούντων στενωποὺς, βοῶντες, ὁ δεῖνα ἀδικίᾳ χαίρει καὶ τὰ καὶ τὰ πράττει, θεῶν ὄντων καὶ νόμων καὶ τούτων λεγομένων οἱ συνειδότες ἑαυτοῖς ταῦτα, σώφρονες ἐγίνοντο τοῦ λοιποῦ. ἐπεὶ οὖν ἄριστα τοῦτο ἔχον ἐδόκει καὶ τῇ πολιτείᾳ συνοῖσον, ἅτε τῆς μὲν ἀδικίας ἐντεῦθεν παντάπασιν ἀναιρουμένης, δικαιοσύνης δὲ ἀντεισαγομένης καὶ τρόπων χρηστῶν, ἐτάχθησαν ἐπὶ τοῦτο οἱ κωμικοὶ ποιηταί, ἐν μέρει παιδιᾶς σκώμματά τε τῶν ἀδικούντων καὶ διδαχὴν ὧν προσῆκεν ἐργαζόμενοι. ᾔδοντο δὲ κωμῳδίαι ἐν τοῖς Διονυσιακοῖς ἔαρος ὥρᾳ.

EXCERPTA EX SUIDAE LEXICO.

Ἄινικος, Ἀθηναῖος, κωμικός. ἔστι δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. δρᾶμα αὐτοῦ Ἄντεια.

Ἄλεξις, Θούριος, ἥτις πρότερον Σύβαρις ἐκαλεῖτο, κωμικός. ἐδίδαξε δράματα σμέ. γέγονε δὲ πάτρως Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ. ἔσχε δὲ υἱὸν Στέφανον καὶ αὐτὸν κωμικόν.

Ἀλκαῖος, Μιτυληναῖος εἶτα Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας πέμπτος, υἱὸς δὲ Μίκκου. ἔγραψε δράματα δέκα.

Ἀλκιμένης, Μεγαρεύς, τραγικός. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ἀλκιμένης Ἀθηναῖος κωμικός.

Ἀναξανδρίδης, Ἀναξάνδρου, Ῥόδιος ἐκ Καμείρου, γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος Ὀλυμπιάδι ἑκατοστῇ πρώτῃ κατὰ δέ τινας, Κολοφώνιος. ἔγραψε δὲ δράματα ἑξήκοντα πέντε· ἐνίκησε δὲ ί. καὶ πρῶτος οὗτος ἔρωτας καὶ παρθένων φθορὰς εἰσήγαγεν.

Ἀνάξιππος, κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας, ἤκμασεν ἐπὶ Ἀντιγόνου καὶ Δημητρίου τοῦ Πολιορκητοῦ.

Ἀντιφάνης, Ἀθηναῖος, κωμικός, νεώτερος τοῦ Παναιτίου. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Ἀντιφάνης, Καρύστιος, Τρανὸς κατὰ Θέσπιν γεγονὼς τοῖς χρόνοις. καὶ Ἀντιφάνειος κωμῳδία, τοῦ Ἀντιφάνους.

Ἀντιφάνης, Δημοφάνους, οἱ δὲ Στεφάνου καὶ μητρὸς Οἰνόης, Κιανός· ὡς δέ τινες, Σμυρναῖος· κατὰ δὲ Διονύσιον, Ῥόδιος. κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας, ἀπὸ δούλων, ὥς τινες. γέγονε δὲ κατὰ τὴν ἐννενηκοστὴν τρίτην Ὀλυμπιάδα, καὶ ἔγραψε κωμῳδίας τξέ. οἱ δὲ σπ΄. νίκας δὲ εἶλε ιγ΄. παῖδά τε ἔσχε Στέφανον, καὶ αὐτὸν κωμικόν. τελευτᾷ δὲ ἐν Κίῳ οδ΄ ἐτῶν ὑπάρχων, κατά τινα τύχην ἀπίῳ βληθείς.

Ἀπολλόδωρος, Ἀθηναῖος, κωμικός. ἐποίησε δράματα μζ΄, ἐνίκησε έ.

Ἀπολλόδωρος, Γελῷος, κωμικός. σύγχρονος τοῦ κωμικοῦ Μενάνδρου· δράματα αὐτοῦ Ἀποκαρτερῶν ἢ Φιλάδελφοι, Δευσοποιός, Ἱέρεια, Γραμματόδειπνος, Ψευδαίας, Σίσυφος, Αἰσχρίων.

Ἀπολλοφάνης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος. δράματα αὐτοῦ Δάλις, Ἰφιγέρων, Κρῆτες, Δανάη, Κένταυροι.

Ἀραρώς, Ἀθηναῖος, υἱὸς Ἀριστοφάνους τοῦ κωμικοῦ, καὶ αὐτὸς κωμικός, διδάξας τὸ πρῶτον Ὀλυμπιάδι ρά. ἔστι δὲ τῶν δραμάτων αὐτοῦ Καινεύς, Καμπυλίων, Πανὸς γοναί, Ὑμέναιος, Ἄδωνις, Παρθενίδιον.

Ἀριστομένης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, οἳ ἦσαν ἐπὶ τῶν Πελοποννησιακῶν. Ὀλυμπιάδων πζ΄. ἐπεκλήθη Θυροποιός.

Ἀριστοφάνης, Ῥόδιος, ἤτοι Λίνδιος· οἱ δὲ Αἰγύπτιον ἔφασαν, οἱ δὲ Καμιρέα· θέσει δὲ Ἀθηναῖος. ἐπολιτογραφήθη γὰρ παρ᾽ αὐτοῖς· κωμικός, υἱὸς Φιλίππου,

γεγονὼς ἐν τοῖς ἀγῶσι κατὰ τὴν ριδ' Ὀλυμπιάδα, εὑρετὴς τοῦ τετραμέτρου καὶ ὀκταμέτρου· παῖδας σχὼν Ἀραρότα, Φίλιππον, Φιλέταιρον, κωμικούς. τινὲς δὲ αὐτὸν καὶ ἀπόδουλον ἱστορήκασι. δράματα δὲ αὐτοῦ νδ'. ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα ταῦτα· Ἀχαρνεῖς, Βάτραχοι, Εἰρήνη, Ἐκκλησιάζουσαι, Θεσμοφοριάζουσαι, Ἱππεῖς, Λυσιστράτη, Νεφέλαι, Ὄρνιθες, Πλοῦτος, Σφῆκες.

Ἀριστώνυμος. V. Hist. crit. p. 198.

Ἀρχέδικος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Θησαυρὸς καὶ Διαμαρτάνων, ὡς Ἀθήναιός φησιν ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς.

Ἀρχέδικος, κωμῳδιογράφος, ὃς κατὰ Δημοχάρους ἔγραψε τοῦ ἀνεψιοῦ Δημοσθένους.

Αὐγέας, Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Ἄγροικος, Πορφύρα, Δὶς κατηγορούμενος· ἔστι δὲ τῆς μέσης κωμῳδίας.

Αὐτοκράτης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Τυμπανισταί. ἔγραψε καὶ τραγῳδίας πολλάς.

Δαμόξενος, Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ Σύντροφοι, ὡς Ἀθήναιος λέγει ἐν τρίτῳ Δειπνοσοφιστῶν. καὶ Ἑαυτὸν πενθῶν, ὡς πάλιν ὁ αὐτὸς ἐν τῷ ἑνδεκάτῳ.

Δεξικράτης. αὗτος Ἀθηναῖος κωμικός. δράματα αὐτοῦ εἰσιν, Ὑφ' ἑαυτῶν πλανώμενοι, ὡς Ἀθήναιός φησι ἐν τρίτῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν.

Διόδωρος, καὶ αὐτὸς κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Αὐλητρίς, ὡς Ἀθήναιος ἐν τῷ δεκάτῳ τῶν Δειπνοσοφιστων λέγει. ἐν δὲ τῷ ιβ' φησίν, ὅτι Ἐπίκληρος καὶ Πανηγυρισταί.

Διοκλῆς, Ἀθηναῖος ἢ Φλιάσιος, ἀρχαῖος κωμικός, σύγχρονος Σαννυρίωνι καὶ Φιλλυλίῳ. δράματα αὐτοῦ, Θά-

λαττα, Μέλιτται, Ὄνειροι, Βάκχαι, Θυέστης β'. τοῦτον δέ φασιν εὑρεῖν καὶ τὴν ἐν τοῖς ὀξυβάφοις ἁρμονίαν, ἐν ὀστρακίνοις ἀγγείοις, ἅπερ ἔκρουεν ἐν ξυλυφίῳ. τὸ δὲ Θάλαττα ἑταίρας ὄνομά ἐστιν, ὡς Ἀθήναιός φησιν.

Διώξιππος, Ἀθηναῖος, κωμικός. δράματα αὐτοῦ Ἀντιπορνοβοσκός, Φιλάργυρος, Ἱστοριογράφος, Διαδικαζόμενοι.

Ἐπίλυκος, κωμικὸς ποιητής. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κωραλίσκος, ὡς Ἀθήναιος.

Ἐπίνικος, καὶ αὐτὸς κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ὑποβαλλόμεναι, ὡς Ἀθήναιος.

Ἔριφος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Αἴολος, Πελταστής, Μελίβοια, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τῷ ιδ' τῶν Δειπνοσοφιστῶν.

Ἕρμιππος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ἑτερόφθαλμος, ἀδελφὸς δὲ Μυρτίλου τοῦ κωμικοῦ, δράματα διδάξας μ'.

Ἔφιππος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας.

Εὔβουλος, Κήττιος, Ἀθηναῖος, υἱὸς Εὐφράνορος, κωμικός, ἐδίδαξε δράματα ρδ'. ἦν δὲ κατὰ ρά Ὀλυμπιάδα, μεθόριος τῆς μέσης κωμῳδίας καὶ τῆς παλαιᾶς.

Εὐθυκλῆς. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἄσωτοι ἢ Ἐπιστολή, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς.

Εὔπολις, Σωσίπολις, Ἀθηναῖος, κωμικός, καὶ οὗτος ιζ' ἐτῶν γεγονὼς ἤρξατο ἐπιδείκνυσθαι καὶ ἐδίδαξε δράματα ιζ'. ἐνίκησε δὲ ζ'. καὶ ἀπέθανε ναυαγήσας κατὰ τὸν Ἑλλήσποντον ἐν τῷ πρὸς Λακεδαιμονίους πολέμῳ. καὶ ἐκ τούτου ἐκωλύθη στρατεύεσθαι ποιητήν. τὰ δὲ δράματα αὐτοῦ Αἶγες, Ἀστράτευτοι ἢ Ἀνδρόγυνοι, καὶ ἄλλα.

Εὔφρων, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Αἰσχρά, Μοῦσαι, Συνέφηβοι, Θεωροί, ὡς Ἀθήναιος γράφει ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς.

Ἡγήσιππος. οὗτός ἐστιν ὁ Κρώβυλος ἐπικαλούμενος, οὗ δοκεῖ εἶναι ὁ ζ' Φιλιππικός, Δημοσθένει ἐπιγραφόμενος. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φιλέταιρος, ὡς Ἀθήναιος.

Ἡνίοχος, Ἀθηναῖος. κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. ἔστι τῶν δραμάτων αὐτοῦ τάδε· Τροχίλος, Ἐπίκληρος, Γοργόνες, Πολυπράγμων, Θωρύκιον, Πολύευκτος, Φιλέταιρος, Δὶς ἐξαπατώμενος.

Θεόγνητος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φάσμα ἢ Φιλάργυρος, Φιλοδέσποτος, Κένταυρος. ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.

Θεόπομπος, Θεοδέκτου ἢ Θεοδώρου, Ἀθηναῖος, κωμικός, ἐδίδαξε δράματα κδ'. ἔστι δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας κατὰ Ἀριστοφάνην. δράματα δὲ αὐτοῦ εἰσι καὶ ἄλλα πολλά. Ὅτι Ἀσκληπιὸς καὶ τῶν ἐν παιδείᾳ ἦν προμηθής. φθόῃ γοῦν Θεόπομπον ῥινούμενόν τε καὶ λειβόμενον ἰάσατο, καὶ κωμῳδίας αὖθις διδάσκειν ἐπῆρεν, ὁλόκληρόν τε καὶ σῶν καὶ ἀρτεμῆ ἐργασάμενος. καὶ δείκνυται καὶ νῦν ὑπὸ λίθῳ Θεοπόμπου (πατρόθεν ὁμολογοῦντος αὐτὸν τοῦ ἐπιγράμματος. Τισαμενοῦ γὰρ ἦν υἱός) εἴδωλον Παρίας λίθου. καὶ ἔστι τὸ ἴνδαλμα τοῦ πάθους μάλα ἐναργές. κλίνη καὶ αὐτὴ λίθου. ἐπ' αὐτῆς κεῖται νοσοῦν τὸ ἐκείνου φάσμα, χειρουργίᾳ φιλοτέχνῳ· παρέστηκε δὲ ὁ Θεὸς καὶ ὀρέγει οἱ τὴν παιώνιον χεῖρα, καὶ παῖς νεαρὸς ὑπομειδιῶν καὶ οὗτος. τί δὲ ἄρα νοεῖ ὁ παῖς; ἐγὼ συνίημι τοῦτο, φιλοπαίστην ποιητὴν ὑποδηλοῦν· γελᾷ γὰρ καὶ τῆς κωμῳδίας τὸ ἴδιον διὰ συμβόλων αἰνίττεται· εἰ δὲ ἄλλος νοεῖ ἑτέρως, κρατείτω τῆς ἑαυτοῦ γνώμης· ἐμὲ δὲ μὴ ἐνοχλείτω.

Θεόφιλος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἰατρός, Ἐπίδαυρος, Παγκράτεια, Βοιωτία, Προιτίδες, Νεοπτόλεμος.

Ἵππαρχος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. δράματα αὐτοῦ περὶ γάμων.

Καλλίας, Ἀθηναῖος, κωμικός, υἱὸς Λυσιμάχου. ὃς ἐπεκλήθη Σχοινίων διὰ τὸ σχοινοπλόκου εἶναι πατρός. οὗ δράματα, Αἰγύπτιος, Ἀταλάντη, Κύκλωπες, Πεδῆται, Βάτραχοι, Σχολάζοντες.

Κάνθαρος, Ἀθηναῖος, κωμικός. μνημονεύεται τούτου δράματα, Μήδεια, Τηρεύς, Συμμαχίαι, Μύρμηκες, Ἀηδόνες.

Κηφισόδωρος, Ἀθηναῖος, τραγικὸς τῆς ἀρχαίας τραγῳδίας. ἔστιν αὐτοῦ τῶν δραμάτων, Ἀντιλαΐς, Ἀμαζόνες, Τροφώνιος, Ὗς.

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικός. οὗ ἦν ἀδελφὸς Ἐπίλυκος, ποιητὴς ἐπῶν· δράματα αὐτοῦ εἰσιν ζ. Γείτονες, Ἥρωες, Θηρία, Λάμια, Πεδῆται, Σάμιοι. ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά.

Κράτης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἕτερος, καὶ αὐτὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας· φέρεται αὐτοῦ δράματα τρία, Θησαυρός, Ὄρνιθες, Φιλάργυρος.

Κρατῖνος, Καλλιμήδους, Ἀθηναῖος, κωμικός, λαμπρὸς τὸν χαρακτῆρα· φιλοπότης δὲ καὶ παιδικῶν ἡττημένος. ἦν δὲ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. ἔγραψε δὲ δράματα κά. ἐνίκησε δὲ θ'.

Λύκις. λέγεται καὶ Λύκος. οὗτος κωμῳδεῖται ὡς ψυχρὸς ποιητής. Ἀριστοφάνης·

Τί δῆτ' ἔδει με ταῦτα τὰ σκεύη φέρειν,
εἴπερ ποιήσω μηδέν, ὧνπερ Φρύνιχος
εἴωθε ποιεῖν καὶ Λύκος κ' Ἀμειψίας,
σκευοφοροῦσ' ἑκάστοτ' ἐν κωμῳδίᾳ.

Οὗτοι οὖν οἱ τρεῖς κωμικοὶ ὑπόψυχροι. ὁ δὲ Φρύνιχος παρ' ἕκαστα ἐφορτικεύετο. κωμῳδεῖται δὲ καὶ ὡς ξένος ἐπὶ φαυλότητι ποιημάτων, καὶ ως ἀλλότρια λέγων καὶ ὡς κακόμετρα. ἐγένοντο δὲ καὶ ἄλλοι τρεῖς Φρύνιχοι.

Μάγνης, Ἰκαρίου πόλεως, Ἀττικὸς ἢ Ἀθηναῖος,

κωμικός. ἐπιβάλλει δ' Ἐπιχάρμῳ νέος πρεσβύτῃ. ἐδίδαξε κωμῳδίας θ', νίκας δὲ εἷλε β'. οὗτος ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητής.

Μένανδρος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος. καὶ Μένανδρος ἕτερος, Ἀθηναῖος, Διοπείθους καὶ Ἡγησιστράτης· περὶ οὗ πολὺς παρὰ πᾶσιν ὁ λόγος. κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας, στραβὸς τὰς ὄψεις, ὀξὺς δὲ τὸν νοῦν, καὶ περὶ γυναῖκας ἐκμανέστατος. γέγραφε κωμῳδίας ρή, καὶ ἐπιστολὰς πρὸς Πτολεμαῖον τὸν βασιλέα, καὶ λόγους ἑτέρους πλείστους καταλογάδην.

Μενεκράτης, κωμικός. δρᾶμα αὐτοῦ Μανέκτωρ ἢ Ἑρμιονεύς.

Μένιππος, κωμικός. τῶν δραμάτον αὐτοῦ ἐστι Κέρκωπες καὶ ἄλλα.

Μεταγένης, Ἀθηναῖος, δούλου παῖς, κωμικός. τῶν δὲ δραμάτων αὐτοῦ ἐστι ταῦτα· Αὖραι, Μαμμάκυθος, Θουριοπέρσαι, Φιλοθύτης, Ὅμηρος ἢ Ἀσκηταί.

Μνησίμαχος, ποιητὴς τῆς μέσης κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Ἱπποτρόφος, Βούσιρις, Φίλιππος· ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.

Ναυσικράτης, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Ναύκληροι, Περσίς.

Νικόστρατος, κωμικός. τούτου μέμνηται Ἀθηναῖος ἐν τρίτῳ Δειπνοσοφιστῶν· λέγει δὲ ὅτι δράματα αὐτοῦ ἐστι, Πάνδαρος, ὁ καὶ Ἄντυλλος ὃς καὶ Φιλεταίρου δοκεῖ εἶναι· καὶ Ἱεροφάντης, καὶ Κλεινή. ἔστι δὲ Ἅβρα καὶ Ἡσίοδος, καὶ Διάβολος, καὶ Ἀντερῶσα, καὶ Ἑκάτη, Μάγειρος, Ὦτις, Πλοῦτος, Σύρος, Ἀπελαυνόμενος, Ψευδοστιγματίας, καὶ Τοκιστής. ταῦτα ἐν παραθήκῃ εὗρον κείμενα. καὶ παροιμία·

Ἐγὼ ποιήσω πάντα κατὰ Νικόστρατον.

οὗτος κωμῳδίας ὑποκριτὴς ἦν, δοκῶν κάλλιστα ὑποκρίνεσθαι.

Νικόφρων, Θήρωνος, Ἀθηναῖος, κωμικός, σύγχρονος Ἀριστοφάνους τοῦ κωμικοῦ. τῶν δραμάτων αὐτοῦ καὶ ταῦτα· Ἐξ ᾅδου ἀνιών, Ἀφροδίτης γοναί, Πανδώρα, Ἐγχειρογάστορες, Σειρῆνες.

Νικοχάρης, Φιλωνίδου τοῦ κωμικοῦ, Ἀθηναῖος, κωμικός, σύγχρονος Ἀριστοφάνους. τῶν δραμάτων αὐτοῦ, Ἀμυμώνη, Πέλοψ, Γαλάτεια, Ἡρακλῆς γαμῶν, Ἡρακλῆς χορηγός, Κρῆτες, Λάκωνες, Λήμνιαι, Κένταυροι, Χειρογάστορες.

Ξέναρχος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Βουταλίων, ὡς Ἀθήναιός φησιν ἐν δευτέρῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν, καὶ Πορφύρα, καὶ Σκύθαι, ὡς ὁ αὐτός. καὶ Δίδυμοι καὶ Πένταθλοι καὶ Πρίαπος, Ὕπνος, Στρατιώτης.

Πλάτων, Ἀθηναῖος, κωμικός, γεγονὼς τοῖς χρόνοις κατὰ Ἀριστοφάνην Φρύνιχον Εὔπολιν καὶ Φερεκράτην. δράματα δὲ αὐτοῦ κή. Ἄδωνις, Ἀφιέρων, Γρύπες, Δαίδαλος, Ἑορταί, Ἑλλὰς ἢ Νῆσοι, Εὐρώπη, Ζεὺς κακούμενος, Ἰώ, Κλεοφῶν, Λάϊος, Λάκωνες ἢ Ποιηταί, Μέτοικοι, Μύρμηκες, Μαμμάκυθος, Μενέλεως, Νίκαι, Νὺξ μακρά, Ξάνται ἢ Κέρκωπες, Περιαλγής, Ποιητής, Πείσανδρος, Πρέσβεις, Παιδίον, Σοφισταί, Συμμαχία, Σκευαί, Σύρφαξ, Ὑπέρβολος, Φάων. ἔστι δὲ λαμπρὸς τὸν χαρακτῆρα, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς. ὅτι καὶ Ἀνδροφόνος ἐστὶ δρᾶμα Πλάτωνος, καὶ Συνεξαπατῶν, καὶ Πανηγυρισταί, καὶ ἄλλα πλεῖστα.

Πολύζηλος, κωμικός. δράματα αὐτοῦ, Νίπτρα, Δημοτυνδάρεως, Μουσῶν γοναί, Διονύσου γοναί, Ἀφροδίτης γοναί.

Ποσίδιππος, Κασσανδρεύς, υἱὸς Κυνίσκου, τρίτῳ ἔτει μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον διδάξας, κωμικός. ἔστι δὲ τὰ δράματα αὐτοῦ ἕως τῶν λ΄.

Στράττις, Ἀθηναῖος, τραγικός, τῶν δραμάτων αὐ-

τοῦ ἔστι ταῦτα· Ἀνθρωπορέστης, Ἀταλάντη, Ἀγαθοί, ἤτοι Ἀργυρίου ἀφανισμός, Ἰφιγέρων, Καλλιπίδης, Κινησίας, Λιμνομέδων, Μακεδόνες, Μήδεια, Τρωΐλος, Φοίνισσαι, Φιλοκτήτης, Χρύσιππος, Παυσανίας, Ψυχασταί, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν.

Στράτων, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Φοῖνιξ.

Σωτάδης. Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας.

Σώφιλος, ὄνομα κύριον. Σικυώνιος ἢ Θηβαῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. δράματα αὐτοῦ, Κιθαρῳδός, Φίλαρχος, Τυνδάρεως ἢ Λήδα, καὶ Δηλία· ὥς φησιν Ἀθήναιος. καὶ Χοιρίδιον, καὶ Παρακαταθήκη.

Τηλεκλείδης, Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν, Ἀμφικτύονες, καὶ Πρυτάνεις, καὶ Στερροί. ὡς Ἀθήναιος λέγει ἐν τοῖς Δειπνοσοφισταῖς.

Τιμόθεος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς μέσης κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν, Πύκτης, Παρακαταθήκη, Μεταβαλλόμενος ἢ Μεταφερόμενος. καὶ Κυνάριον Τιμοθέου δρᾶμα, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς αὐτοῦ.

Τιμοκλῆς, Ἀθηναῖος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι, Δημοσάτυροι, Κένταυρος, Καύνιοι, Ἐπιστολαί, Ἐπιχαιρέκακος, Φιλοδικαστής, Πύκτης, ὥς φησιν Ἀθήναιος ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν Δειπνοσοφιστῶν.

Τιμοκλῆς ἕτερος, καὶ αὐτὸς κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι, Διονυσιάζουσαι, Πολυπράγμων, Ἰκάριοι, Δῆλος, Λήθη, Διόνυσος, Κονίσαλος, Πορφύρα (ἥτις καὶ δοκεῖ Ξενάρχου εἶναι), Ἥρωες, Δρακόντιον, Νέαιρα (ἑταίρας δὲ ὄνομά ἐστιν ἡ Νέαιρα), Ὀρέστης, Μαραθώνιοι. ταῦτα Ἀθήναιος λέγει ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν Δειπνοσοφιστῶν. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλα.

Φερεκράτης, Ἀθηναῖος, κωμικός. ὃς Ἀλεξάνδρῳ συνεστράτευσεν. ἐδίδαξε δράματα ιζ΄. Φερεκράτης Πετάλῃ γράφει.

Φιλέταιρος. ὄνομα κύριον. Ἀθηναῖος, κωμικός, υἱὸς Ἀριστοφάνους τοῦ κωμικοῦ. δράματα δὲ αὐτοῦ κα', ὧν ἐστι καὶ ταῦτα· Ἀχιλλεύς, Κορινθιαστής, Κυνηγίας, Φίλαυλος, Κέφαλος, Τηρεύς, Οἰνοπίων, Ἄντυλλος, καὶ Αὐτοφιλέταιρος. ὡς δέ τινες, Νικοστράτη, Ἀταλάντη, Λαμπαδοφόροι.

Φιλήμων, Συρακόσιος, υἱὸς Δάμωνος, καὶ αὐτὸς κωμικὸς τῆς νέας κωμῳδίας. ἤκμαζεν ἐπὶ τῆς Ἀλεξάνδρου βασιλείας, βραχὺ Μενάνδρου πρότερος. ἔγραψε δὲ κωμῳδίας πρὸς ἐννενήκοντα, καὶ ἐβίωσεν ἔτη ἐννενήκοντα ἕξ· εἰσὶ δὲ οἳ λέγουσιν ά καὶ ρ'. ἐτελεύτησε δὲ ὑπὸ σφοδροῦ γέλωτος. Οὗτος ὁ Φιλήμων ἄπηρος ἦν τὸ σῶμα· καὶ μέντοι καὶ τὰς αἰσθήσεις πάσας ἀσινεῖς εὐμοιρίᾳ τινὶ διεσώσατο. ὁμολογοῦσι δή που καὶ τοῖτο. πολεμούντων Ἀθηναίων καὶ Ἀντιγόνου, Πειραιοῖ διαιτώμενος ὁ Φιλήμων, ὄναρ ὁρᾷ κόρας ἐξιούσας θ' τῆς οἰκίας αὐτοῦ. ἐδόκει δὲ ἐρέσθαι αὐτάς, τί βουλόμεναι καταλείπουσιν αὐτόν. αὐτῶν δὲ ᾤετο ἀκοῦσαι λεγουσῶν, ἔξω θυρῶν ἰέναι· μὴ γὰρ εἶναι θεμιτὸν ἀκοῦσαι αὐτάς. καὶ τὸν μέν ὄνειρον ἐνταῦθα παύσασθαι. αὐτὸς δὲ διυπνισθεὶς τῷ παιδὶ περιηγεῖται ἅ τε εἶδε καὶ ὅσα ἤκουσε καὶ ἅτινα εἶπεν. εἶτα μέν τοι ἔγραψε τὰ λοιπὰ τοῦ δράματος, ὅπερ οὖν ἔτυχε διὰ τῆς παρούσης ἄγων φροντίδος. καὶ ἐπειλυσάμενος ἡσυχῇ ἔκειτο. κᾆτα ὑπεξέσχε. καὶ οἵ γε ἔνδον ᾤοντο καθεύδειν αὐτόν. ἐπεὶ δὲ μακρὸν τοῦτο ἦν, ἐκκαλύψαντες τεθνεῶτα ἐθεάσαντο. οὐκοῦν, ὦ Ἐπίκουρε, παρῆσαν δὴ καὶ Φιλήμονι ἐννέα Μοῦσαι, καὶ ὅτε ἔμελλε τὴν ἐπινησθεῖσάν οἱ καὶ τελευταίαν ὁδὸν ἰέναι, ᾤχοντο ἀπιοῦσαι. Θεοῖς γὰρ οὐδαμῇ θεμιτὸν ὁρᾶν ἔτι νεκρούς, καὶ ἐὰν ὦσι πάνυ φίλοι· οὐδὲ ὄμμα χραίνειν θανασίμοισιν ἐκπνοαῖς. σὺ δὲ λέγεις αὐτοὺς μὴ ἡμῖν προσέχειν, ὦ μῶρε. Οὕτω φησὶν Αἰλιανὸς ἐν τῷ περὶ προνοίας.

Φιλήμων, ὁ νεώτερος, καὶ αὐτὸς κωμικός, υἱὸς Φιλήμονος τοῦ κωμικοῦ. ἐδίδαξε δὲ δράματα νδ'.

Φιλιππίδης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς καὶ αὐτὸς τῆς νέας κωμῳδίας, υἱὸς Φιλοκλέους· ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ριά Ὀλυμπιάδος. ἐδίδαξε καὶ αὐτὸς δράματα μέ.

Φίλιππος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Κωδωνιασταί, ὡς Ἀθήναιος ἐν Δειπνοσοφισταῖς.

Φιλίσκος, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν, Ἄδωνις, Διὸς γοναί, Θεμιστοκλῆς, Ὄλυμπος, Πανὸς γοναί, Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης γοναί, Ἀρτέμιδος καὶ Ἀπόλλωνος.

Φιλιστίων, Προυσαεύς ἢ, ὡς Φίλων, Σαρδιανός, κωμικός. τελευτᾷ δὲ ἐπὶ Σωκράτους. ὃς ἔγραψε κωμῳδίας βιολογικάς. τελευτᾷ δὲ ὑπὸ γέλωτος ἀπείρου. δράματα δὲ αὐτοῦ Μισοψηφισταί. οὗτός ἐστιν ὁ γράψας Φιλόγελων, ἤγουν τὸ βιβλίον τὸ φερόμενον εἰς τὸν Κουρέα. Νικαεὺς δὲ μᾶλλον παρὰ πᾶσιν ᾄδεται· ὡς μαρτυρεῖ τὸ ἐπίγραμμα·

Ὁ τὸν πολυστένακτον ἀνθρώπων βίον
γέλωτι κεράσας Νικαεὺς Φιλιστίων.

Φιλλύλιος (Φιλύλλιος), Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστιν Αἰγεύς, Αὔγη, Ἄντεια (ἑταίρας ὄνομα), Δωδεκάτη, Ἡρακλῆς, Πλύντρια ἢ Ναυσικάα, Πόλις, Φρεωρύχος, Ἀταλάντη, Ἑλένη.

Φιλωνίδης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς ἀρχαῖος, πρότερον δὲ γναφεύς. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἦν Κόθορνοι, Ἀπήνη, Φιλέταιρος.

Φοινικίδης, κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι Φύλαρχος, Μισούμενος· ὡς Ἀθήναιος ἐν τῷ βιβλίῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν

Φρύνιχος, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῶν ἐπιδευτέρων τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. ἐδίδαξε γοῦν τὸ πρῶτον ἐπὶ πς' Ὀλυμπιάδος. δράματα δὲ αὐτοῦ ἐστι ταῦτα. Ἐφιάλτης, Κόννος, Κρόνος, Κωμασταί, Σάτυροι, Τραγῳδοί ἢ Ἀπε-

λεύθεροι, Μονότροπος, Μοῦσαι, Μύστης, Ποάστριαι, Σάτυροι.

Χιωνίδης, Ἀθηναῖος, κωμικὸς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, ὃν καὶ λέγουσι πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας, διδάσκειν δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστι καὶ ταῦτα· Ἥρως, Πτωχοί, Πέρσαι ἢ Ἀσσύριοι.

Ὠφελίων, κωμικός. μέμνηται αὐτοῦ καὶ Ἀθήναιος ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῶν Δειπνοσοφιστῶν. φησὶ δὲ τῶν δραμάτων αὐτοῦ εἶναι ταῦτα· Δευκαλίωνα, Κάλλαισχρον, Κένταυρον, Σατύρους, Μούσας, Μονοτρόπους.

SCHOLIASTA DIONYSII THRACIS APUD BEKKERUM ANECD. P. 747.

Κωμῳδία λέγεται τὰ τῶν κωμικῶν ποιήματα, ὡς τὰ Μενάνδρου καὶ Ἀριστοφάνους καὶ Κρατίνου καὶ τῶν ὁμοίων. Ἐφευρέθη δὲ ἡ κωμῳδία, ὥς φασιν, ἔκ τινος τοιαύτης αἰτίας. βλαπτόμενοί τινες γεωργοὶ παρὰ τῶν πολιτῶν τῶν ἐν Ἀθήνησι, καὶ θέλοντες ἐλέγχειν αὐτούς, κατήεσαν ἐν τῇ πόλει, καὶ παρὰ τὸν καιρὸν τοῦ καθεύδειν περιιόντες περὶ τὰς ἀγυιὰς ἔλεγον ἀνωνυμεὶ τὰς βλάβας, ἃς ἔπασχον ὑπ' αὐτῶν. ἵνα δὲ σαφέστερον εἴπωμεν, τοιαῦτά τινα ἐβόων, ἐνταῦθα μένει τις τάδε καὶ τάδε τισὶ ποιῶν τῶν γεωργῶν, καὶ οὐ μετρίας βλάβας ἐπιφέρων αὐτοῖς. ὥστε τοὺς γειτνιῶντας ἀκούοντας ἡμέρας γενομένης πρὸς ἀλλήλους λέγειν, ἅ τινα νύκτωρ παρὰ τῶν γεωργῶν ἤκουσαν. ἐπονείδιστον δὲ ἦν τῷ ἀδικοῦντι τόδε, ἐμφανιζόμενον τοῖς τῆς πόλεως, [ὥστε] αἰδεῖσθαι καὶ παύεσθαι τῆς τοιαύτης ἀδικίας. τούτοις πολλάκις παρακολουθήσαντες ἄλλοι πολλοὺς τῶν ἀδικούντων ἀνέστειλαν. ὅθεν τοῖς τῆς πόλεως ἔδοξεν ἐπ' ἀγαθῷ γεγονέναι τὸ ἐγχείρημα τῶν κωμικῶν·

καὶ ἀναζητήσαντες αὐτοὺς ἠνάγκασαν καὶ ἐπὶ θεάτρου τοῦτο ποιεῖν. οἱ δὲ αἰδούμενοι, μᾶλλον δὲ φοβούμενοι, τρυγίᾳ περιχρίοντες αὐτῶν τὰς ὄψεις οὕτως εἰσῄεσαν. καὶ ἔτι μᾶλλον ἐλεγχομένων τῶν ἀδικούντων ἐπὶ θεάτρου, ἀνοχὴ τῶν ἀδικιῶν ἐγένετο, τῆς αιδοῦς ἔτι συνοικούσης τοῖς ἀνδράσιν ἔδοξεν οὖν τοῖς τῆς πόλεως τὸ ἐγχείρημα καλὸν ὑπάρχειν, καὶ λογίους ἄνδρας αὐτὸ μετιέναι πρῶτον οὖν Σουσαρίων τις τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο, οὗ τὰ μὲν δράματα λήθῃ κατενεμήθη, δύο δὲ ἢ τρεῖς ἴαμβοι τοῦ πρώτου δράματος ἐπὶ μνήμῃ φέρονται εἰσὶ δὲ οὗτοι·

ἀκούετε, λεώς· Σουσαρίων λέγει τάδε,
υἱὸς Φιλίνου, Μεγαρόθεν, Τριποδίσκιος.
κακὸν γυναῖκες· ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται,
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ.

Ἀρχὴν οὖν δεξαμένου τοῦ πράγματος πολλοὶ γεγόνασι κωμῳδοί, ἐλέγχοντες τοὺς κακῶς βιοῦντας καὶ τοὺς ταῖς ἀδικίαις χαίροντας, ἀναστέλλοντες τὰς ἀκαίρους καὶ ἀδίκους αὐτῶν πράξεις, καὶ ὠφελοῦντες κοινῇ τὴν πολιτείαν τῶν Ἀθηναίων. Ἐπειδὴ δὲ τὸ μὲν παράνομον ἐπὶ τὰ χερείονα νικᾷ, τὸ δὲ καλὸν ταχέως ἀφίπταται τῆς τῶν ἀνθρώπων πολιτείας, οὐ μετὰ πολὺν χρόνον οἱ ἄρχοντες Ἀθήνησιν ἤρξαντο κωλύειν τοὺς κωμικοὺς τοῦ μὴ φανερῶς οὕτω καὶ ὀνομαστὶ ἐλέγχειν τοὺς ἀδικοῦντας. αὐτοὶ γὰρ θέλοντες ἀδικεῖν καὶ μὴ ἐλέγχεσθαι, τούτου χάριν ἐπετίμων αὐτοῖς. ὅθεν ὥσπερ αἰνιγματωδῶς καὶ οὐ φανερῶς ἐλέγχονται ὑπὸ τῶν κωμικῶν. Ἔτι δὲ ἐπὶ τὸ πλεῖον προϊούσης καὶ ἐπικρατούσης τῆς κακίας, ἐκωλύθησαν τοῦ αἰνιγματωδῶς ἐλέγχειν καὶ ὑβρίζειν τοὺς κρατοῦντας καὶ ἄρχοντας τῆς πόλεως. Διὸ καὶ τρεῖς διαφορὰς ἔδοξεν ἔχειν ἡ κωμῳδία. καὶ ἡ μὲν καλεῖται παλαιά, ἡ ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα, ἡ δὲ μέση καὶ αἰνιγματώδης, ἡ δὲ νέα μηδ' ὅλως τοῦτο ποιοῦσα

πλὴν ἐπὶ δούλων ἢ ξένων. καὶ τῆς μὲν παλαιᾶς πολλοὶ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος. *) μετέσχον δέ τινος χρόνου τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας Εὔπολίς τε καὶ Ἀριστοφάνης. τῆς δὲ μέσης καὶ αὐτῆς μὲν πολλοὶ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ Πλάτων τις, οὐχ ὁ φιλόσοφος, ἀλλ' ἕτερός τις. ὁμοίως κἀκείνου τὰ δράματα οὐ φαίνεται. τῆς δὲ νέας ὁμοίως πολλοὶ γεγόνασιν, ἐπίσημος δὲ ὁ Μένανδρος, ὃς ἄστρον ἐστὶ τῆς νέας κωμῳδίας, ὡς μεμαθήκαμεν.

Εἴρηται δὲ κωμῳδία οἱονεὶ ἐπὶ τῷ κώματι ᾠδή. καὶ γὰρ περὶ τὸν καιρὸν τοῦ ὕπνου ἐφευρέθη. κῶμα γὰρ ὁ ὕπνος. ἢ ἡ τῶν κωμητῶν ᾠδή. κῶμαι γὰρ λέγονται οἱ μείζονες ἀγροί.

Ταύτην οὖν τὴν κωμῳδίαν δεῖ βιωτικῶς ἀναγινώσκειν, τουτέστιν ὡς ἐν τῷ βίῳ, μιμουμένους τὸ παρεισαγόμενον πρόσωπον, καὶ τὴν ἐκείνου σχέσιν ἀναματτομένους.

ANDRONICUS APUD BEKKERUM ANECD. P. 1461.

Μονῳδῶν δὲ γνώρισμα τὸ μονοπροσώπως ἀφηγεῖσθαι ὑπόθεσιν οἱανδήτινα, οἷός ἐστιν ὁ Λυκόφρων τὰ τῆς Ἀλεξάνδρας διηγούμενος. Κωμικῶν δὲ ὁ γέλως μετὰ τοῦ καὶ

---

*) *Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος*] Tzetzes Proleg. ad Lycophr. p. 256 Müll. *κωμῳδοὶ πραττόμενοι Κρατῖνος Εὔπολις Φερεκράτης Ἀριστοφάνης καὶ ἕτεροι.* Suidas s. v. *Ἀριστοφάνης. δράματα δὲ αὐτοῦ νδʹ. ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα ταῦτα.* Iam sequuntur undecim quas superstites habemus fabularum tituli. Quibus locis quid *πράττεσθαι* significet quum me ignorare dixissem, opportune I. Geelius vir cl. in Biblioth. crit. vol. IV p. 20 et Lobeckius Aglaoph. p. 567 *πρᾶξιν* de librorum lectione et interpretatione dici monuerunt. Itaque Cratinus *ὁ πραττομενος* est is cuius fabulae leguntur atque explicantur. Cfr. Rankius Dissert. de vita Aristoph. p. C.

χορευτὰς εἰσάγειν καὶ πρόσωπα τοιαῦτα, οἷός ἐστιν Ἀριστοφάνης, Εὔπολις, Φερεκράτης. ἀλλ' ἡ μὲν κωμῳδία τρεῖς ἔχει τὰς διαφοράς, καὶ ἡ μὲν καλεῖται ἀρχαία ἐξ ἀρχῆς φανερῶς ἐλέγχουσα, ἧς ἐπίσημοι Ἀριστοφάνης, Κρατῖνος, Εὔπολις· ἡ δὲ μέση τις καὶ αἰνιγματώδης, ἧς ἐπίσημος Πλάτων ὁ τὸν χαρακτῆρα λαμπρότατος, οὐχ ὁ φιλόσοφος ἀλλ' ἕτερός τις, καὶ αὐτὸς Ἀθηναῖος. οὗτινος τὰ δράματα τάδε λέγονται Γρῦπες, Κλεοφῶν, Πρέσβεις, Παιδίον, Σοφισταί, Συμμαχία, Σκευαί, Ἄδωνις, Ἀφιέρων, Δαίδαλος, Ἑλλάς, Ἑορταί, Εὐρώπη, Ζεὺς καλούμενος, Ἰώ, Λάϊος, Λάκωνες, Μύρμηκες, Μέτοικοι, Μενέλεως, Μαμμάκουθος, Ξάνται, Νῖκαι, Νὺξ μακρά, Πείσανδρος, Περίαλγος, Ποιητής, Σύρφαξ, Ὑπέρβολος. ἡ δέ νέα μηδ' ὅλως αἰνιγματώδης, πλὴν ἐπὶ δούλων καὶ ξένων, ἧς ἐπίσημος Μένανδρος καὶ παρὰ Ῥωμαίοις Τερέντιος καὶ Πλαῦτος. χρῆται δὲ προτάσει καὶ ἐπιτάσει καὶ ἀναστροφῇ ὁ Τερέντιος, καὶ εἰς πέντε σκηνὰς διαιρεῖ τὸ δρᾶμα. Πλαῦτος περιοχὴν ποιεῖ τῆς αὐτοῦ κωμῳδίας, Τερέντιος δ' οὔ.

POLLUX ONOM. IV 143—154.

Περὶ προσώπων κωμικῶν.

§ 143. Τὰ δὲ κωμικὰ πρόσωπα τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ὡς ἐπιπολὺ τοῖς προσώποις ὧν ἐκωμῴδουν ἀπεικάζετο ἢ ἐπὶ τὸ γελοιότερον ἐσχημάτιστο, τὰ δὲ τῆς νέας, πάππος πρῶτος, πάππος ἕτερος, ἡγεμὼν πρεσβύτης*) [μα-

*) ἡγεμὼν πρεσβύτης] In sequentibus (§ 144) distinguuntur ἡγεμὼν πρεσβύτης et πρεσβύτης. Itaque πρεσβύτης fortasse iterandum. Quae sequuntur μακροπώγων ἢ ἐπισειων, ex § 144 temere huc illata videntur. Neque σφηνοπώγων hic aptum est. Itaque uncis inclusi.

κροπώγων ἢ ἐπισείων], Ἑρμώνειος [σφηνοπώγων], Λυκομήδειος, πορνοβοσκός, Ἑρμώνειος δεύτερος. οὗτοι μὲν γέροντες: ὁ μὲν πρῶτος πάππος, πρεσβύτερος, ἐν χρῷ κουρίας, ἡμερώτερος τὰς ὀφρῦς, εὐγένειος, ἰσχνὸς τὰς παρειάς, τὴν ὄψιν κατηφής, λευκὸς τὸ χρῶμα, τὸ πρόσωπον, τὸ μέτωπον ὑπόφαιδρος. § 144. ὁ δ᾽ ἕτερος πάππος, ἰσχνότερος καὶ ἀτονώτερος τὸ βλέμμα, καὶ λυπηρός, ὕπωχρος, εὐγένειος, πυρσόθριξ, ὠτοκαταξίας. ὁ δὲ ἡγεμὼν πρεσβύτης, στεφάνην τριχῶν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχων, ἐπίγρυπος, πλατυπρόσωπος, τὴν ὀφρὺν ἀνατέτακε τὴν δεξιάν. ὁ δὲ πρεσβύτης, μακροπώγων καὶ ἐπισείων, στεφάνην τριχῶν περὶ τὴν κεφαλὴν ἔχων, εὐπώγων ἐστὶ καὶ οὐκ ἀνατέταται τὰς ὀφρῦς, νωθρὸς δὲ τὴν ὄψιν. ὁ δὲ Ἑρμώνειος, ἀναφαλαντίας, τὰς ὀφρῦς ἀνατεταμένος, ὀξυγένειος, ὑποδύστροπος. ὁ δὲ Λυκομήδειος, οὐλοκόμος, μακρογένειος, ἀνατείνει τὴν ἑτέραν ὀφρύν, πολυπραγμοσύνην παρενδείκνυται. § 145.

---

2. *Λυκομήδειος — Ἑρμώνειος*] Hae personae unde nomen duxerint frustra quaesiverunt I. C. Scaliger Poet. I 14, Petitus Legg. Attic. IV p 42 et recentissima aetate G. Schoelerus noster Comment. de pers. scen. p. 18 sqq. Quos omnes mirum est fugisse annotationem Etymol. M. p. 376 48: *Ἑρμώνεια πρόσωπα οὕτω καλούμενα ποιά, ἀπὸ Ἕρμωνος τοῦ πρῶτον εἰκονίσαντος.* Hinc probabile est etiam Lycomedeam personam a nescio quo Lycomede, qui id genus personas primus finxerat, denominatam esse. Hermon ille idemne sit cum comico histrione quem Pollux IV 88 commemorat, incertum est. 5. *τὸ μέτωπον*] Haec delenda videntur. Eiusmodi erroribus nihil in hoc scriptore frequentius. V. Ruhnk. Auct. ad Hesych. 7. *ἀτονώτερος*] Ita A, in quo ut vulgo *ἐντονώτερος* legitur, sed ita ut supra *ἐν* adscriptum sit *α*. Alii libri *εὐτονώτερος*, quod non aptum. Sed fortasse *ἐκτονώτερος* scribendum.
14. Quae hinc sequuntur usque ad § 146 ita repraesentavi ut leguntur in codicibus. Vulgo omnia perturbata.

Ὁ δὲ πορνοβοσκὸς, τἄλλα μὲν ἔοικε τῷ Λυκομηδείῳ, τὰ δὲ χείλη ὑποσέσηρε, καὶ συνάγει τὰς ὀφρῦς, καὶ ἀναφαλαντίας ἐστὶν ἢ φαλακρός. ὁ δὲ δεύτερος Ἑρμώνειος ἀπεξυρημένος ἐστὶ καὶ σφηνοπώγων. § 146. Τὰ δὲ τῶν νεανίσκων, πάγχρηστος νεανίσκος, μέλας νεανίσκος, οὖλος νεανίσκος, ἁπαλός, ἄγροικος, ἐπίσειστος, ἐπίσειστος δεύτερος, κόλαξ, παράσιτος, εἰκονικός, Σικελικός. Ὁ μὲν πάγχρηστος, ὑπέρυθρος, γυμναστικός, ὑποκεχρωσμένος, ῥυτίδας ὀλίγας ἔχων ἐπὶ τοῦ μετώπου καὶ στεφάνην τριχῶν, ἀνατεταμένος τὰς ὀφρῦς. ὁ δὲ μέλας νεανίσκος, νεώτερος, καθειμένος τὰς ὀφρῦς, πεπαιδευμένῳ ἢ φιλογυμναστῇ ἐοικώς. § 147. ὁ δὲ οὖλος νεανίσκος καλὸς καὶ νέος καὶ ὑπέρυθρος τὸ χρῶμα, αἱ δὲ τρίχες κατὰ τοὔνομα, ὀφρῦς ἀνατέτανται, καὶ ῥυτὶς ἐπὶ τοῦ μετώπου μία μόνον. ὁ δὲ ἁπαλὸς νεανίσκος, τρίχας μὲν κατὰ τὸν πάγχρηστον, πάντων δὲ νεώτατος, λευκός, σκιατροφίας, ἁπαλότητα ὑποδηλῶν. τῷ δὲ ἀγροίκῳ τὸ μὲν χρῶμα μελαίνεται, τὰ δὲ χείλη πλατέα, καὶ ἡ ῥὶς σιμή, καὶ στεφάνη τριχῶν. τῷ δὲ ἐπισείστῳ, στρατιώτῃ ὄντι καὶ ἀλαζόνι καὶ τὴν χροιὰν μέλανι καὶ τὴν κόμην, ἐπισείονται αἱ τρίχες. ὥσπερ καὶ τῷ δευτέρῳ ἐπισείστῳ, ἁπαλωτέρῳ ὄντι καὶ ξανθῷ τὴν κόμην. § 148. κόλαξ δὲ καὶ παράσιτος μέλανες, οὐ μὴν ἔξω παλαίστρας, ἐπίγρυποι, εὐπαθεῖς τῷ δὲ παρασίτῳ μᾶλλον κατέαγε τὰ ὦτα, καὶ φαιδρός ἐστιν ὥσπερ ὁ κόλαξ, ἀνατέτακε δὲ κακοηθεστέρως τὰς ὀφρῦς. ὁ δὲ εἰκονικὸς ἔχει μὲν ἐπεσπαρ-

---

3. ἀναφαλαντίας et φαλακρὸς quid differant docet Phrynichus App. soph. p. 16 31: Ἀναφαλαντίας, οὐχ ὁ φαλακρός, ἀλλ' ὁ ἀρχόμενος ἀποφαλακροῦσθαι.
11. ἢ ex coniectura, eaque valde dubia, insertum videtur. 23. εὐπαθεῖς] Ita scripsi ex Flack. Vulgo συμπαθεῖς

μένας τὰς πολιάς, καὶ ἀποξυρᾶται τὸ γένειον, εὐπάρυφος δ' ἐστὶ καὶ ξένος. ὁ δὲ Σικελικὸς παράσιτός ἐστι τρίτος. Τὰ δὲ δούλων πρόσωπα κωμικά, πάππος, ἡγεμὼν θεράπων, κατατρυχίας ἢ κάτω τετρυχωμένος, θεράπων οὖλος, θεράπων Μαίσων, θεράπων Τέττιξ, ἡγεμὼν ἐπίσειστος. § 149. Ὁ μὲν πάππος μόνος τῶν θεραπόντων πολιός ἐστι, καὶ δηλοῖ ἀπελεύθερον. ὁ δὲ ἡγεμὼν θεράπων σπεῖραν ἔχει τριχῶν πυρρῶν, ἀνατέτακε τὰς ὀφρῦς, συνάγει τὸ ἐπισκύνιον, τοιοῦτος ἐν τοῖς δούλοις οἷος ἐν τοῖς ἐλευθέροις πρεσβύτης ἡγεμών. ὁ δὲ κατατρυχίας ἢ κάτω τετρυχωμένος ἀναφαλαντίας ἐστί, πυρρόθριξ, ἐπηρμένος τὰς ὀφρῦς. ὁ δὲ οὖλος θεράπων δηλοῖ μὲν τὰς τρίχας, εἰσὶ δὲ πυρραί ὥσπερ καὶ τὸ χρῶμα, καὶ ἀναφαλαντίας ἐστὶ καὶ διάστροφος τὴν ὄψιν. § 150. ὁ δὲ Μαίσων θεράπων καὶ Τέττιξ, μέλας, φαλακρός, δύο ἢ τρία βοστρύχια μέλανα ἐπικείμενος, καὶ ὅμοια ἐν τῷ γενείῳ, διάστροφος τὴν ὄψιν. ὁ δὲ ἐπίσειστος ἡγεμὼν ἔοικε τῷ ἡγεμόνι θεράποντι πλὴν περὶ τὰς τρίχας. Τὰ δὲ γυναικῶν, γραΐδιον ἰσχνὸν ἢ Λυκαίνιον, γραῦς παχεῖα, γραΐδιον οἰκουρικὸν ἢ οἰκετικὸν ἢ

---

1. ἐπισπαρμένας τὰς πολιάς] Vulgo ἐμπεπαρμένας τὰς παρειάς. Illud ex optimis libris reposui. 1. ἀποξυρᾶται] Libri fere ἀποξύρεται, unde ἀπεξύρηται scribendum videtur. 2. pro Σικελικὸς hic et infra libri fere Σικελός. 4. corrigunt κάτω τριχίας et τετριχωμένος. Interim revocavi veterum editionum lectionem. 5. Μαίσων] Vulgo μέσος. Unus cod. μέσον, in quo Μαίσων latere post Valesium monuit Schweighaeuserus ad Athen. XIV p. 659 a. Cfr. Hist. crit. p. 22. 14. Vulgo ὁ δὲ θεράπων μέσος, φαλακρός, πυρρός ἐστιν. ὁ δὲ θεράπων τέττιξ κτλ. Emendavi haec e codicibus. Pro μέσος unus liber μέσων h. e. Μαίσων. 16. διάστροφος τὴν ὄψιν] Haec importuno loco legebantur inter φαλακρὸς et δύο. Nostrum ordinem praeivit cod. Iungermanni.

ὀξύ. Τὸ μὲν Λυκαίνιον ὑπόμηκες, ῥυτίδες λεπταὶ καὶ πυκναί· λευκόν, ὕπωχρον, στρεβλὸν τὸ ὄμμα. § 151. ἡ δὲ παχεῖα γραῦς παχείας ἔχει ῥυτίδας ἐν εὐσαρκίᾳ, καὶ ταινίδιον τὰς τρίχας περιλαμβάνον. τὸ δὲ οἰκουρικὸν γραΐδιον, σιμόν, ἐν ἑκατέρᾳ τῇ σιαγόνι [ἑκατέρωθεν] ἀνὰ δύο ἔχει γομφίους. Νέων δὲ γυναικῶν πρόσωπα λεκτική, οὔλη, κόρη, ψευδοκόρη, ἑτέρα ψευδοκόρη, σπαρτοπόλιος λεκτική, παλλακή, ἑταιρικὸν τέλειον, ἑταιρίδιον ὡραῖον, διάχρυσος ἑταίρα, διάμετρος ἑταίρα, Λαμπάδιον, ἅβρα περίκουρος, θεραπαινίδιον παράψηστον. § 152. Ἡ μὲν λεκτικὴ περίκομος, ἡσυχῇ παρεψημέναι αἱ τρίχες, ὀρθαὶ ὀφρύες, χρόα λευκή. ἡ δὲ οὔλη τῇ τριχώσει παραλλάττει. ἡ δὲ κόρη διάκρισιν ἔχει παρεψησμένων τῶν τριχῶν καὶ ὀρθὰς ὀφρῦς καὶ μελαίνας, καὶ λευκότητα ὕπωχρον ἐν τῇ χρόᾳ. ἡ δὲ ψευδοκόρη λευκοτέρα τὴν χρόαν καὶ περὶ τὸ βρέγμα δέδεται τὰς τρίχας, καὶ ἔοικε νεογάμῳ. ἡ δὲ ἑτέρα ψευδοκόρη διαγιγνώσκεται μόνῳ τῷ ἀδιακρίτῳ τῆς κόμης. § 153. ἡ δὲ σπαρτοπόλιος λεκτικὴ δηλοῖ τῷ ὀνόματι τὴν ἰδέαν, μηνύει δὲ ἑταίραν πεπαυμένην τῆς τέχνης. ἡ δὲ παλλακὴ ταύτῃ μὲν ἔοικε, περίκομος δέ ἐστι. τὸ δὲ τέλειον ἑταιρικὸν τῆς ψευδοκόρης ἐστὶν ἐρυθρότερον καὶ βοστρύχους ἔχει περὶ τὰ ὦτα. Τὸ δὲ ἑταιρίδιον ἀκαλλώπιστόν ἐστι, ταινιδίῳ τὴν κεφαλὴν περιεσφιγμένον. ἡ δὲ διάχρυσος ἑταίρα πολὺν ἔχει τὸν χρυσὸν ἐπὶ τῇ κόμῃ. § 154. ἡ δὲ διάμετρος μίτρᾳ ποικίλῃ τὴν κεφαλὴν κατείληπται. τὸ δὲ Λαμπάδιον ἰδέαν τριχῶν ἔχει πλέγματος εἰς ὀξὺ ἀπολήγοντος,

---

5. ἑκατέρωθεν seclusi praeeunte Iungermanno. 6. λεκτικὴν dicere videtur garrulam. 7. λεκτικὴ nescio an hic et infra § 153 delendum sit. 16. νεογάμῳ] Ita ex uno libro correctum. Vulgo μονογάμῳ. Falck. ψευστογάμῳ, in quo aliud quid latere videtur.

ἀφ' οὗ καὶ κέκληται. ἡ δὲ ἅβρα περίκουρος, θεραπαινίδιόν ἐστι περικεκαρμένον, χιτῶνι μόνῳ ὑπεζωσμένῳ λευκῷ χρώμενον. τὸ δὲ παράψηστον θεραπαινίδιον διακέκριται τὰς τρίχας, ὑπόσιμόν τέ ἐστι καὶ δουλεύει ἑταίραις, ὑπεζωσμένον χιτῶνα κοκκοβαφῆ.

---

2. ὑπεζωσμένῳ] **Malim** ὑπεζωσμένον. **Tum pro** χρώμενον **Falck.** ἰσχίῳ μόνον, **cuius certa emendatio non succurrit.**

INDICES.

I. INDEX POETARUM ET FABULARUM.

Poetarum nomina maioribus litteris exarata sunt. In fabularum indicem etiam Aristophanis Philemonis et Menandri dramatum titulos rettuli, ut quicquid ex hoc genere ad atticam comoediam pertinet uni obtutui pateat. Asterisci fabularum poetarumve nominibus praefixi aut corruptum aut dubium esse nomen indicant.

B.

Δ.

---

*) Probabile est Suidam Sophoclis et Dioclis nomina confudisse. Sophoclis *Θυέστης δεύτερος* laudatur ab Hesychio, *Ἡγόμην: διῆγον. Σοφοκλῆς Θυέστῃ δευτέρῳ.*

Π.

Ρ.

Σ.

T.

Υ.

Φ.

X.

Ψ.

Ω.

II. INDEX RERUM.

A.

B.

C. *K.* *X.*

D.

E. *H.*

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O. Ω.

P. Φ. Ψ.

R.

S.

T. Θ.

V.

X.

Y. Υ.

Z.

ERRORES TYPOGRAPHICI.

Pag.	14	9	*Κωμῳδουμένων* pro *κωμῳδουμένων*
-	-	19	„disputatur" pro „disputantur"
-	51	16	*ρευμάτων* pro *ῥευμάτων*.
-	54	28	excidit *κτλ.*
-	57	29	*Δραπετίδες* pro *Δραπέτιδες*
-	76	23	„adiudicaverat" pro „abiudicaverat"
-	106	19	*Λεύκης* pro *λευκῆς*
-	112	18	*πλοῦταξ* pro *πλούταξ*
-	117	29	„Panathenaeo" pro „Panathenaea"
-	170	25	*Διτρεφὴς* pro *Διιτρέφης*
-	224	24	post „Euripides" excidit „ridetur"
-	290	9	*τίνες* pro *τίνος*
-	299	14	post „creticis" excidit „et dactylis"
-	304	penult.	*Ὦπις* pro *Ὦτις*
-	314	10	*μήτρας* pro *μήτραν*
-	318	27	post „philosophiae" excidit „historia"
-	464	24	„Epidicazomenen" pro „Epidicazomenon"

PA
3465
A2
1839
v.1

Meineke, August
Fragmenta comicorum graecorum

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY